Library of
Princeton Theological Seminary
1852.

Part of a donation of Messrs
R. L. and A. Stuart,

DE

CLEMENTE

PRESBYTERO ALEXANDRINO

HOMINE, SCRIPTORE, PHILOSOPHO, THEOLOGO

LIBER,

QUEM SCRIPSIT

HUB. JOS. REINKENS,

PRESBYTER VRATISLAVIENSIS, S. S. THEOL. DR.

VRATISLAVIAE,

APUD G. PH. ADERHOLZ.

MDCCCLI.

MELCHIORI

LIBERO BARONI DE DIEPENBROCK

EMINENTISSIMO S. R. E. CARDINALI PRESBYTERO

CELSISSIMO PRINCIPI

REVERENDISSIMO DIOEC. VRATISL. EPISCOPO

S. S. THEOLOGIAE DOCTORI

EQUITI AQUILAE RUBRAE I. CL. ALIORUMQUE ORDINUM

INSIGNIBUS ORNATO

HUNC LIBRUM

SUMMA CUM REVERENTIA ET PIETATE

DEDICAT

HUBERTUS JOSEPHUS REINKENS.

Praefatio.

Antiqui Romani, Cicerone teste, omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix esset, praefabantur; Apostolus autem Jacobus Christi discipulos quidquid sibi propositiuros praefari iubet: Si dominus voluerit; sunt, qui cuivis actioni pie praefentur: Omnia ad maiorem dei gloriam! Huic igitur libro, postquam elaboraturi eundem: Si dominus vellet, praefati sumus, quum imposuissemus κορωνίδα, diximus: Omnia ad maiorem dei gloriam! sed ita tamen, ut statim adderemus: si quid inde proficisceretur gloriae. Neque enim, esse libros non paucos, qui, quamvis pia illa sententia finiti sint, ne auctores quidem mortales gloria ornent, multo vero minus immortalem deum, infitiabimur. Atque idem ne nobis quoque accideret, quod vereremur, nihil admirabere.

Iam quum simus in eo, ut librum a nobis scriptum edamus, quod bonum, deo volente, faustum, felix sit, praefamur, et nobismetipsis et benignis lectoribus. Quamquam, ut nobis saluti sit utrisque liber, necesse est eum intelligi. Itaque etiam aliud opus erit praefari, quod illi inprimis, qui publice de eo sunt iudicaturi, velim animadvertant. Verbis autem utar Clementis, qui: Revera, inquit, talis erit horum monumentorum adumbratio et forma, ut, quaecunque offerent, ea interiectam hic illic contineant veritatem, ut illos, qui graculorum instar passim ac temere grana legunt, fugiant; quum autem agricolam fuerint nacta bonum, unumquidque eorum progerminans edat fructum. (Strom. I. p. 348.) Huiusmodi ergo bonus agricola sit unusquisque oportet, qui, quid hoc libro meo non quidem effectum, sed inchoatum sit, probe ac sincere discernere voluerit. Nam et Clementem, non qualis fertur, sed ut vere est, cognoscat, et quid ipsi scripserimus, sciat. Lecturum autem nostra adiuvare debemus proposito, quod persecuti sumus, exponendo. Atque generaliter quidem, quoad eius fieri posset, tanquam vivam Clementis imaginem ponere quasi ante oculos voluimus. Deliberantibus autem, quomodo hoc accuratissime assequeremur, quaestio nobis occurrit quadripartita. Quid enim? Clementem considerare possumus hominem, scriptorem, philosophum, theologum;

nam his quattuor imago illa adumbrari videtur perfecte. Ac primum de Clemente homine ita disserere nobis proposuimus, ut vitam eius non solum veterum testimoniis, quae parum suppeditant, sed maxime ex ipsius scriptis explicaremus. Eandem tenuimus rationem in capite de ipso scriptore. In quo praeterea duo potissimum spectavimus: unum, ut plenam omnium operum doctrinam communicaremus, alterum, ut hoc efficeremus propria forma atque indole Clementina. Quamobrem singulorum librorum argumenta tam religiosa ubertate descripsimus, ut vix ullum vel levissimum dogma negligeretur; sed descripsimus etiam ita, ut Clemens ipse dicens induceretur, quamquam latine; ad verbum autem plerumque, quia hoc demum modo viri ingenium penitus cognosci rati sumus. Nam si nostra arte et praecepto dogmata, quae tradidit, exposuissemus, quin eiusmodi disputationi id, quod nostrae ipsorum mentis est proprium, tribueremus, fieri non potuisset. In illis vero argumentis labor libri latet ac sudor*). De Clemente denique philosopho et theologo id unum, quod dicamus, habemus, nos non ex opinionibus inveteratis tritisque disputasse, sed ex ipsius auctoris scriptis.

---

*) Descriptionem, quae totius doctrinae nexum exhibeat, quum hoc minus ad imaginem Clementis adumbrandam pertinere videatur, in aliud tempus differimus.

Rationibus contra nos merito pugnantibus libenter cedemus, quippe non altercationis amantes, sed solius veritatis. Ceterum in Christo, Domino nostro, cuivis hunc librum lecturo salutem plurimam dicimus.

Scribebam Vratislaviae ipso die Nativitatis B. Mariae V. a. MDCCCLI.

Reinkens.

Index.

Caput I.
De Clementis Presbyteri Alexandrini vita.

Caput II.
De scriptis Clementis Presb. Al. generaliter.

Caput III.
I. De singulis Clementis Al. scriptis; et primum quidem de Protreptico.

II. De Paedagogo.

III. De Stromatis.

Caput I.

De Clementis Presbyteri Alexandrini vita.

§ 1.

De Clementis patria.

Titus Flavius Clemens, quem solemus appellare Alexandrinum, cum plurimis honestissimae famae admirationisque hominibus id iam habet commune, quod non de tempore solum, verum etiam de loco, quo natus sit, ita ab omnibus huius rei peritis disputatur, ut, alterutrum iri discretum unquam, vix speres. Sed de loco, quid sit verisimillimum saltem, dici potest. Epiphanius enim, quum nonnullos esse narraverit[1]), qui, dum alii Clementem Athenis esse oriundum affirment, Alexandriam eidem tribuant patriam, ipse quidem ab utraque opinione tanquam a re incerta assensionem omnino cohibens, nobis tamen diiudicandi materiae satis suppeditat. Et primum quidem illud ne negligatur, quod τινες eum Alexandrinum vocasse dicuntur, ἕτεροι δὲ Atheniensem. Τινες enim indicat paucos, plures autem, hac voce opposita, ἕτεροι δὲ, i. e. ceteri. Sed quod maioris est ponderis, ex illa Epiphanii narratione, de cuius veritate nihil est cur dubitetur, quemadmodum ipsius auctoris aetate, sive duobus fere seculis post, Clementem vere Athenis natum a plerisque fuisse probatum facile constat, sic de Alexandria tanquam urbe eiusdem patria cogitasse ne aliquos quidem singulos certo potest colligi. Singuli enim, qui tum demum temporis Clementem Alexandrini cognomine distinguere inceperunt, hoc ut facerent, gloria viri famaque, quae tota Alexandriae inhaerebat,

---

[1]) Epiph. haer. XXXII. 6. ed. Petav.: *Κλήμης τε, ὅν φασί τινες Ἀλεξανδρέα, ἕτεροι δὲ Ἀθηναῖον.* Cuius sententiae nescio quo iure ordo atque sensus a Tillemontio (L'hist. eccl. etc. T. XIII. p. 79 ed. Brux. MDCCXXXII.) sint inversi his verbis: „Quelques uns tenaient, qu'il (Clement) était d'Athenes, les autres le faisaient originaire d'Alexandrie.

potuerunt commoveri [1]). Accedit autem, quod Clemens Alexandrinae ecclesiae presbyter fuit, quamobrem in Stromatum codice quodam, quem Photius vidit iam pervetustum [2]), inscriptio ferebatur haec: „Titus Flavius Clemens, presbyter Alexandrinus," unde haud dubie Alexandrini cognomen manavit [3]). Itaque etiam apud omnes veteres auctores plerumque appellatur „Clemens Alexandrinae ecclesiae presbyter;" et bis tantum apud Eusebium et semel in Chronic. Pasch. simpliciter nominatur Alexandrinus. Contraque, ut Alexandrini cognomen, Alexandria quamvis non sit Clementis patria, facillime atque aptissime explicari potest, sic quomodo Atheniensis, nisi Athenis natus fuerit, intelligatur, quin exponas probabiliter, dubito. Nam unde factum sit, quaeso, ut plerique (ἕτεροι contra τινας) duobus post seculis eum, cuius nomen Alexandriae, urbe ex opinione tua praeterea patria, floruit, dicant Atheniensem [4])?

---

[1]) Saepenumero homines non tam ex urbe patria, quam ex eo loco, quo nominis famam adipisci inceperant, cognomen sumpsisse, notissimum est. Cf. Suidas s. v. Aristarch.: Ἀλεξανδρεὺς θέσει, τῇ δὲ φύσει Σαμόθραξ. Herodotus appellatus est Thurius, Apollonius Rhodius.

[2]) Cod. CXI.

[3]) Neque igitur „cognomen innuit, Egyptium fuisse Clementem, neque (nam negat hoc Epiphanii testimonium) communis veterum tradit opinio," ut Jac. Bruckero placuit. „Historia Critica philosophiae a Christo nato ad repurgatas usque litteras." T. III. p. 415. De cognomine rectius existimavit Nicolaus Le Nourry in „Apparatu ad biblioth. max. vett Patrum" p. 641 init. „Quo quidem, inquit, cognomine (Alexandrini), ideo insignitus dicitur, vel quod Alexandria oriundus, vel potius quod et in hac urbe diu commoratus et presbyter creatus fuerit. Non enim ita certum est, eum ibi revera ortum, quin plures, teste Epiphanio, crediderint patria fuisse Atheniensem." —

[4]) Guerikius, De schola, quae Alexandriae floruit, cat. p. 30 de hac quaestione Petavium adire nos iubet. Sed Petavius de illo Epiphanii testimonio nihil aliud monet, nisi „qui Clementem patria Atheniensem esse diceret praeter Epiphanium ex Veteribus se vidisse neminem." Quod autem mirans vituperat virum eruditum quendam, qui Clementem patria Atheniensem esse opinetur, ipse miror, quod aliam mirationis vituperationisque causam affert nullam praeter testimonii illius solitudinem. Quid enim? Num Epiphanius Clementem Atheniensem esse dicit? Minime! Sed hoc testimonium sine ullo iudicio complectitur totius aetatis testimonia. — Guilelmus Cave in Scriptorum ecclesiasticorum Historia litt. etc. p. 88 (Basileae 1741) sensu quodam ductus Clementem Atheniensem esse dixerit his verbis usus: „Certe Clementem Athenis natum et educatum indeque accitum ad scholam Alexandrinam translatum esse (inde enim etiam in antiquissimis (!) temporibus scholarum suarum moderatores petere solebant Alexandrini) mihi longe verisimile est." Cuius sententiae causa est falsa. Neque enim Clemens Athenis ad scholam Alexandrinam regendam accitus est, sed profectus veritatem quaerens per totum mundum, donec Alexandriae acquieverit. Id vero ipse eo loco, quem modo sum expositurus, tam aperte

Nec vero desunt in ipsius Clementis scriptis, quae Atheniensem eum esse indicent. Et magni pretii quidem indicium in eo loco inesse arbitror, quo Clemens viros, quos docentes audierit, effert laudibus [1]). Nam quum eos enumeret deinceps, non solum ut tempore progrediente sese excipiant, verum etiam singulas singulorum terras significet: unde sit primo profectus, ubi tandem conquieverit, facile apparet, imo sponte. E Graecia igitur orsus, peragrata Italia inferiore atque magna Asiae parte, in Aegypto „Siculam apem, Prophetici et Apostolici prati flores carpentem animisque audientium integram quandam cognitionem ingenerantem" quum convenisset, beatae doctrinae traditione contentus remansit. Haec est simplex narratio et aperta. At vero fortasse e peregrinatione quadam narrat reversionem! Sed antequam veritatis inveniendae causa peregrinatus est, nunquam eum in Aegypto commoratum fuisse neque ergo Alexandriae natum, ex eis, quibus de Pantaeno loquitur, verbis certe concluditur. Quem tempore quidem novissimum, virtute autem primum, in Aegypto latentem a se indagatum esse dicit. Quid enim? Num praeceptorem publicum gloriae haud exiguae Clemens latentem vocaret, si Alexandriam, urbem patriam, e peregrinatione reversus, hic eum invenisset? Atheniensis vero, cui Aegyptus terra videbatur longinqua, potuit ita loqui; in Atheniensis ore, qui Europam et Asiam discendi causa perscrutatus, postquam, ubi summos viros exspectaverat, multos audivit, etiam quid Africa praeberet, ipsius sibi proposuit oculis adspicere: in Atheniensis, inquam, ore haud inepta habebimus verba: ἀνεπαυσάμην ἐν Αἰγύπτῳ θηράσας λεληθότα.

Atheniensem porro prodit liber, qui inscribitur: Λόγος προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας, ad Graecos, non ad gentes, id quod loco probabimus. Quid autem magis humanae naturae consentaneum, quam eum, qui veritate non sine multo labore inventa beatum se senserit, ad eos primum hortantem converti, quos et patria et moribus et consuetudine proximos sibi agnoverit? Et profecto liber ille ea est indole, ut totum ex intimo animo profusum esse eum intelligas, quem qui legerit considerate, modo in se ipse introspicere soleat naturamque hominis habeat perspectam: sic, inquiet, hortatur civis concives eiusdem nationis et gentis. Argumentum autem,

---

declaravit, ut, cur ille, qui veritatem coniectura assecutus est neque locum ignorat, non videat, vix possim intelligere. Sed quae sunt in promptu, ut assolet, putamus abdita. —

[1]) Strom. I. p. 322 ed. Pott.

quod generale capite primo iam continetur, solos spectat Graecos; fictorum vanitatem deorum iubet deseri, agnosci deum vivum et verum. Sed statim ab initio praeter Graecorum deos nulli nominantur. Nam sermo est de Helicone, de Cithaerone, de Odrysiis montibus, de Thracum mysteriis, de Satyris, de furente Bacchantium turba: „quorum loco Clemens Veritatem cum clarissima sapientia sanctumque prophetarum chorum e coelo deducit in montem dei sanctum“ [1]). At vero infra nonnunquam de aliarum gentium inprimis Aegyptiorum diis nefandisque mysteriis agitur! Sane, ita est. Sed quidquid divini ad gentem barbaram pertinentis memoratur, id aut eam solum ob causam in examen vocatur, quod a Graecis vel poetis vel philosophis in patrium cultum translatum nonnulla passim fruatur vel etiam possit frui probatione, aut ut barbarorum superstitio cum „nugis anilibus“ Graecis comparetur, unde non tam esse appareat, quod Graeci de sapientia sua glorientur. Quam ob causam Graecorum divinorum mentio semper ita fit, ut ea ipsorum, quibuscum auctor loquitur, esse sponte agnoscantur; contraque ceterarum gentium religiones ubicunque producuntur, nunquam sine ipso gentis nomine reperiuntur.

Atheniensem etiam Cyrillus Alexandrinus eum habuisse videtur, qui „Clemens, inquit, sanctos Apostolos ubique sequens, qui plurimas Graecorum historias audiendo acceperat, in Stromatis dicit etc.“ [2]); et alio loco idem eum „virum doctum appellat, eruditum, Graecarum litterarum altitudinem ita, ut ante ipsum pauci fortasse, perscrutatum“ [3]). Nec vero hinc argumentum sumo, sed probat quodammodo id, quod supra demonstratum est. De urbe autem patria hactenus.

De anno porro, quo natus sit, neque constat quidquam, neque potui adhuc quidquam stabilire; unde tamen nescio an cui tam multum detrahatur, nisi forte curiositati, vel potius amori cuidam sollicito, quo virum mirabilem amplectimur. Nam quoad tempus refert scire, ut Clementis presbyteri Alexandrini vera oriatur imago, scimus utique, quum, quin a. 189 p. C. n. scholae Alexandrinae caput exstiterit, nihil sit dubium. Quamobrem quum edu-

---

[1]) p. 3.

[2]) Contra Julianum l. VI. p. 205 ed. Paris 1638. *Κλήμης μὲν γὰρ τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις ἑπόμενος πανταχῆ, πλείστης τε ὅσης Ἑλληνικῆς ἱστορίας εἰς ἀκοὴν ἐλθὼν, ἐν τοῖς Στρωματεῦσι φησὶ....* —

[3]) Ibid. VII. p. 231. *Ὁ Κλήμης, ἀνὴρ ἐλλόγιμος καὶ φιλομαθὴς καὶ ἀναγνωσμάτων Ἑλληνικῶν πολυπραγμονήσας βάθος, ὡς ὀλίγοι τάχα που τῶν πρὸ αὐτοῦ.*

cationem eius, morum temperationem, eruditionem, quaecunque ad totum hominem formandum redundant, in altero seculi secundi dimidio iure ponimus, tum annum natalem inter annos 150 et 160 cadere coniicimus.

§ 2.

Quibus parentibus et qua religione usus fuerit.

Neque etiam, quibus parentibus usus fuerit, satis liquet. Fuerunt autem ethnici. Nam ipsum quidem Clementem inde a prima aetate superstitioni deditum fuisse, ex eo licet colligi, quod loco quodam [1]) peccatorum se veniam naetum esse dicit, quia crediderit. Quibus verbis actionem indicat credendi, non habitum; actionem autem, qua ex non credenti factus sit credens. Sed alibi [2]) aperte declarat: „veteribus abiuratis opinionibus, nuper ad salutem pervenimus.“ Cuius rei testis est praeterea Eusebius [3]).

§ 3.

De educatione eius et conversione.

Quicunque autem fuerunt parentes, quaqua nobilitate, fama, fortuna, virtute frueti sunt: filium optime educandum curaverunt. Scimus enim, omnia, quae consequi ingenio aut diligentia homines possunt, suppetivisse ei adolescenti. Quidquid non Graeci solum, sed totius orbis tum temporis cogniti populi arte et scientia profecerunt: id undique collectum in Clemente sub uno quasi adspectu positum admiramur. Atque quibus usus sit praeceptoribus, dum deos colit falsos, etsi memoriae proditum non est, tamen eruditio, qua est in philosophia omnisque generis litteris, praestantissimorum eum adiutum esse assiduitate et frequentia, ostendit. Simulatque enim christianam doctrinam incepit adamare, quum inde omnem huic operam navaret, quin antea naturalis cognitionis et scientiae copiam gloriamque inter aequales prope infinitam acquisierit, dubitari nequit. Quae tanta fuit, ut Eusebius ipsum appellet „admirabilem .... omnium rerum experientia praeditum virum“ [4]). Quodsi quam copiosus, quam et rerum minutarum et interrogatiuncularum peritus fuerit in mythologia, in historia philosophica ipsisque dialecticis, in poe-

---

[1]) Paed. l. II. p. 205. *Δάκρυα δέ ἐσμεν οἱ ἁμαρτωλοὶ μετανενοηκότες οἱ εἰς αὐτὸν πεπιστευκότες, οἷς ἀφῆκεν τὰς ἁμαρτίας.*

[2]) l. c. I. p. 97: *Τὰς παλαιὰς ἀπομνύμενοι δόξας, πρὸς σωτηρίαν νεάζομεν.*

[3]) Praep. Ev. l. II. c. 2.

[4]) l. c.: *Κλήμης ὁ θαυμάσιος..... πάντων μὲν διὰ πείρας ἐλθὼν ἀνήρ.*

tarum cuiuslibet generis vel nationis cognitione, in multis aliis artibus liberalibus volueris comperire: legas ea, quae scripsit adolescens, i. e. Coh. et Paed. Quibus studiis, quum de nulla eius peregrinatione, quae, antequam doctrinam christianam haberet veram, facta esset, quidquam traditum sit, eum vacuisse verisimile est Athenis, urbe patria. Sed Clemens ea erat voluntate animique bonitate, ut minime studium nimis magnum plurimamque operam in res obscuras atque difficiles conferret aut statim acquiescens incognita pro cognitis haberet, quibus assentiret temere, — quod quantopere ab eius ingenio abhorruerit, videndi opportunitas infra non deerit, — minime igitur eam ob causam omnia addiscere avebat, ut lucrum consequeretur, vanam gloriolam, curiositatis satiatae voluptatem, sed ut, quid in re quaque verissimum esset, perspiceret. Quare introspicere studuit tam in arcana et privata, quam in publica; quae paucorum erant, quae omnium, ea scire cupiebat, deorum cultus inprimis et gentis cuiusque et nationis et civitatis et familiae; mysteriis famosis illis fuit initiatus[1]). Nihil ei erat curae, nisi indagatio veri atque inventio; hoc studium eius omne. Quo studio cum mentis acumine et subtilitate coniuncto, non potuit non fieri, quin, christiana doctrina audita, deorum turbam puerilium pelleret non dubitanter. „Errorem vero cito renuit"[2]).

§ 4.
De primo eius doctore christiano.

Et primum quidem doctorem audivit Evangelium tradentem in Graecia[3]), quem Jonicum vocat, non quo philosophicae sectae Jonicae deditus fuerit, ut J. Clerico visum est[4]), sed quia in Jonia natus fuit[5]). Clericus enim prorsus neglexit, de praeceptoribus agi christianis, minime vero philosophis. Sed praeterea de secta eiusmodi omnis tacet illius aetatis historia. Itemque Caveus[6]), qui

---

[1]) Quae Clemens de mysteriis tradit, ea plane consentiunt cum omnibus, quae Lobeckius libris, qui „Aglaophamus" inscribuntur, nimia fere eruditione efficere ac probare conatus est; ubi dissentiunt inter se, hic plerumque opinione de religione praeiudicata impeditur.

[2]) Euseb. l. c. θᾶττόν γε μὴν τῆς πλάνης ἀνανεύσας.

[3]) Strom. I. p. 322. Τούτων ὁ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος, ὁ Ἰωνικός.

[4]) Cf. Joa. Clerici vitam Clem. Al. in Bibliotheca univer. T. X. p. 76; vel versionem Germ.: »Unpartheiische Lebensbeschreibungen einiger Kirchenväter und Ketzer,« cum Praef. Christ. Thomasii. p. 30.

[5]) V. Lumper, Historia theologico-critica de vita, scriptis atque doctrina S. S. Patrum etc. IV. p. 63—64., ubi Clerici miram opinionem plane explosam reperies.

[6]) „Antiquitates Patrum et ecclesiasticae ... getreulich in's Hochteutsche übersetzt ...." p. 386. cf. argumenta, quae contra Caveum iure protulit J. Clericus l. c. p. 30.

doctorem illum Jonici nomine proprio dici iubet, patriam eidem Coelesyriam tribuens, vehementer labitur. Nam quum Coelesyria ad alterum eorum, quos Clemens in Magna Graecia habuit religionis christianae magistros, spectet, totum locum auctoris perturbat. Recte autem Baltus[1]), ceterorum quoque, quos audierit, virorum patriam a Clemente nominari, animadvertit, unde, Jonicum hoc loco etiam significare aliquem in Jonia natum, sit consequens. Nec vero, id quod Bruckero fieri posse videtur[2]), illud „in Jonia" ita intelligi volo, ut accipere liceat pro: „in Graecia," idque Athenis. Nam etsi, quod a Stephano Byzantino observatum est[3]), „Graecos interdum Jonicos vocari, eo quod ex Jonia in Graeciam descenderint," recte sese habere largiemur: hoc loco idem haud quaquam valere vel propter verborum ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος ὁ Ἰωνικὸς coniunctionem concedendum est. Quamquam neque Graecus Graecos aliter unquam appellabat, quam Ἕλληνας. In Jonia igitur natus primus ille Clementis doctor quisnam fuit? Fuit sine ulla controversia christianus. Ad hos enim, quos Clemens loco l. enumerat, doctores „prima, quae didicerit, litterarum rudimenta ipsaque philosophiae syncretisticae elementa"[4]) referre, levitatis est haud parvae. Quid enim ab eis acceperit, disertis ipse verbis declarat: „veram scilicet beatae doctrinae traditionem"[5]). Sin quod huic Jonico nomen fuerit, quaeramus, quum Philippus Sidetes[6]), cuius quamvis exigua sit in historia auctoritas, tamen ne fama quidem unquam sine omni est veritatis communione, — Philippus igitur Sidetes quum Athenagoram, praeclarum illum christianae doctrinae defensorem, Clementis praeceptorem nominet, videamus, quid de hac narratione iudicandum. Atque utrum Athenagoras Athenis natus sit, nec ne, quum libri eius Apologetici inscriptio[7]), qua, qui eum Atheniensem esse dicunt, nituntur, sit ipsa incerta, disputari potest. Nec tamen, ibi eum aliquamdiu commoratum fuisse, incredibile est, imo probatur hoc quidem aliqua ex parte viri virtute studioque. Quamobrem quum porro Athenagoras, quo tempore Clemens adolescens discendi cupiditate ardebat, eo

---

1) Defens. Patrum de Platonismo accusatorum. p. 435.

2) l. c. p. 417.

3) In *Ἰωνία*.

4) Id quod facit Brucker l. c. p. 415.

5) l. c. *Τὴν ἀληθῆ τῆς μακαρίας .... διδασκαλίας παράδοσιν.*

6) Philippi Sidetae fragmenta ed. H. Dodwellus.

7) *Ἀθηναγόρου Ἀθηναίου φιλοσόφου χριστιανοῦ πρεσβεία περὶ χριστιανῶν κ. τ. λ.*

ipso floreret; ut qui anno fere 177 defensionem suam M. Aurelio Antonino et L. Aurel. Commodo traderet; primum illum Clementis doctorem christianum eum exstitisse licet coniici, unde etiam Athenagoram Jonicum fuisse sequeretur. Sed haec sunt duntaxat aliquo modo probabilia. Nec vero ei, qui de Dionysio Corinthio aut de Caio cogitaverunt[1]), id argumentis idoneis confirmare conati sunt. Quisquis autem fuit ille, Clementem singulari christianae religionis amore affecit. Qui, simulatque barbaram eiusmodi philosophiam cognovit, non iam Graeciae finibus sapientiam circumcludi arbitratus, ubicunque christianae doctrinae fons quidam esset, eo statuit proficisci[2]).

§ 5.
De itinere eius ceterisque doctoribus.

Et primum quidem iter in Magnam Graeciam convertit, ubi duos nactus est praeceptores, alterum in Coelesyria natum, in Aegypto alterum[3]). Deinde quum orientem versus pergeret, iterum in duos incidit, quorum unus erat Assyrius, alter Hebraeus[4]).

---

[1]) Baronius ad ann. 185. n. 4.

[2]) Bruckerus l. c. Clementem Alexandriae et nascentem facit, et adolescentem et docentem. Quae si ita fuerint, de itinere nihil dicendum erit. Arcessit igitur, credo, praeceptores, quos hic enumerat, undique Alexandriam, ut adolescens domi remanens habeat, a quibus, quae voluerit, discat. „Quos, inquit, quum Alexandriae Clemens inveniret, mirum non est, eum in Aegypto conquievisse, nec ad alias philosophiae sedes iter litterarium instituisse.“ Unde etiam concludit, in Aegypto „universalem addiscendae philosophiae methodum tum invaluisse invexisseque syncretisticum illud doctrinae genus.“ p. 416. Sed prima iam verba „loci notatu maxime digni“ male vertere coactus est. Verba enim: *ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος* interpretatur: „ex Graecia“. Explicet etiam velim, quomodo Clemens Pantaenum in Aegypto latentem se convenisse dicat, et quale sit illud beatae traditionis doctrinae genus; Syncretisticum haud facile ita agnosces. Clemens vero quinque doctores nominat, quorum statim locum, ubi quemque audierit, commemorat; deinde patriam.

[3]) l. c. *Οἱ δὲ ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος· τῆς κοίλης θάτερος αὐτῶν Συρίας ἦν, ὁ δὲ ἀπ' Αἰγύπτου.* Sylburgium, pro *οἱ δὲ* legendum esse *ὁ δὲ* coniicientem, errare manifestum est; *τὸ αὐτῶν* enim, quum ad *ὁ Ἰωνικὸς* referri nequeat, *οἱ δὲ* postulat.

[4]) l. c. *Ἄλλοι δὲ ἀνὰ τὴν ἀνατολήν· καὶ ταύτης (τούτων) ὁ μὲν τῆς τῶν Ἀσσυρίων, ὁ δὲ ἐν Παλαιστίνῃ Ἑβραῖος ἀνέκαθεν.* Pro *ταύτης* scribendum esse videtur *τούτων· ταύτης* enim ad nihil nisi ad *ἀνατολὴν* referri potest, id quod vel propter sensum haud satis placet. Praeterea autem illud *τούτων ὁ μὲν* respondet *τῷ θάτερος αὐτῶν.* Deinde vocem *ἀνέκαθεν* nescio an minus recte interpretes vertant: „ex alto ducta origine.“ Si nomen „Hebraei“ non solum nationem, cuius fuerit, verum religionem etiam significet, *ἀνέκαθεν* interpretandum est: „initio“ (ursprünglich). Idem enim declarat *ἀνέκαθεν* in Coh. p. 9. l. 20 cf. p. 118. 31. Quod si ita se habet, ceteros praeceptores initio fuisse ethnicos inde coniicimus. Et sane singulorum patriae huic coniecturae maiorem tribuunt verisimilitudinem.

Denique in Aegypto, idque Alexandriae, quum Siculum quendam convenisset, quem, orbem circumiens, quasi venatus esset latentem, se tandem conquievisse narrat[1]).

Neque igitur, „qui praeter Pantaenum, quem postremo nominatum loco coniiciunt, adhuc quattuor volunt Clementis praeceptores," his assentior, neque eis, „qui tres tantum"[2]). Sed quinque praeter Pantaenum procul dubio sunt numerandi. Nam quum Clemens non modo terras, ubi doctores audierit, lectorem scire velit, verum etiam cuiusque indicet patriam: tot viri intelligantur oportet, quot patriae indicatae[3]). Quarum equidem agnosco sex: Joniam (ὁ Ἰωνικὸς), Coelesyriam (τῆς κοίλης . . . Συρίας), Aegyptum (ἀπ' Αἰγύπτου), Assyriam (τῆς τῶν Ἀσσυρίων) Palestinam (ἐν Παλαιστίνῃ Ἑβραῖος), Siciliam (Σικελικὴ . . . ἡ μέλιττα)[4]). Sex ergo praeceptores etiam admittendi.

§ 6.
De Pantaeno.

Jam vero quamvis, quinam fuerint ceteri, quaestio sit subdifficilis, postremo memoratum Pantaenum fuisse inde ab Eusebio[5]) inter omnes, et qui cogitate et qui temere de Clemente scripserunt, constat. Certe Clemens ipse in Hypotyposibus suis, Eusebio teste[6]), Pantaenum magistrum suum vocat, eumque gravissimum, ut qui eorum, quae scripta sint a se, vere sit parens[7]), id quod cum laude illa: „virtute hic primus erat," adaequatur. Miror autem,

---

[1]) l. c. ὑστάτῳ δὲ περιτυχών· — δυνάμει δὲ οὗτος πρῶτος ἦν· — ἀνεπαυσάμην ἐν Αἰγύπτῳ θηράσας λεληθότα. Post ἀνέκαθεν interpungendum est. Ita enim enumeratio sequitur: ὁ μὲν ἐπὶ τῆς Ἑλλάδος . . . . . : οἱ δὲ ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος . . . . . : ἄλλοι δὲ ἀνὰ τὴν ἀνατολήν· . . . . . : ὑστάτῳ δὲ περιτυχών· . . . ἐν Αἰγύπτῳ. Doctores igitur christianos audivit in Europa, in Asia, in Africa: in Graecia unum, duos in Magna Graecia, in Asia duos, unum in Africa.

[2]) Walch. Miscell. Sacra p. 512.

[3]) Hoc indicium facillime difficillimam quaestionem solvit. Est autem tam apertum atque certum, ut longa demonstratione possim supersedere. Nulla enim alia re opus est, nisi accurata interpunctione, qualem supra in singulis loci partibus significavi.

[4]) Quaeri possit, referendumne sit et illud ἐν Παλαιστίνῃ Ἑβραῖος et Σικελικὴ . . . . ἡ μέλιττα ad eundem unumque doctorem, quod multi affirmant: Bruckerus (l. c. p. 417), I. Clericus (l. c. p. 28), alii. Quid autem? num Hebraeus idem atque Siciliensis? Sed Hebraeum audivit Clemens in Palaestina, apem vero Siciliensem in Aegypto. Discrimen igitur manifestum. Nec porro Clemens, si eundum significaret, ὁ δὲ . . . . ὑστάτῳ scripsisset pro: ὁ δὲ . . . , ᾧ ὑστάτῳ.

[5]) Euseb. h. e. V. 11.

[6]) l. c. V. 11 et VI. 13.

[7]) Nicephorus, h. e. IV. 33. p. 331.

quo iure Walchius[1]), „de patria ... eius (Pantaeni) altum ubique esse silentium," asseveret[2]). Σικελικὴ . . . ἡ μέλιττα scilicet Walchio tam nihil omnino indicare videtur, ut eius ne recordetur quidem. Operae autem pretium est, Valesii argumenta, quibus ex his Pantaenum Siciliensem fuisse consequi probat, audire[3]). „Haec, inquit, Clementis verba (Σικελικὴ τῷ ὄντι ἡ μέλιττα κ. τ. λ.) omittere non debuit Eusebius. Ex his enim colligi videtur, Pantaenum ex Sicilia oriundum fuisse. Annon id apte innuunt haec Clementis verba: Σικελικὴ τῷ ὄντι ἡ μέλιττα etc.? Quum enim praecedentibus verbis Clemens Pantaenum designet, ut testatur Eusebius, haec quoque ad eundem Pantaenum referantur, necesse est. Siculam igitur apem eum nominat Clemens, eo quod e Sicilia esset oriundus. Cur enim Siculam potius apem vocaret, quam Atticam? P. Halloixius in vita Pantaeni ait illum fuisse genere Hebraeum, idque ex Clementis verbis colligit. Verum Clemens plane contrarium innuit. Nam Hebraeum quidem illum ait a se auditum esse in Oriente, Pantaenum vero in Aegypto." Habeo autem, quae addam, argumenta: unum, quod quum, quinque doctorum praeter locum, quo docuerint, patria nominetur, sexti doctoris hanc non omitti verisimile est. Terra quidem, ubi scholas habuit, dicta est; est enim Aegyptus. Quid ergo dubitemus, vocem Σικελικὴ ad patriam referre? At vero quaenam est ista narrandi ratio. Imo hoc ipsum, quod non dicit „Siciliensis," sed „apis Siciliensis," me movet, ut de patria sermonem esse arbitrer. In qua designanda varietatem hoc loco amare videtur Clemens. Primum enim dicit: ὁ Ἰωνικός; deinde τῆς . . . Συρίας ἦν; tum: ἀπ' Αἰγύπτου; tum: τῶν Ἀσσυρίων; deinde rursus: Ἑβραῖος; deinque: Σικελικὴ μέλιττα. Alterum autem argumentum in eo pono, quod scriptum non est simpliciter μέλιττα, sed cum articulo ἡ μέλιττα. Nam si Pantaenum apis instar fuisse tantum dicere voluisset, illud ἡ supervacaneum fuisset. Sed certum hominem e Sicilia ortum, diligentissimum illum quem norunt omnes, et admirabilem, qui est μέλιττα ἡ Σικελικὴ, non solum tanquam μέλιττα Σικελική[4]). Fuit autem „Pantaenus Stoicae sectae philosophus"[5]), ut veteres

---

[1]) l. c. p. 513. §. 5. cf. I. Cleric. l. c. p. 35.

[2]) Guerikius (l. c. p. 24), nihil, ut assolet in libro. l., iudicans: „Pantaenus, inquit, sive [aut] (ex sententia Philippi Sidetae) Atheniensis, sive [aut] Siculus."

[3]) Quae profert, ut locum, quo de agimus, ab Eusebio citatum explicet.

[4]) Nescio, quibus de causis Jo. Alb. Fabricius (in Bibl. Graeca l. V. p. 102.) Pantaenum Atheniensem esse statuat.

[5]) Hieron. cat. c. 36. cf. Euseb. h. e. V. 10. *Ἀπὸ φιλοσόφου ἀγωγῆς τῶν καλου μένων Στωϊκῶν ὁρμώμενος.*" cf. Euseb. Chron. II. 295.

memoriae prodiderunt. Unde tamen nihil aliud iure colligitur, nisi Stoicos ab eo esse auditos. Utrum Stoicorum principiis prorsus deditus fuerit, an minus, ipsius scriptis carentes diiudicare non possumus[1]. Hoc scimus, Clementem non de philosophia Stoica ab eo accepta sibi gratulari, sed gratiam ei habere propter beatam doctrinam christianam[2]. Sed Pantaenus, dum a Clemente auditur, scholae Alexandrinae praefuit[3].

§ 7.
Quo tempore Clemens presbyter factus sit et scholae Al. rector.

Clemens igitur, quum litteris artibusque liberalibus imbutus, tum salutis scientia instructus, christianus factus est gratia quidem divinia, sicut omnes, qui hoc nomine salutari excellunt, sed persuasione etiam permotus uberrima et laetissima.

Quare evenit, ut ascenderet ad id, quo nihil maius, nihil excellentius, nihil coelestius. Ecclesiae enim Alexandrinae adscriptus est sacerdotali dignitate ornatus[4]. Quod quo anno factum sit, suspicari licet, non statuere pro certo. Eusebius enim ad a. 195 eum πρεσβύτερον nuncupat. Primo igitur, quo Demetrius Alexandrinae ecclesiae episcopatu fungebatur[5], quinquennio, presbyter consecratus esse videtur. Fortasse autem iam antea, ut mox videbimus.

Eodem autem episcopo etiam scholae illius celeberrimae regendae munus suscepit. Quamquam, quum scholam rexisse eum constet, de tempore modoque huius regiminis multa est dissensio. Et primum quidem haec consideranda sunt, quae Hieronymus tradit:[6] „Clemens, Alexandrinae ecclesiae presbyter, Pantaeni . . . auditor, post eius mortem Alexandriae ecclesiasticam scholam tenuit, et κατηχήσεων magister fuit.“ Contraque Phillipus Sidetes Pantaenum Clementi mortuo succedentem facit[7]. Quod utrumque ita consentire arbitrantur Caveus, Dodwellus, Fabricius[8], ut Cle-

---

[1]) Philippus Sidetes eum Pythagoreum habet.

[2]) l. l.

[3]) De Pantaeno videas Guerikium l. c. p. 24—30, qui omnia, quae apud Eusebium, Hieronymum, Nicephorum, Philippum Sid., alios exstant, diligentissime collegit.

[4]) Hieronymus, De vir. ill. c. 38: „Clemens, Alexandrinae ecclesiae presbyter.“ cf. Euseb. h. e. VI. 11.

[5]) Demetrius a. 190 episcopus creatus est. Euseb. h. e. V. 21.

[6]) l. c.

[7]) l. c.

[8]) Caveus. l. c. p. 388., Dodwellus l. c. p. 501 sqq., Fabricius, Bibl. Gr. l. V.

mens Pantaeno in Indiam profecto suffectus sit, idem tamen huic reduci cesserit superstiti, mortuo rursus successurus. Guerikius denique, qui iter Pantaeni in Indiam ante a. 180 cadere censet, inde a quo anno usque ad annum 211 saltem scholae praefuerit: Pantaenum a Clemente multos per annos adiutum esse suspicatur, „primarium scholae catechetam, eoque mortuo, successisse in principatu Clementem"[1]). Cui iam nonnullas dubitationes solvendas proponam[2]). Quod igitur est suspicatus, id aliqua ex parte reddidit probabile. Quod vero eo modestiae progreditur, ut iubens exclamet: „si cui autem iccirco Hieronymi de Pantaeno a Demetrio in Indiam misso narratio magis arrideat, is ne ultra Eusebium sapiat caveto!" dum ipse valde ultra Hieronymum sapit, id non probo. Quid enim? Num Eusebius labi nequit? Hieronymus autem, potuitne ex alio fonte notitiam illam haurire? Unde tandem necessitas illa, qua Eusebius ab Hieronymo male intellectum esse potius nobis sit statuendum, quam correctum? De Demetrio certe Eusebii loco, quo de agitur, sermo non est. Itaque hoc ab Hieronymo ex Eusebii verbis coniectum esse coniicit Guerikius. Sed ex quibus et quo iure? Certe non ex Hieronymi verbis[3]). Deinde autem, si Pantaenus usque ad annum 211 „saltem munere scholastico functus est"[4]), quando, quaeso, idem administravit Clemens? Nam hunc post annum 203 Alexandriae fuisse, nescio an ullo possit testimonio probari. At vero „nomine (tantum) fortasse ad mortem usque scholam gubernavit" Pantaenus! [5]) Sed Eusebii verba[6]),

---

[1]) l. c. p. 26—33.

[2]) Guerikius l. c. p. 29: „Jam, inquit, per se veri est dissimillimum, Pantaenum, neglecto munere certo, ... ad Indos esse profectum." Haec pro argumento vel propter id solum non habeo, quod Pantaenus christianus fuit, idque catholicus. Hic enim non est in mundo, ut certo fungendo munere se ipsum quaerat atque admiretur, sed ut, providentiae confidens, ibi bene agat, quo ab episcopo se missum agnoverit; huic, si quid vel negligentia eius vel studio ecclesia detrimenti ceperit, culpa nascente soli.

[3]) Hoc divinationis dono exstructus est Redepenningius, ut coniecturae Hieronymi coniectae rationes non modo ipse coniiciat, verum etiam accuratissime sciat. l. c. p. 67.

[4]) l. c. Verba Guerikii haec sunt: „Ante hunc annum (211) Pantaenus mortuus esse nequit; per triginta igitur annos saltem munere scholastico; si ad mortem usque, functus." Sed utrum ad mortem usque, si quaesiveris, nec ne, responderit: ad mortem usque, quum, Eusebio duce, „rerum a Pantaeno gestarum ultimam fuisse" affirmet, „quod scholae nostrae praefuerit." —

[5]) Guerikius, l. c. p. 27—28.

[6]) h. e. VI. c. 6. *Πάνταινον δὲ Κλήμης διαδεξάμενος.*

quo auctore Clemens ante annum 203 Pantaenum exceperat, minime eam interpretationem admittunt, ut Pantaenum nominatum esse, fuisse autem Clementem scholae rectorem significent. Διαδέχεσθαι enim est et nomine et re succedere[1]). Nec vero solum ante annum 203 Pantaenum τῶν κατηχήσεων munere abscessisse nobis est persuasum, vernm pluribus etiam annis ante statuimus eo, quod Origenis non fuit praeceptor. Hic enim, quum Clementis discipulus ut Clemens Pantaeni ab Eusebio[2]) nihil dubitante appelletur, tum a nemine antiquorum in Pantaeni discipulis numeratur. Imo Origenes ipse, etsi Pantaenum commemorat tanquam virum, qui multis (docendo) profuerit, tamen se eum imitari potius dicit, quam ipsum inter hos multos ab eo adiutum ex discipulo similem factum esse doctorem[3]). Pluribus igitur annis ante a. 203 Clemens scholam rexit. Neque, quo tandem anno Pantaenum exceperit, ad discernendum ita est difficile. Etenim Pantaeno aliquanto ante a. 203 munere abscedente, quem Hieronymus a. 189 a Demetrio in Indiam missum esse narrat, quid impedit, ne Clementem eodem anno ei successisse statuamus? Redepenningius, historica itineris ratione neglecta, ut rem incredibilem reddat, comparat Apollinem Tyanëium, quem sapientiae alte repetendae causa Philostratus in Indiam faciat profectum. Sed narrationem integram si tenuerimus, nihil erit incredibile, imo omnia verisimillima per se, modo Apostolorum itinerum recordemur. Clementem autem iam tum scholae praefectum fuisse ut credamus, monet alterum argumentum. Exhortatio enim ad Graecos ante a. 192, ut infra videbimus, composita est. Atqui hanc sine dubio ab eo scriptam est ut catechista demonstrabimus. Cur ergo, itinere Pantaeni agnito, quod temere reiici haud oportet, Clementem a. 189 scholam regere incepisse non iure nostro statuamus? Statuimus minime dubitanter. Sed sunt veterum testimonia, quae Pantaenum a Clemente adiutum esse aperte declarant. Quod nisi intra annos 190—203 posueris, quo tempore id factum esse dices? Dicam. Verum quidem est, eiusmodi aliquid sequi ex Eusebii loco quodam[4]), quem Nicephorus interpretatus est[5]). At enim cadit haec res sub Com-

---

1) Quam vim verbi *διαδέχεσθαι* et in universum et apud Eusebium observamus.

2) h. e. VI. 6. cf. Photii cod. 118. p. 297.

3) Ap. Euseb. h. e. VI. 19: *μιμησάμενοι τὸν πρὸ ἡμῶν πολλοὺς ὠφελήσαντα Πάνταινον.*

4) H. e. V. 11.

5) IV. 33. p. 331.

modum imperatorem. Nam illud κατὰ τοῦτον (χρόνον) apud Euseb. ad id tempus spectat, de quo actum est capite superiore decimo, i. e. ad Commodi imperium, idque inde ab anno 180 usque ad 190, Quamobrem cap. sequenti (XII.) Narcissum quoque commemorat episcopum Hierosolymitanum, quem anno 190 et iam tum florere monet cap. 21. Quodsi Clementem Pantaeni adiutorem evadere e loco Eusebii cit. ut concedam, postulaveris, obsequar quidem, modo ex eodem necessario concludi, intra a. a. 180—190 alterum ab altero adiutum esse, fateare. Quod quidem vel eo fit verisimilius etiam, quod Pantaenus, ut Redepenningius recte contra Guerikium agnoscit[1]) ante annnm 180, Eusebio teste, scholam Alex. iam regebat, ut sic quidem decem regiminis annos saltem ei tribuere possimus.

§ 8.

Qualis fuerit Clemens.

Clementis igitur gloria, inde ab anno 189 nascens, mox crescit, in summam venit admirationem. Juvat autem virum hic consideratius contemplari. Et natus quidem quum esset nobili fortasse loco, certe divite et paene in litteris, nihil fere vel urbani vel moris lautioris vel cognitione inprimis digni alienum a se putavit. Quibuscunque domus opulens utitur rebus, has novit omnes, nomine quamque proprio. Omnem supellectilem nominat, unde petita, quomodo et qua re facta sit, non ignorat. Quidquid mores, nimis lapsi ad mollitiam, commoditatis, quidquid luxus excogitavit, Clementem non fugit. Artes porro, quas culina, famosa illa innumerabilium mirabiliumque rerum inventrix, exercet, deliciasque, quas undique conquirit, locum, qui delicatiorem quemque cibum praebet, optime tenet memoria. Itemque quae habentur decora in conviviis, quae impudenter agi solent, quae laudantur, quae vituperantur: horum et cunctorum et singulorum est peritissmus[2]). Ut brevi dicam: quum in litteris a pueritia diligentissime versaretur, tam ne a minimis quidem vitae quotidianae, quam vocamus, privatae, publicae abhorruisse videtur, ut a paucis singulorum notitia superaretur. Quid autem de eius litterarum scientia dicam? Jam qualis hac fuerit, in universum supra indicavimus. Sed nonnulla addam singula. Itaque res gestas non Graecorum tantum, imo omnium gentium, totius generis humani, quatenus tum temporis omnino cogniti, quamvis remotas et abditas, in

[1]) l. c. p. 67.

[2]) cf. Paedag., inprimis l. II.

promptu habet. Cuius rei argumenta in omnibus operibus eius ubique se offerunt quasi sponte. Sin uno tanquam adspectu videns admirari plenissimum eius historiarum thesaurum ex sinceris atque integerrimis quibusque fontibus haustum volueris: legas Strom. l. I. caput XXI[1]), ubi vetustatis chronologiam, quam vocant, exponit. Philosophorum autem placita ita didicit, ut quorumcunque discrimina internosceret. Quintum iam Cohortationis caput brevem philosophicorum principiorum historiam exhibet[2]). At multo accuratius singula deinceps, opportunitate data, tradit atque examinare saepenumero haud sine acumine conatur; id quod inprimis e Stromatum libris comperire licet. Nec vero philosophorum rationes sententiasque cognovit ea sola de causa, ut ab eis nihil traditum esse nisi mendacia atque errores demonstraret, sed id potius efficere studuit, ut et vera a falsis secerneret, et optimam philosophandi rationem sibi seligeret. Et hoc quidem satis luculente probatur Strom. libro VIII, de quo multum infra erit disputandum. Optimam vero rationem agnovit Aristoteleam, idque eo modo, ut minime, iudicio proprio neglecto, prorsus ex illo penderet veterum philosophorum principe. Clemens igitur philosophus ab Aristotele valde adiutus, sed sui iuris, excellit inter omnes suae aetatis philosophos[3]). Jam vero quomodo in poetis versatus sit, versuum copia ostendit, quos ex omnibus, quos ipsi novimus, veterum poetarum scriptis passim citare solet. In quibus etiam multa videmus, quae nobis alibi servata non sunt. Atque ipsius ingenium poeticum, quale fuerit, inprimis ex praeclaro „Hymno Christi Servatoris," quo Paedagogo coronidem atque coronam imponit, elucet. Musicorum porro eum esse peritum ea docent, quae Paed. l. II. capite IV. continentur[4]). In physiologia et medicina autem quantum profecerit, multa indicia habemus, e. g. p. 121 sqq.; p. 179; p. 220—221; p. 224 sqq.; p. 291 sqq. Sed longum est, omnes, quibus pollebat, disciplinas enumerare. Verumenimvero accessit his omnibus mira in eo christianae doctrinae copia. Dum enim orbem, illustrissimum quemque doctorem christianum auditurus, peragrat, quo erat veritatis amore, ad plenam dogmatum notitiam intelligentiamque pervenit. Evidentia

---

[1]) p. 378—409.

[2]) p. 55—58.

[3]) Quid de vulgari opinione, qua Clementem Al. philosophum ἐκλεκτικὸν, quem dicunt contemptim, ex loco quodam non intellecto faciunt, iudicandum sit, si postea de Clemente philosopho agemus, fore spero, ut appareat. Tum vero neque ceteras opiniones huc pertinentes negligemus.

[4]) p. 192—195.

et animata verba qui audiret, se dignum esse habitum dicit[1]). „Sicula, inquit, revera apis, Prophetici et Apostolici prati flores carpens sinceram quandam ingeneravit audientium, (inter quos ipse fuit,) animis cognitionem. Sed illi (doctores omnes, quos audierat,) veram beatae doctrinae traditionem ita servantes, ut statim a Petro, Jacobo, Joanne, Paulo, sanctis Apostolis, filius a patre acciperet...: illa Apostolica a maioribus tradita semina depositurі ad nos quoque, deo propitio, venerunt"[2]). Sincerus et ipse huius doctrinae ab Apostolis traditae, quae sola hominem beare potest, interpres exstitit[3]). Nec vero unius traditionis illius, quae ita servatur, ut filius a patre accipiat iterum tradendam peritissimus erat, sed totum S. S. Scripturarum argumentum, scriptis ipsis testantibus, in promptu habebat. Et haec quidem de materia, quae ei praesto erat. In qua acquirenda haud dubie adiutus est non solum rebus externis secundis, sed etiam celeritate quadam percipiendi, memoria, diligentia, studiorum assiduitate. Neque rudis erat materia illa in eo atque inordinata, sed iudicio veris a falsis segregatis, ingenio atque sollertia eam in ordinis pulchritudinem adductam invenies, ubicunque certum ordinem esse ipse voluerit. Materiae igitur mixta in eo inerat animi forma, partim naturalis, partim exercitatione nata. Itaque quum esset ingenio acri, magna subtilitate, cogitationis nimia paene ubertate, in materia tractanda haec tria potissimum scribendi rationis suae propria non potuit non habere: vim quandam ordinandi pro rei cuiusque natura et figura[4]), perspicuitatem[5]), miram describendi facultatem[6]). Quamquam his non semper utitur. Nam quum dei gloriam hominumque salutem solum docendi finem haberet, saepe fieri debebat, ut omnia ubique ad artem et praecepta revocare negligeret consulto. Sed hac de re postea plura! Hinc autem evenit, ut totius rei propositae non raro libenter paulisper oblitus singula persequeretur[7]). Et sic quidem, ut nulla quaestio ipsius aetate agitata in disputationibus eius prorsus praetermitteretur, effectum est. Accessit autem urbanitatis quasi innatae iucunditas,

---

1) p. 322 init.
2) Ibid. lin. 14—22.
3) De Clemente theologo etiam infra disseremus.
4) cf. p. 99. 2—6. p. 162; singulorum librorum prooemia.
5) cf. e. g. p. 72—77 quaestionem, num consuetudinem, quod a maioribus sit accepta, retinere debeamus; librum porro de divite servando; multa alia.
6) cf. p. 171. inprimis p. 180 ebrii descriptionem; p. 183, 25 sqq.; alia.
7) e. c. p. 121—122.

subtilis decori sensus, custosque illa omnium virtutum verecundia[1]). Ea denique morum est integritate, ut sancto quodam spiritu in scriptis eius afflemur. At vero, quantaecunque est sanctimonia et pietate, nihil tamen practer modum, nihil intemperati in eo reperies. Dei amore flagrat vehementissime, nec vero sine cognitionis lumine; σωφροσύνη admirabilis illa in omnibus dux eius apparet[2]). Ita igitur comparatus atque ad sinceram beatae doctrinae traditionem propagandam instructissimus a. 189 scholae Alexandrinae caput exstitit satis dignum. Quodsi et scientia et vita idoneus, qui illam regeret, videbatur, attamen dignitas auctoritatem eius perfecit. Nisi enim egregie fallor, iam tum erat presbyter Alexandrinus. Quod inde colligo, quod omnia opera ab eo scripta esse presbytero verisimillimum est. In Protreptico quidem ipse se numerat inter legitimos omnium hominum vitae aurigas, quod, nisi presbyter iam fuerit, nescio quomodo possit explicari[3]). Paedagogum autem a Clemente presbytero compositum esse, manifestum est. Nam nihil his verbis primi Paed. libri apertius: „Pastores, inquit, sumus, ecclesiarum duces ad boni Pastoris imaginem; vos autem oves"[4]). Stromata vero post Paedagogi libros edidit.

§9.

Quo anno Alexandria decesserit nunquam rediturus.

Sed Clemens, qui ipsius aetate parem doctorem habuit neminem, aequalibus et christianis et ethnicis uberrimus doctrinae atque salutis fons agnitus est. Itaque schola celeberrima per tredecim circiter annos ab eo recta in dies magis florescit, crescit Christianorum numerus ex nobilissimis doctissimisque ethnicis auctus. Postquam autem inde ab a. 189 vel 190 usque ad annum 203 muneri praeclaro praefuit, scriptis omnibus, quae exstant operibus, persecutionis Severo ortae imperatore periculum declinans Alexandria decessit a. 203 ineunte[5]). Certe quidem ei felicissimo invisae religionis propagatori mors imminebat Alexandriae remanenti. Sed cur temere mortem obire noluerit, causam ipse ingenue fatetur. Et marty-

---

[1]) p. 225. veniam petit, quod ad auditorum utilitatem de eis, quorum pudeat per se, loquatur. Cuiusmodi excusationes non rarae sunt.

[2]) Id optime discitur ex eis, quae Strom. l. III de continentia praebet. —

[3]) Protr. p. 73. 22 sqq. ita ethnicos alloquitur: *Τοὺς ἡνιόχους ὑμῶν τοῦ βίου ἡμᾶς ἐπιποθοῦντες . . . . ὑπολαμβάνετε. κ. τ. λ.*

[4]) Paed. I. p. 120. 28—30: *Εἴγε ποιμένες ἐσμὲν οἱ τῶν ἐκκλησιῶν προηγούμενοι κατ' εἰκόνα τοῦ ἀγαθοῦ ποιμένος· τὰ δὲ πρόβατα ὑμεῖς.*

[5]) Euseb. h. e. VI. 1. et 3.

rium quidem ut tale summis effert laudibus. „Nos, inquit, consummationem vocamus martyrium, non quod vitae finem homo acceperit, ut ceteri solent loqui, sed quod perfectum (consummatum) opus ostenderit caritatis"[1]). Quare vituperat illos, qui quum in sola veri Dei cognitione ponant martyrium, eum, qui per mortem Deum confessus fuerit, se ipsum occidisse contendant. In eiusmodi sophismate nihil magis apparere quam timiditatem. Nec vero minus aliorum reprobat opinionem, qui propter odium in Creatorem, quem malum habeant, de industria quaerendam esse mortem velint summoque studio ipsi se tradere conentur. Hos autem vanae se ipsos tradere morti haud aliter atque Indorum Gymnosophistas, qui temere se coniiciant in ignem[2]). Causam vero, cur haec temeritas reiicienda sit, dilucide explicat in Strom. l. VII. „Nemo, inquit, praeter rationem fortis est Gnosticus, quoniam (si esset) pueros qnoque dixeris fortes, qui formidolosorum ignorantia sustinent timenda; ignem, e. c., ita tangunt. Quin etiam feras rationis expertes, quae in hastas incurrunt fortes, virtute dicant praeditas. .... Qui autem revera fortis est, quum multitudinis aemulatione in manifestum periculum sit adductus, quidquid occurrit, alacri animo suscipit; itaque ab aliis, qui martyres dicuntur, discretus est. Hi enim sibi ipsi occasiones praebentes se in ipsa pericula praecipitant nescio quomodo (si loqui sic fas est); at illi vero (qui sunt revera fortes), primo rationi convenienter se occultant; deinde autem Deo reapse vocante prompto animo se tradentes vocationem, eo quod nihil temere a se factum esse conscii sunt, confirmant, et viri illius in vera ac rationi consentanea fortitudine probandi imaginem praebent"[3]). Clemens igitur a. 203 ineunte primo rationi convenienter periculum declinavit Dei vocationem exspectaturus. Tam temeritatem despexit, quam timiditatem. Alexandria autem in Cappadociam abiisse videtur, ubi Alexander, qui eum audierat, tunc episcopus erat. Hic enim et Origenes inter Clementis auditores excellunt[4]). Certe a. 211[5]), quum Alexander per eum Antiochensibus de novo episcopo, Asclepiade, gratulandi causa epistolam mitteret, iam diu in Cappadocia commoratus fuerat. Nam: „Misi,

---

[1]) Strom. IV. p. 570. 7 sqq.: *Αὐτίκα τελείωσιν τὸ μαρτύριον καλοῦμεν, οὐχ ὅτι τέλος τοῦ βίου ὁ ἄνθρωπος ἔλαβεν, ἀλλ' ὅτι τέλειον ἔργον ἀγάπης ἐνεδείξατο.*

[2]) Ibid. p. 571.

[3]) p. 871.

[4]) Euseb. h. e. VI. 14.

[5]) Euseb. Chron.

ait Alexander, has litteras vobis per Clementem beatum presbyterum, virum virtute clarum probatumque, quem vos quoque et nostis et cognoscetis, qui etiam quum hic secundum Dei providentiam et moderationem adesset, ecclesiam confirmavit ac provexit"[1]). Quam missionem Moehlerus[2]) minus recte ad illud tempus refert, quo Alexander fuerit episcopus Hierosolymitanus, quem ut vinctum epistolam ad Antiochenses scripsisse scimus[3]), sic eum non Hierosolymis, sed in Cappadociae urbe quadam, cuius episcopus erat, in vinculis fuisse liquet. Namque propter id ipsum, quod in persecutione fortiter Christum confessus erat, Eusebio teste[4]), Narcisso seni suffectus est. Quodsi Alexander litteras illas in vinculis scripsit,[5]) Clementem et in Cappadocia tum ipsum fuisse, et huius regionis ecclesiam confirmasse atque auxisse manifestum est. E Cappadocia igitur Clemens Antiochiam profectus est. Jam vero etiam antea eum hic paulisper versatum esse probabile videtur, quum Alexander scribat: „quem vos quoque et nostis et cognoscetis." Quae quum ita sint, Alexandria fugiens primo fortasse Antiochiam conversus, postea in Cappadociam migravit ad amicum; multis vero post annis rursus Antiochiam[6]). Sed nihil ultra de Clementis vita veterum testimoniis probari potest. Utrum Hierosolyma cum Alexandro perrexerit, an Antiochiae manserit, dici ne probabiliter quidem posse arbitramur. Alexandriam autem eum non esse reversum habeo persuasissimum. Quae enim de hoc reditu ab hominibus eruditis narrantur, omni fundamento historico carent.

Quis enim eo temeritatis processerit, ut, quod „Hieronymus Clementem Severo et Caracalla imperatoribus floruisse affirmet,"[7]) eum ideo Caracalla imperante Alexandriae potissimum floruisse idque scholam regentem contendat! Rationes autem, cur eum Alexandriam rediisse negamus, hae sunt. Origenes, ut a levissimo

---

1) Euseb. h. e. VI. 11. Hieron. cat. 38.

2) Patrol. I. p. 432. cf. Cave, l. c. p. 390.

3) Euseb. l. c.

4) Euseb. l. c. 8. Verba quidem: „Quem paulo ante Hierosolymitanae ecclesiae episcopum fuisse significavimus," repugnare contra sententiam nostram videntur. Sed haec valent de tempore, quo Origenes presbyter consecratus est.

5) l. c. „Vicula mea etc."

6) Fortasse in primo iam itinere suo e Graecia per Asiam in Aegyptum Clemens venit Antiochiam. Sed tum certe discipulus, cuius Antiochenses haud facile memoriam retinuissent.

7) Guerikius l. c. p. 35.

momento ordiar, Caracalla imperatore, Papa Zephyrino, Romam quum profectus esset ecclesiam antiquissimam visurus, Eusebius haud ita multo post eum reducem, Demetrio episcopo vehementer postulante, scholae iterum moderationem suscepisse narrat[1]). Item quoties idem scriptor de Origenis itinere quodam locutus est, statim eum ad consuetam scholam reversum esse addit[2]). Quamobrem hoc quidem suspicionem saltem movet, quod de Clementis reditu omnino tacet. Demetrius porro, si Clemens Caracalla imperatore scholae praefuisset, nescio an tam vehementer ab Origene postulasset, ut ex itinere quam celerrime reversus scholam iterum regeret. Deinde autem, ubicunque apud Eusebium post annum 203 de scholae rectore sermo est, Origenes tantum nominatur. Tum vero diserte declarat Eusebius, primis Caracallae imperatoris annis[3]) Origenem solum esse, qui vacet catechizando.[4]) Denique Eusebius eo loco, quo id, quod omiserat de Origenis pueritia, adiicit, Clementis, inquam, discipulum eum fuisse, Severo imperatore Stromatum libros ab illo absolutos esse indicat. Dicit autem, id ita sese habere inde manifestum esse, quod in primo libro Clemens ad mortem usque Commodi tempora describat. Eusebius igitur id tantum quaestionis esse iudicat, utrum Commodo imperatore e Stromatis nonnulla iam scripserit, nec ne; de Caracallae aetate nihil quaerit. Itaque cur tandem illud manifestum esset, si Clemens Alexandriae Caracalla imperante etiamtum docuisset? Sed quia post annum 203 eum nunquam Alexandriam, ubi Stromata sunt edita, rediisse inter veteres constat, ita argumentatur Eusebius: siquidem primus Stromatum liber Severo imperatore scriptus est, omnes eodem imperante compositi sint necesse est.

§ 10.

Quid reliquum de vita eius sciamus.

Quae quum ita sint, Clementem postremo vidimus a. 211 e Cappadocia Antiochiam proficiscentem. Unde venerit primo, postremo quo vaserit, nescimus. Attamen quo animus viri vere christiani vaserit, ausit aliquis dicere. Nec vero ubi, neque etiam

---

[1]) h. e. VI. 14.

[2]) h. e. VI. 20 et 21.

[3]) Eisdem, quibus secundum Guerikium Clemens Pantaeno successit!

[4]) h. e. VI. 15. Quum se discipulis solum satisfacere non posse propter multitudinem eorum intellexisset, Heraclam collegam in schola assumpsit.

quando mortuus fuerit, satis liquet. Sed ultra annum 217 mortem eius non cadere nonnulla cum probabilitate licet statuere[1]). Guerikii enim coniectura,[2]) qua, si vera esset, „circiter annum 213 Clementem mortuum esse censendum" foret, inde manavit, quod eum post persecutionem ad scholam reducem, dum viveret, Alexandriae docuisse falso opinatus fuerat.

Jam vero Clementis discipuli quum multi fuerint praeclari, tum duo nominantur, qui, ut supra iam monuimus, inprimis excellunt, alter ecclesiastica dignitate, scientia alter, Alexander, Origenes[3]). Atque ille quidem valde gloriatur, tali se usum esse praeceptore, „patre beato, qui viam sibi praeiverit sequendam, qui plurimum se adiuverit."[4]) Quas laudes si cum eis comparaverimus, quibus eundem Clementem effert Alexander in epistola ad Antiochenses, quanta pietate in eum fuerit, intelligemus, Erat enim Clemens non doctrina solum et eruditione admirabilis, sed etiam animi candore et honestate amabilis; cuius rei veteres testes sunt locupletissimi, qui tanta gloriae eius copia abundant, ut Clementis nomen, quamvis id ipsum non semper spectent, ut eum, praedicent, vix tamen non addita laude eximia pronuntient. Itaque Eusebius eum nonnunquam cognomine „admirabilis" ornat,[5]) quem Alexander episcopus laudaverat „virtute praeditum probatumque." Theodoretus eundem appellat „virum sanctum,"[6]) Chronicon Paschale nominat „sanctissimum,"[7]) vocat „beatum" Jo. Damascenus,[8]) imo in Martyrologiis Usuardi in sanctos relatus invenitur. Quae quum ita se habeant, omniaque eius scripta integritatem, sinceritatem, sanctitatem, tenerrimam dei hominumque caritatem prodant, etsi dies eius festus inde a Benedicto XIV, historiae argumentis non satis expletis, non iam celebratur, attamen eum duco sanctum. Sed iuvat viri satis acuti, Sollerii addere verba: „Quam magnae, inquit, et verae sunt congestae ab Eusebio in Meletium laudes, tam praeclaras, imo fortasse maiores meretur clarissimus et celeberrimus scriptor Clemens cognomento Alexandrinus.........

---

[1]) Hieron. cat. 38. „Floruit autem Severi et Antonini filii eius temporibus."
[2]) l. c. p. 35.
[3]) Orig. Opp., ed Ruaei, I. p. 6. Euseb. h. e. VI. 6. Phot. cod. 118. p. 297.
[4]) In epistola quadam ad Origenem apud Euseb. h. e. VI. 14.
[5]) Euseb. Praep. Ev. II. 2. IV. 16: Κλήμης ὁ θαυμάσιος.
[6]) Haeret. fab. I. c. 6: ἱερὸς ἀνήρ.
[7]) p. 7: ὁ ὁσιώτατος.
[8]) De duabus Christi voluntatibus.

Non satis perspicio, quo scrupulo duci potuerint Romani Martyrologii reformatores, ut tam illustrem virum ex sacris Tabulis expunctum vellent. Vide Henschenium tomo 6 Maii p. 777. litt. F. Est, qui putet, Baronium absterritum fuisse, quod Clementis opera inter apocrypha a Gelasio relata sint"[1]). Sed de hac quaestione altius repetere, Martyrologii esse videtur, nec vero huius loci.

---

[1]) Joann. Bapt. Soller, Societ. Jesu Theologus, in Observatione editionis suae Marfyrologii Usuardi ad d. 4 Dec. —

Caput II.

De scriptis Clementis Presb. Al. generaliter.

§1.
De codicibus mss.

Clementis litterarum laudem religionisque pietatem si consideraveris, quidquid scripserit, id ab aequalibus haud sine magna laetitia et salutis inde manantis aviditate quadam susceptum esse, nihil mirabere. Et profecto factum est, ut operum eius codices manuscripti seculo quarto omnibus christianis non plane rudibus essent in manibus. Certe Eusebius hoc appertissime testatur¹). Quum enim veterum auctorum testimonia quaedam a Clemente laudata commemoret, hanc ob causam ea ad verba transscribere non vult, quod omnes facillime operibus ipsis uti possint. „Quorum, inquit, verba subiicere prorsus sit supervacaneum, quum ipsorum Clementis scriptorum quivis habeat copiam.“ Attamen temporum iniuria atque hominum incuria plerique codices manuscripti periisse videntur. Adhuc enim perpauci tantum inveniri potuerunt, qui an optimi sint, nescio. Sunt autem tria, quae Clementis habentur, opera maiora et inter se nexa: „Cohohortatio ad Graecos,“²) „Paedagogus,“³) „Stromata“⁴). De quorum Codicibus mss. Nourrius in Apparatu ad Bibl. Patrum, unde Fabricius, quae de eisdem in Bibliotheca Graeca praebet, sumpsit, haec tantum summa diligentia comperire et conquirere potuit. Et primum quidem de Cohortatione ad Graecos hoc nobiscum communicat: „Duos, inquit, huiusce operis Graecos codices manuscriptos nacti sumus. Prior est regiae Bibliothecae et venerandae antiquitatis liber, in quo quaedam Justini martyris, Athenagorae, aliorumque

¹) Praep. Evang. X. c. 2.
²) *Λόγος προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας.*
³) *Παιδαγωγός.*
⁴) *Στρώματα* sive *Στρωματεῖς.*

quorundam Patrum, anno Christi ... 914 descripta sunt. Posteriorem vero ex Parisini R. R. P. P. Societatis Jesu collegii bibliotheca R. P. Harduinus pro more suo nobiscum perquam humanissime communicavit. Is porro liber, in charta papyracea exaratus, recentioris quidem est manus: sed plures in eo, quemadmodum in superiori variae exhibentur lectiones, quas aliquando, quum sese occasio dederit, per nos, vel per alios,[1]) qui recudendis Clementis nostri commentationibus operam navare voluerint, publici iuris faciemus. In utriusque etiam manuscripti codicis marginibus quaedam ad obscuriora Clementini textus loca breviter explicanda adiectae sunt notulae, ex quibus plurimae ad calcem Operum eiusdem Clementis nostri, a Gentiano Herveto excusorum, editae sunt. At si quid in illis animadversione dignum fuerit, id suis quibusque locis a nobis infra annotabitur"[2]). De Paedagogi autem codd. mss. haec sunt eius verba: „Tribus in codicibus tres Paedagogi libros Graeca manu descriptos legimus. Jam autem monuimus, qui, cuiusve generis sint duo priores, quibus superior quoque Clementis nostri ad Graecos cohortatio exhibetur: sed in eorum antiquissimo codice regio totus paene liber primus mutilatus est ac tria tantum ultima illius capita, demto tamen undecimi initio, integra remanserunt. Tertius vero codex, quem ex regia Bibliotheca nacti sumus, recentior, in charta tantum papyracea descriptus est, atque hanc Auctoris nostri commentationem, sed non plane integram, exhibet. Quidam enimvero in eo occurrunt hiatus, et in libro secundo finis septimi capitis et octavi initium ab amanuensi librario praetermissa fuere, atque eo loci albae quaedam pagellae relictae sunt. Quod certe manifesto nobis est indicio, hunc codicem ex aliquo alio antiquiore esse transscriptum, ubi ea, quae librarius intacta reliquit, vel resecata fuerant, vel ab illo legi non potuerunt. Non semel etiam librarius ille in describendis cum textu auctoris, tum praecipue capitum argumentis laspus est. Sed haec solita eiusmodi virorum errata non impediunt, quin plures ex his codicibus collectae sint a nobis variae lectiones, quibus Clementis nostri textus pluribus in locis recte corrigi poterit et emendari. Denique horum codicum margini insertae sunt quaedam notulae, similes quidem, sed longe pauciores iis, quarum in superiori ad Graecos cohortatione mentionem fecimus."[3])

---

[1]) Horum neutrum factum esse videtur.

[2]) l. l. p. 634.

[3]) l. c. p. 658.

De Stromatum denique codicibus haec dicit: „In sua ... horum Clementis Operum editione Hervetus unius tantummodo incorrecti codicis copiam se habuisse fatetur. Nos vero in aliis, qua potuimus, maiori diligentia ubique sive nostra sive amicorum cura perquirendis codicibus omnem paene operam perdidimus. Unum enim duntaxat in Claromontano huiusce regiae urbis R. R. P. P. Societatis Jesu Collegio Graecum exemplar invenimus. At illud, summa Harduini, doctis omnibus notissimi, humanitate nobis suppeditatum, recenti manu in charta papyracea descriptum, capite sicuti in editis minutum est. Plures etiam in eo occurrunt librariorum amanuensium errores et lapsus, qui sine aliorum codicum auxilio vix a quoquam possunt emendari. Omnes tamen ex illo diversas ab editis lectiones sedulo collectas publici aliquando, si per otium liceat, iuris faciemus, vel cum iis lubenti animo communicabimus, qui novae horum Clementis Stromatum adornandae editionis provinciam in se suscipere voluerint“ [1]). Quibus accedit, quod Montefalconius Stromatum codices mss. praeter Mediceum vix usquam exstare narrat [2]); praeterea autem Venetiis apud Antonium Capellum, Patricium Venetum, in Codice bombycino seculi XIV excerpta prolixa ex Clementis stromatis a se esse reperta. Potterus autem in Praefatione editionis suae ad Lectorem „scriptum Stromatum exemplar nullum oculis suis perlustrare licuisse“ fatetur. Montefalconius enim hac in re ipsum adiuvit. „Verum hoc me, inquit, quum infortunio, tum onere levavit vir clarissimus Bernardus Montefalconius, qui pro acerrimo, quo semper ardet, humaniores litteras promovendi studio variantes lectiones non solum ex Ottoboniano, qui eorum prolixiora quaedam Fragmenta, sed ex Parisiensi etiam Codice, qui integrum Stromatum opus complectitur, accurate descriptas ad me transmisit: quas, quum paulo serius advectae non antea ad manus meas pervenerunt, quam priores quatuor libri cum quinti principio e praelo evasissent, ad calcem Operis simul exhibendas curavi.“ Itaque unum tantum Stromatum Codicem manuscriptum adhuc novimus. Nam illum, cuius Nourrius mentionem fecit Claromontani Collegii, e Mediceo descriptum videri Fabricius iam animadvertit, id quod inde fit probabile, quod uterque eisdem verbis mutilatus est. Atqui Parisiensis „recenti manu in charta papyracea descriptus est;“ ergo aut ex vetustiore Mediceo ipso manavit, aut saltem ex eodem, unde

[1]) l. c. p. 896.
[2]) In Diario Italico p. 64.

etiam Mediceus. Quodsi ne unus quidem Strom. codex probatae aetatis integer ad nos pervenit, quid absit, ut vera ubique Clementis verba facile restituantur, in promptu esse videtur. Nec tamen in omnibus desperandum esse infra apparebit.

Cohortationis autem codex Bibliothecae Reg. Par. CDLI., qui membranaceus anno 914 manu Baanis, notarii Arethae Caesareae Archiepiscopi, exaratus est, sine ulla controversia optimus et fere unicus est. Nam alter ille Parisini R. R. P. P. Societ. Jesu Collegii, ut chartaceus et manus recentioris ex hoc nescio an descriptus sit. Tum enim temporis, si alter Cod. antiquior exstitisset, is non tam facile, ne levissimo quidem vestigio relicto, perditus esset. Quem autem Potterus vidit e „Novi apud Oxonienses Collegii Bibliotheca," eum esse eundem, atque membranaceum noni seculi illum Reg. Bibl., manifestum est. Namque ille quidem Nov. praeter Cohortationem Paedagogum quoque exhibet. „Cohortationem manuscriptam, ait Potterus, una cum duobus Paedagogi libris posterioribus, eorundemque nonnullis fragmentis, suppeditavit Novi apud Oxonienses Collegii Bibliotheca." Atqui Parisiensis item Paedagogum complectitur, et quod rei caput est, eodem modo mutilum. In cuius descriptione catalogus haec verba habet: „Libri primi decem capita priora et undecimi initium desiderantur." Hoc est: liber primus paene totus, praeter „nonnulla fragmenta," duo capita et tertii partem, desideratur. E qua similitudine, utriusque cognationem esse statuendam, mihi quidem certo colligi videtur.

Idem vero Codex, nisi egregie fallor, etiam unus optime Paedagogum servat; quamquam libri primi pauca tantum fragmenta. Duos quidem Codices Potterus inspexit; „trium Paedagogi librorum codicem, inquit, unum Bodleii, et huic in omnibus fere concordem alterum praebuit angustissimi Regis nostri Bibliotheca." In quorum concordia summa causam agnosco, cur ad eundem duo illi sint referendi. Sed quum neutrius accuratam viderim descriptionem, utrum cum alterutro Parisiensi chartaceo consentiant, nec ne, dicere nequeo. Attamen propter antiquissimorum Cohortationis et Paedagogi codicum illorum consensionem, omnes Clementis Al. operum codices mss., qui in Britannia reperiantur, cum Parisiensibus ut rivos cum fontibus cognatos esse, aliquis forte suspicatus fuerit.

Sed quomodocunque haec se habent, summam gravissimi auctoris codicum adhuc esse inopiam, nemo erit, quin videat. Nec vero hoc solum dolendum est, verum etiam illud, quod neque perpauci quidem exstantes satis inspecti sint atque collati. Plerique veteres

auctores, quos vocamus profanos, ad veritatem menti ac vitae augendam nihil ullo modo conducunt; nihilominus codices eorum mss. incredibili labore saepius revoluti, inspecti, excerpti sunt. Nolo quidem vituperare eos, qui Graecae litterarum antiquitatis reliquias religiosissime indagare student; quamquam si quis in nugis quibusdam ad mentis lucem vitaeque honestatem vel etiam commodidatem nihil pertinentibus multum olei et operae perdi affirmaverit, huic adversarius exsistere dubitaverim. Sed in universum studium illud et probo et amo. Attamen Clementem Al., cuius opera tam ingenio acuminique quam diligentiae atque sollertiae latissimum, ut dicunt, exercitationis campum aperiunt, ita negligi non laudo. Certe in Clementis Al. scripta laborem impendisse non magis quemquam poenituerit, quam in Pherecratis et Eupolidis fragmenta, vel in Catulli, Tibulli, Propertii carmina.

Haud equidem ignoro, quantum fuerit opus Clementis critico felici. Philologiae abundantia instructissimus atque εὐστοχίᾳ illa maxime necessaria, nisi theologiae quoque peritissimus, non multum perficiet; contraque theologus subtilis philologiae instrumentis destitutus in coniecturis plerumque errabit. Atqui philologos minus etiam theologiae scire, quam theologos philologiae, experientia quotidiana, magis, quam placet, docemur. Nec vero ulla regula sine exceptione; qui igitur se exceptos esse merito arbitrantur, eorum cum pace illud dictum esse volo. Ut autem vita est, non possum, quin, omnes fere viros ceterum doctos et humanissimos de theologia et religione iudicantes ita inepte et absurde loqui, fatear, ut cum eis cavillari paene cogaris. Sed haec res utut se habet, Clemens adhuc criticum philologum theologum desiderat. Huic autem accedenti, modo non aegre ferat, aliquid, quod dicam, reliquum est. —

§ 2.

Quomodo Clementis opera multa ex parte possint corrigi sine novis Codd. mss. propriis.

Quamvis enim codices manuscripti sint perpauci, attamen plurimis locis, auxilio aliunde petito, nescio an mederi possimus. Ea enim erat Clementis gloria atque auctoritas, ut non minima scriptorum pars in aliis posterioris aetatis auctoribus passim citaretur, quorum codices mss., satis vetusti ad nos pervenerunt. Atqui codices hi ipsi, quod ad fragmenta ipsis servata attinet, ex parte tanquam Clementis codices habendi sunt. Quod si quis eos omnes voluerit revolvere, fragmenta illa excerpens, haud dubie is quidem multa in ipsis scriptis sine ulla controversia restituere poterit at-

que novum paene codicem colligere. Sed exemplo rem illustrabo. In sola Bibliotheca Coisliniana (olim Segueriana) septem codices mss., partim optimae aetatis, maiores locos e Clementis scriptis non paucos exhibent. Et sunt hi quidem, quos Catalogi verbis transcribam:

1) Cod. XXV., membranaceus, seculi X; complectitur Acta Apostolorum et epistolas catholicas cum Commentariis ex Chrysostomo aliisque Patribus et Auctoribus collectis. In quibus est Clemens Stromateus.

2) Cod. CXII., bombycinus, seculi XIV., qui continet Collectionem rerum moralium ex Operibus Chrysostomi et aliorum. Inter quos alios videmus Clementem Alexandrinum.

3) Cod. CXIII., membranaceus, elegantissimus, versus finem seculi IX scriptus, ut videtur. Fol. 287 legitur: Theodoreti in loca difficilia S. Scripturae. Locis porro Theodoreti admiscentur alia permulta quaedam longissima S. S. Patrum et Scriptorum; e quorum numero Clemens. In hoc igitur vetustissimo codice insunt „longissima" e Clementis operibus excerpta.

4) Cod. CCI., bombycinus, seculi XV., fol. 3. habet Collectionem interpretationum ex diversis interpretibus in s. Evangelium sec. Lucam. In his interpretibus numeratur Clemens.

5) Cod. CCLIX., membranaceus, seculi XI., fol. 57. leguntur: S. Athanasii Monachi Sinaïtae Responsiones ad Quaestiones Orthodoxorum de variis capitibus. In quibus responsionibus etiam loci e Clementis Stromatis citantur.

6) Cod. CCLXXVI., membranaceus, X seculi circiter. Continet Joannis presbyteri et monachi Eclogas. Sunt autem plurimae disputationes, e. g. de potentia dei, de creatione, de laude et gloria deo referenda, simil. Testimoniis utitur et S. Script. et S. S. Patrum; inter quos Clemens Alexandrinus est. Paedagogum enim huius adhibet et Stromata.

7) Cod. CCXCIV., membranaceus, XII circiter seculi. Complectitur Eclogas seu Excerpta Scripturae, Patrum, aliorum in varia capita et argumenta ordine alphabetico digesta. In quibus etiam excerpta e Clemente Al.

Qui ergo haec excerpta, quae haud dubie magnam partem ex vetustioribus, quam qui adhuc exstant, Clementis Al. codicibus manarunt, summo certe labore suscepto, contulerit, hic non dubito quin multos locos, quos habemus desperatos, facile in pristinam integritatem restituat. Quamquam eiusmodi laborem, opportunitate data, felicius suscipi, quam de industria, non infitiar. Quare

illud mihi quidem placuerit, si viri eruditi, alius aluid, ubicunque obvium, conquirant cum uno communicaturi. — Sed sunt etiam in Clementis operibus, quae corrigi possint vel sine codd. mss.

Altera autem haec ratio multa restituendi vera in ipsorum scriptorum continuatione atque sententiarum disputationisque perpetuitate posita est. Fit enim accurate legenti haud raro, ut vix ulla re, nisi oculis apertis, ut ita dicam, opus sit, quin, quid vere scriptum sit a Clemente, statim et quasi sponte agnoscat. Quod ut probem, nonnulla licebit exempla ex Cohortatione nunc quum maxime obvia breviter exponere.

In Cohortatione igitur ad Graecos p. 3. lin. 25 haec leguntur:

Γλυκύ τι καὶ ἀληθινὸν φάρμακον πειθοῦς ἐγκέκραται τῷ ᾄσματι.

Quod si ad verbum latine reddiderimus, ita se habet:

„Dulce quoddam et verum persuasionis venenum cum hoc cantico commixtum est.“

Atqui canticum hoc est ipse dei filius. Quid ergo? Num dei filius verum est persuasionis venenum? Vel ut idem aliis verbis quaeram: num dei filius omnem persuasionem semper, ubique, certo expellet? Quo sane nihil absurdius excogitari potest. Accedit autem, quod de persuasione hoc loco nihil prorsus agitur. Itaque vocem πειθοῦς corruptum habeo et falsum. Quamquam Sylburgianae editionis interpres rem optime expediisse videtur his verbis:

„In quo carmine iucundum quoddam et ad persuadendum penitus factum medicamentum temperatum est.“

Sed sententiae huius vis totam disputationem perturbat. Quid tandem, quaeso, de persuasione hoc loco? Id tantum discrimen inter Graecorum poetarum carmina et canticum illud christianum statuitur, quod ad dulcedinem et pacem hominibus reconciliandam pertinet. Persuasionis igitur vocis ineptum sentiens Potterus ita interpretationem corrigere conatus est:

„Etenim dulce quoddam et in animis hominum potens pharmacum cum hoc cantico commixtum est.“

Sed haec profecto interpretandi licentia maior est. At vero huius loci haud dubie corrupti medicina invenienda nihil facilius. Proxime enim verba, de quibus agimus, antecedit versus Homeri:

Νηπενθές τ', ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθες ἁπάντων [1]).

Quod, ad τὸ ᾆσμα τὸ καινὸν referendum, hoc declarat:

---

[1]) Odyss. δ'. v. 220: *Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθες ἁπάντων.*

„Novum canticum, dolorem expellens iramque, in malorum adducens oblivionem omnium.“

Jam quum Homerus hanc vim veneno cuidam tribuit, quod Circe in vinum iniecit, Clemens, qui eandem cantico suo vindicavit, ad ipsam veneni imaginem redit. Venenum, inquit, certe dulce quoddam et vere dolorem expellens cum cantico meo commixtum est. Repitit igitur Homeri non verba quidem, sed, imagine retenta, verborum sensum; repetit φάρμακον νηπενθὲς, sive φάρμακον πένθους. Et haec quidem vox restituenda, ut sententia optime quadrans sic se habeat:

Γλυκύ τι καὶ ἀληθινὸν φάρμακον πένθους ἐγκέκραται τῷ ᾄσματι.

Itaque dum Graecorum poetae dolores, quos vincere nequeunt, in deos referunt (πένθη ἐκθειάζοντες p. 4. 3.), Clemens canticum habet, quocum dolorum venenum commixtum est. Sed de hoc loco hactenus. —

Similiter porro p. 4. l. 1., ut hoc quasi praeteriens moneam, grammaticae facillime poterit satisfieri, modo pro γεγονέναι legeris γεγονότες. Nam illud: ἐμοὶ μὲν οὖν δοκοῦσιν tendit sine dubio ad hoc: τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τὰ εἴδωλα χειραγωγῆσαι πρῶτοι. Sin γεγονέναι retinuere velles, ut nonnulla ex parte saltem verba nexa essent inter se et apta, interponenda esset inter γεγονέναι et προσχήματι particula καί. Sed quoniam, quae inde a προσχήματι sequuntur ad τοὺς ἀθρώπους κ. τ. λ., explicant illud: ἀπατηλοὶ γεγονότες, hoc verum agnoscendum esse videtur. —

Est porro p. 16. l. 31—32 ad τὴν Ἐλευσῖνα hoc additum: τῆς Ἀττικῆς δέ ἐστι τοῦτο τὸ χωρίον, quod a rerum interprete quodam adscriptum fortasse codicis margini in textum irrepsisse arbitramur. Delendum certe quovis modo. Nam a Clemente prorsus alienum est. Primum enim, τὴν Ἐλευσῖνα oppidum iam antea ab eo memoratum esse sine ulla geographiae nota, animadvertendum est[1]); deinde vero eiusmodi geographiae expositiones alibi apud eum reperiri non solere. Denique, id quod est gravissimum, scribit ad Graecos, ut probamus, quibus loci Eleusinis descriptione haud fuisse opus manifestum est. —

Jam vero legitur p. 31. l. 19—20: οὐκ ἂν ἀφροδισίοις χρωμένων (scil. θεῶν) ἀνθρώποις. Sylburgius animadvertit: „Rectius ἀνθρώπων.“ Et profecto ἀνθρώποις minus recte dicitur. Sed quid magis sponte se praebet quam rectissimum: ἀνθρωπίνοις? Statim enim

[1]) p. 12. 3.

sequitur: τραπέζης ἀνθρωπίνης l. 22; et l. 25: ἀνθρωπείων σαρκῶν similiter. —

Deinde p. 83. l. 36—37 legitur, citato Scripturarum loco quodam:

πρὸς τοὺς καιροὺς τῆς πονηρίας λέγει· ἐλεεῖ καὶ δικαιοσύνης πληροῖ.

Ita quidem Sylb. Flor. Heins. Sed quomodo, quaeso, temporibus iniquitatis deus tanquam propitius propter iniquitatem hortabitur: „Sperate in ipsum (deum), tota populi congregatio; effundite coram ipso omnia corda vestra!"? Nam haec sunt verba, quae antecedunt. Itaque Hervetus scribendum esse coniecit καινούς. Et sane hoc Codice Nov. confirmatur. Qui vero inde nascitur sensus non est sine difficultate quadam. Hervetus autem ita interpretatur: „recentes ab improbitate," „quibus sunt recens remissa peccata." „Eorum deus miseretur et eos implet iustitia." Sed velim eiusmodi elocutionis καινοὺς τῆς πονηρίας exemplum unum vel alterum noverim, ea scilicet vi, ut sit: „eos, quibus recens peccata remissa sunt." Offendit etiam illud, quod deus, peccatis iam remissis, dicitur misereri. Verumenimvero verbum πληροῖ quasi digito, quid scriptum fuerit, ostendit. Nam satis urbane Clemens haud dubie dixit: Qui iniquitate sunt vacui, hos deus iustitia implet. Scribendum igitur: κενοὺς τῆς πονηρίας. Codicum Clementis operum et novitatem et raritatem qui consideraverit, is mutationes eius generis non habebit audaciores.

Nec vero propositum est, ut coniecturas hic plurimas cumulem, sed nonnulla tantum exempla volui attingere. Possem quidem si vellem, mediocrem coniecturarum quasi sponte occurrentium librum componere. Id autem huius loci non est. Sunt etiam permultae in editione Pott., et a Sylbyrgio, et ab ipso partim collectae, partim factae. In Valckenaerii chartis thesaurum huc pertinentem inesse suspicor, „qui Clementem Alexandrinum legit acumine critico singula notans et ad trutinam examinans"[1]). Reperiuntur nonnulla quoque non respuenda in Lobeckii Aglaophamo. Alia praeterea hic illic. Quae qui iudicio ac delectu conquisivisset, operam is haud perdidisset.

Spero etiam, fore, ut codices mss., quamvis summa cum diligentia saepenumero quaesiti frustra, tamen in bibliothecis lateant. Spes autem mea ipsa latet in vehementi quodam desiderio novae et accuratioris editionis. Ea enim, qua nunc utimur optima Pot-

---

[1]) Joannes Luzac in Praef. ad libellum: „Ludovici Caspari Valckenaeri Diatribe de Aristobulo Judaeo," p. 7.

teriana, nimis multa reliquit praestanda. Quamquam vel ita viro illo doctissimo gratiam habeo quam maximam. Ipsa autem latina interpretatio multas correctiones nacta minus adhuc urbana est atque mendosior. Vetus illa satis barbara multis quidem locis polita et correcta est, sed multis etiam poliendo magis barbara, et corrigendo falsa facta est.

Jam vero ad ea, quae e codicibus mss. supra memoratis litterarum formis descripta nobis in manibus sunt, ut vere Clementis presbyteri Alexandrini probanda accedamus. Quod ut facilius efficiamus, prius laudes Clementis ut auctoris ex veterum ore audiamus. Ita enim imago atque adumbratio quaedam orietur scriptorum eius, qualia haec fuerint. —

§ 3.

Clemens, qualis auctor fuerit ex Veterum sententia.

Quaecunque de scriptis auctoris cuiusdam disputantur, ea nihil aliud oportet spectare, quam ut veritas, quae in eis lateat, penitus cognita et ad scientiam augendam et ad communem vitae usum conferat. Quod ut efficiatur, praeter leges grammaticas, quas scriptor sequitur, vel omnibus usitatas vel ipsius potissimum proprias, praeter verborum novitatem, delectum, collocationem, coniunctionem multaque id genus alia; praeter etiam libri cuiusque propositum, dispositionem, absolutionem; praeter tempora, quibus compositus esse videtur: duo inprimis inquirenda sunt, unum, volueritne auctor veritatem nuntiare, potueritne alterum.

Et voluit Clemens certe, ut qui integer esset totusque sincerus; id quod sub finem vitae eius et veterum testimoniis et scriptorum ingenio satis comprobasse nobis videmur. Utrum autem potuerit, nec ne, veteres item dicant primi; quamquam id ipsum quoque ex librorum natura atque indole infra quasi sponte agnoscemus. Eusebius igitur tam „exercitatum" eum fuisse narrat in divinis scripturis, ut, Pantaeno etiamtum superstite, clarus fieri inciperet. Idem autem si „admirabilem" Clementem appellat, et sanctitatem viri et eruditionem significare videtur [2]), qui „optimum eum philosophiae christianae doctorem" praedicare non dubitat [3]). Cyrillus autem Alexandrinus: „Clemens, inquit, sanctos

[1]) Euseb. h. e. V. 11: *Κατὰ τοῦτον (τὸν Πάνταινον) ταῖς ϑείαις γραφαῖς συνάσκούμενος ἐπ' Ἀλεξανδρείας ἐγνωρίζετο Κλήμης.*

[2]) cf. Vitam.

[3]) Chronic. Can. p. 216: *Κλήμης ὁ Στρωματεὺς πρεσβύτερος Ἀλεξανδρείας, ἄριστος διδάσκαλος ἐν τῇ κατὰ χριστον φιλοσοφίᾳ.*

Apostolos sequitur ubique, quantum licet homini, historiae Graecae peritus"[1]), quem habet etiam „doctum"[2]), „discendi cupidum"[3]), plurimam rerum ad deos templaque pertinentium gnarum"[4]). Hieronymus porro scripta eius laudat vehementer: „insignia volumina plenaque eruditionis et eloquentiae tam de scripturis divinis quam de secularis litteraturae instrumento"[5]); ipsum autem „suo quidem iudicio omnium eruditissimum esse" dicit[6]). Tum Socrates eum „virum esse ducit omnis sapientiae scientia praeditum"[7]). „Sapientissimum" deinde Sozomenus eum nominat[8]). Theodoreto vero, „omnibus eum doctrinae abundantia antecedere," persuasum est[9]). Jamque S. Maximus nomen ei tribuit „philosopho philosophorum"[10]). Georg. denique Syncellus: „Clemens, inquit, Stromateus, ecclesiae Alexandrinae presbyter, doctor optimus in philosophia, quae est secundum Christum, scribendo elucebat"[11]). Quas laudes si complexi erimus, duo in omnibus momenta considerari agnoscemus: eruditionem et ingenium; hoc autem tam in rebus, quae didicit, intelligendis, quam docendis. Summa ergo haec est: plurima didicit, optime intelligit, docet egregie. Quodsi ad nostram loquendi rationem accommodamus, addita voluntatis eius sanctitate, hoc sonat: Clemens et materialem et formalem veritatis prodendae facultatem habet. Et profecto, Clemens ingenio, educatione, praeceptorum praestantia, ipsius diligentia atque integritate id altitudinis ascenderat, ut altior esset suae aetatis fastigio. Quodsi is nobis ex scriptis ei tributis occurrit, id ipsum probabit scriptorum veritatem. Jam vero de his ipsis quaeramus. —

---

[1]) Contra Jul. VI. p. 205. ed. Par. 1638: *Κλήμης μὲν γὰρ τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις ἑπόμενος πανταχῆ, πλείστης τε ὅσης Ἑλληνικῆς ἱστορίας εἰς ἀκοὴν ἐλθών.*

[2]) Ibid. VII. p. 231. et X. p. 342: *ἐλλόγιμος.*

[3]) Ibid. VII. p. 231: *φιλομαθής.*

[4]) Ibid. X. 342: *πολυΐστωρ περί τε θεῶν καὶ ναῶν.*

[5]) Cat. 38.

[6]) Ad Magn. orat. Rom.

[7]) H. e. II. 35: ... *Κλήμεντα καὶ Ἀφρικανὸν καὶ Ὠριγένην, ἄνδρας πάσης σοφίας ἐπιστήμονας.*

[8]) H. e. I. 1: *Κλήμης τε καὶ Ἡγήσιππος, ἄνδρες σοφώτατοι.*

[9]) Haeret. fab. I. 6.: ... *Κλήμεντα, ἱερὸν ἄνδρα καὶ πολυπειρίᾳ ἅπαντας ἀπολιπόντα.*

[10]) Disput. cum Pyrrho: ... *τῷ ὄντι φιλοσόφῳ τῶν φιλοσόφων Κλήμεντι.*

[11]) Chronographiae, p. 355: *Κλήμης ὁ Στρωματεὺς, πρεσβύτερος Ἀλεξανδρείας, ἄριστος διδάσκαλος ἐν τῇ κατὰ χριστὸν φιλοσοφίᾳ συντάττων διέλαμπεν.*

§ 4.

Tria opera illa, Clementis nomen professa, vere esse ab eo conscripta.

Tria opera illa, quae Clementis nomine feruntur, „Cohortatio ad Graecos,“ „Paedagogus,“ „Stromata“ inscripta, ita plerumque ab hominibus eruditis auctori vero vindicantur, ut partim primus ex altero et tertio probetur, alter ex tertio et primo, tertius ex primo et secundo. Argumentantur enim hoc modo: Cohortatio in Paedagogo et Stromatis a Clemente ut sua citatur: ergo huius est auctor; Paedagogus in Stromatis agnoscitur, Cohortationem agnoscit ipse: ergo Stromatum et Cohortationis scriptor, i. e. Clemens, Paedagogum scripsit; in Stromatis denique Cohortatio et Paedagogi libri tanquam eiusdem auctoris laudantur: ergo illa quoque a Clemente composita sunt [1]. Sed, hanc demonstrationem in omnibus eodem revolvi nihilque igitur posse confirmare, manifestum est. Quid tandem ad probandum, Cohortationem ad Graecos vere a Clemente esse profectam, sibi velint testimonia e Paedagogi libris, quos ipsos, a quonam sint confecti, ignoro? Et ita quidem in reliquis quaeri possit. Nihil ergo hoc modo proficimus. Sed alia prorsus via ingredienda est.

In primo igitur Paedagogi libro, idque statim ab initio, triplex Logi, i. e. Christi munus, quo homines tota doctrina christiana donet, explicatur. Versatur autem in cohortando, praecipiendo, docendo. Ac primum quidem cohortandi munus exponitur his verbis. „Dux ergo coelestis, Logos, quum ad salutem advocaret, προτρεπτικὸς vocabatur; proprie hic sermo incitans, ex parte quidem totum, appellatus est. Nam cohortans totus est dei cultus, ut qui et huius vitae et futurae desiderium ingeneret menti cognatae“ [2]). Deinde autem de praecipiendi munere deinceps quidem suscipiendo ita disserit. „Nunc vero, quum in medendo (Logos) versetur et praecipiendo ..... hic a nobis apposite uno appelletur nomine Παιδαγωγός“ [3]). Quid ergo hinc colligitur? Ab uno eodemque auctore et Protrepticum scriptum esse et Paedagogum. Id quidem certo; nihil vero ultra. Nam utrum hic Clemens fuerit, an minus, in medio relinquitur. Sed aliud videamus. In Stromatum libro VII. c. 4. haec legimus: „Atque de Graeca quidem

---

[1]) Le Nourry, Lumper, alii.

[2]) p. 97—98.

[3]) p. 98.

daemoniorum timiditate satis, credo, in libro, qui Protrepticus inscribitur, exposuimus, abunde historia necessaria usi" [1]). Quibus verbis quin ille ipse Protrepticus, quem habemus, intelligendus sit, propter argumentum indicatum, ne minima quidem dubitatio esse potest. Itaque hoc quoque iam concludimus, et Protrepticum et Stromata ab eodem scriptore esse profecta. Atque idem probatum est de Paedagogo et Protreptico; ergo et Paedagogus etiam et Stromata eodem utuntur auctore. Quae quum ita sint, tria illa opera ad eundem virum referantur oportet. Sed hoc accuratius etiam poterit demonstrari. Ipse enim Paedagogus quoque in Stromatum l. VI. et citatur et, qualem nunc habemus, describitur. „Jam antea autem, inquit, Paedagogus, in tres a nobis libros divisus, quomodo ex pueris educamur atque alamur, exposuit, i. e. vitam explicavit (honestam) ex catechesi inchoatam una cum fide crescentem, quae eorum, qui in viros adscribuntur, animum virtute illum praeditum ad scientiam gnosticam praeparat accipiendam" [2]). Quemadmodum autem hoc loco Paedagogus ut scriptus antea inducitur, sic huius initio Stromata ut scribenda aperte indicantur. „Is vero, inquit, Paedagogus πρακτικὸς, οὐ μεθοδικός· ad actionem tendit, non ad disciplinae rationem. Cuius finis non est, ut animum doceat, sed ut meliorem reddat; qui honeste vivere docet, non arte ac scientia. Quamquam idem ipse Logos etiam doctor est, nec vero nunc ipsum. Qui enim in dogmatis aperit et patefacit, is est doctor" [3]). Discrimen igitur inter Paedagogum, nunc quum maxime scribendum, et Stromata, postea componenda, statuit. Factum utrumque priore loco testatur idem auctor, cui utrumque etiam adscribamus, nisi commentis magis delectamur quam veris, necesse est. Iterum ergo necessitudine Protreptici cum Paedagogo et Stromatis perpensa, maiori etiam persuasione tria illa opera eidem scriptori tribuimus, praesertim quum dictio, argumentandi ratio, tota orationis indoles prorsus sit eadem. Quid hinc igitur utilitatis? Certe plurimum. Nam quodcunque veterum testimonium ad unum eorum per se pertinet, propter illam necessitudinem mutuam tria simul confirmat. Sed singula singulorum testimonia nunc proferamus.

Ordiamur autem ab eo libro, qui: Λόγος προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας inscribitur, de quo illud primo moneo, hunc vere esse Clementis librum ita inter omnes, penes quos iudicium de hac re esse

[1]) p. 841.
[2]) p. 736.
[3]) p. 98.

debeat, constare, vix ut disputatione egere videatur. Sed externis testimoniis, in quibus quaestionis, cui potissimum opus quoddam sit adiudicandum, cardo versatur, creberrimis, pro temporum conditione, utitur et invictis. Ac primum quidem Eusebius librum Clementis, et Titi quidem Flavii, i. e. presbyteri Alex., commemorat, cui inscriptio sit: Πρὸς Ἕλληνας λόγος ὁ προτρεπτικὸς [1]), quem illum esse nobis adhuc exstantem, inde apparet, quod idem aliis locis [2]) non solum argumentum plane idem significat, verum etiam multa ad verbum suis scriptis intexuit. Librum porro eiusmodi a Clemente esse compositum testantur Hieronymus [3]), Cyrillus Alexandrinus [4]), Photius [5]). Neque est, cur hi alium, quam qui Eusebio visus ad nos pervenit, legisse opinemur.

Παιδαγωγὸς autem similibus utitur testimoniis. Eusebius enim „tres libros esse Clementis Paedagogum inscriptos“ narrat [6]); Hieronymus „Paedagogi libros tres“ [7]), et alibi „Paedagogi tria volumina“ [8]). Photius porro „Paedagogus (Clementis), inquit, tribus voluminibus elaboratus, mores vitamque dirigit ad recte facta“ [9]). Inscriptio, divisio, argumentum cum eis prorsus consentiunt, quae ipsius auctoris verba supra transscripsimus.

Eidemque fere Stromatum sunt testes. Haec quidem Eusebius h. e. l. V. c. 11. commemorat tantum ut opus Clementis; sed alio loco et titulum et argumentum generale indicat. „Clementis, inquit, Στρωματεῖς omnes octo (scil. libri) apud nos servantur, quos tali donavit inscriptione: Titi Flavii Clementis gnosticorum secundum veram philosophiam commentariorum Στρωματεῖς“ [10]). Argumenti autem multa tam accurate describit hoc loco, ut nulli quidquam dubio verisimilitudinis relinquatur, quin eidem Στρωματεῖς, quos Eusebius legit, ad nos quoque pervenerint. Commemorat etiam

---

[1]) H. e. VI. 13.
[2]) Praep. Ev. 2—6 et IV. 16.
[3]) Cat. 38. Ed. ad Magn. 84.
[4]) Contr. Julian. X. p. 342.
[5]) Cod. 110.
[6]) H. e. VI. 13. *Τρεῖς τε λόγοι εἰσὶν οἱ τοῦ ἐπιγεγραμμένου Παιδαγωγοῦ.*
[7]) l. l.
[8]) Ad Magn. orat. Rom.
[9]) Cod. 110: *Ὁ δὲ Παιδαγωγὸς ἐν τρισὶ τόμοις ἐστὶν αὐτῷ (Κλήμεντι) διαπεπονημένος, ἤθους καὶ βίου κατορθωτικός.*
[10]) l. c. sqq. cf. Chronic. Can. p. 216. Praep. Ev. l. IX. 6. X. 1.

Hieronymus „Στρωματεῖς libros octo“ [1]). Testis est porro Epiphanius [2]), testis Cyrillus Alex. [3]), testis Photius [4]).

Quodsi his ipsis testimoniis unum trium operum illorum vere a Clemente scriptum esse probari videbitur, omnia erunt probata. Sed singula per se sola ita satis confirmari nescio an libenter concedamus. Accedit autem quod Codices mss., quamquam perpauci, tamen, quotquot sunt, Clementi Alexandrino singula opera illa tribuunt. At vero in his etiam valet: si unum Clementi adiudicandum, omnia. Possum pleraque etiam addere probantia, sed nolo in manifestis esse multus. Jamque ad singula accedamus.

---

1) l. l. cf. Ad Magn. orat. Rom.

2) Advers. haer. 32. 4—6.

3) Contr. Julian. l. VI. p. 205. VII. p. 231.

4) Cod. 111.

Caput III.

I. De singulis Clementis Al. scriptis; et primum quidem de Protreptico.

§ 1.

De tempore, quo scriptus sit Protrepticus.

Ac primum quidem de tempore, quo scriptus sit Protrepticus, quaeramus. Etsi igitur nihil certi, tamen quid probabile sit, definiri potest. Nam quum et in Paedagogo et in Stromatis commemoretur, his eum tempore antecedere in promptu est. Stromata autem, quibus, ut infra confirmabitur, Paedagogus antiquior est, inde ab a 194 componi coepta esse videntur. Id vero hic ponimus, loco ostendemus. Ergo ante annum 194, idque eo intervallo ante, quo Paedagogus conficiebatur, Protrepticum editum esse non sine ratione probabili coniicimus. Et quoniam Clementem, dum Pantaenus scholam Alexandrinam regit, scripta in medium protulisse, non est verisimile, ipse autem ab anno 189 ei praeesse incepit, primo deinceps quinquennio librum illum haud dubie exaravit. Quo quum accedat, quod Eusebius [1]) Clementem inter eos refert, qui scriptis ante Victorem Papam, qui a. 192 episcopatum Rom. nactus est, Christum deum esse defendant, quae scripta πρὸς τὰ ἔθνη fuerint versa; unde facile προτρεπτικὸς πρὸς Ἕλληνας intelligitur: hunc editum esse aut a. 191 aut 190 pro certo statui licere videtur. Et de tempore quidem hoc scire satis est. —

§ 2.

Protrepticum scriptum esse ad Graecos proprie appellatos.

De inscriptione autem huius libri ne minima quidem est subdubitatio. Quam praebent codd. mss., eam probant omnia, quae memoriae prodita sunt testimonia. Neque etiam libri, qui spectabant

1) H. e. V. 28.

ad hortandum, ut Ciceroni hoc genus appellare placet, apud veteres rari fuerunt [1]). Sed verba πρὸς Ἕλληνας Hieronymus interpretatur „adversus gentes"; quam interpretationem iam antea Eusebius [2]) amplexus esse videtur, quum et Tatiani et Clementis librum πρὸς Ἕλληνας citaverit: πρὸς τὰ ἔθνη. Quin etiam constat inter omnes tam veteres quam aequales nostros, πρὸς Ἕλληνας hoc loco nihil aliud esse, nisi „ad gentes." Nihil vero hac opinione a veritate magis alienum. Vehementer saltem, quin illud ita se habeat, equidem dubito. Ἕλληνας primis post Christum natum seculis non Graecos solum, sed in universum etiam omnes, praeter Judaeos, populos, qui nondum essent Christiani, vocatos esse scio, inprimis urbanitate, eruditione, humanitate ornatos. Nec vero ita factum esse largiar, ut Graeci proprium gentis nomen statim amitterent. Quapropter, ubicunque illo tempore nomen Ἑλλήνων occurrit, ibi, utrum omnes gentes significet, an unam, cuius proprium est, considerandum. Et hoc quidem loco consideranti nihil magis manifestum, quam Graecos proprie dictos significari. Probat id autem libri indoles et argumentum, ut generaliter in Vita § 1. exposuimus. Nunc vero singula quaedam proferamus. Quum igitur, ubi primum [3]) vox Ἑλλήνων obvia est, de Amphione sermo sit, de Orpheo, de artifice quodam Thrace, de Eunomo: quos, quaeso, Clemens his verbis: „qui ergo fabulis vanis credidistis" [4]), alloquitur, nisi Graecos solos? Itemque mysteria Eleusinia „vestra" appellat, ὑμῶν τὰ μυστήρια, i. e. eorum quos cohortatur [5]). Imo pronomen ὑμεῖς inde a pag. altera usque ad p. 95, i. e. novissimam, sexcenties usurpatum, ne semel quidem praeter Graecos proprie dictos ad ullam aliam gentem directo pertinere demonstrari potest. Potest autem demonstari, ceteras gentes distingui ab eis, quibuscum loquitur. Tantum enim abest, ut has unquam alloquatur, ut eas nominatim potius Graecis, quibuscum disputatio est, opponat [6]). Et locus quidem apertior, quam cui ulla affingatur ambiguitas, p. 33—34 legitur. Postquam enim Graecae superstitionis turpitudines narravit auctor, pergit hoc modo: „Quanto meliores Aegyptii, qui vicatim et per urbes bruta animalia coluerunt,

---

[1]) Vid. exempla apud Pott. p. 1. adnot.

[2]) l. l.

[3]) p. 2. l. 23.

[4]) p. 2. l. 25.

[5]) p. 12. 10. et p. 13. 8.

[6]) p. 11. 2—3: *ναὶ μὴν ἄδυτα Αἰγυπτίων καὶ Τυῤῥηνῶν κ. τ. λ.*

quam Graeci, huiuscemodi (scil. impudicissimos) deos adorantes!" In participio autem „adorantes" latet sensu saltem pronomen „vos." Mox enim pergit: „Aegyptii, quorum nunc feci mentionem, dispersi sunt in varios cultus et religiones." Deinceps animalium diversorum cultores Aegyptii enumerantur. Quibus enumeratis: „At vos vero (Graeci), inquit, omnibus numeris quam Aegyptii meliores (vereor, ne potius dicendum sit peiores) qui Aegyptios quotidie ludibrio habere non intermittitis, quales estis in bruta animalia?" Quae quum ita sint, alia argumenta conquirere iure supersedere potero. Quamquam novam vel inde argumentationem institui possit, quod Clemens, ut Graecus tota natura, etiam in aliis scriptis inter Ἕλληνας et βαρβάρους diligenter distinguit[1]).

§ 3.
De Protreptici proposito.

Jam vero si Clemens Atheniensis Cohortationem suam scripsit ad Graecos, quid inde sequitur? Quod ei hunc librum exaraturo propositum fuerit, esse in promptu. Athenas enim tum etiam temporis scientia vitaque exculta floruisse vel eo doceris, quod Clemens sub finem Cohortationis, quum Jesus docuerit, totum orbem terrarum Athenas factum esse laetatur, neque in posterum illuc discendi causa proficisci opus esse asseverat[2]). Nec porro dubitandum, quin hac in urbe, doctrinae incunabilis, seculo secundo multae Graeci ingenii, eruditionis, urbanitatis reliquiae ipsa traditione, quae a patre ad filium redundat, viguerint. In his autem mediis Clemens natus, educatus, doctus est; inter commilitones indole, diligentia, eventu excelluit; in eorum numerum qui urbanos, eruditos imprimisque intelligentes se habuerunt, nescio an facile admissus sit; imo, qua erat omni ex parte praestantia, veterem patria litterarum gloriam qui renovaret, idoneus videri debuit. Sed ecce! Ad Christi legem transit, laudat, quae eruditi despiciunt, sapiens fit stultus! Nonne τοὺς χαρίεντας admiratos, qui factum esset incredibile auditu, quaesiisse verisimile est? Quaerentibus autem Clemens respondet Cohortatione sua, quam simul defensionem quoque habeam. Quodsi utrumque perspexeris libri propositum, et defendendi et cohortandi, argumentum, quod iam sum expositurus, percipies.

---

[1]) cf. p. 340. 8—9; 349. 1 sq.; 352. 9; 355; 432. 6; 438. 22; 454. 13; 658. 6; 671. 30; 672. 14. etc. etc.

[2]) p. 86—87.

§ 4.
Libri Protreptici argumentum exponatur.

Prooemium igitur libri, quod decem primis paginis continetur, dulcissimum est ac suavius, quam eloqui possim.

Amphionem Thebanum tam dulciter fabula fecit canentem, ut cantu pisces inescaret. Arion autem Methymnaeus musica Thebas moenibus circumdedisse narratur. A Thrace quodam alio animalia cantando mansuefacta esse ferunt. Mira etiam de Eunomo memoriae prodita sunt; hunc enim, quum rupta citharae chorda, in eius iugum cicada advolasset, instrumento musico quasi ramo personans citharoedum cum cicadae cantu suum ita temperasse, ut deficientem chordam suppleret. Quae, fabula fingente, audire iuvat; eisdem vero credere, superstitionis est. Credidistis autem vos, Graeci, quorum luminibus sola veritatis facies, fulgens illa quidem, obstructa esse videtur. Et debent quidem cantoribus istis decipientibus originem: Cithaeron, Helicon, Odrysii montes, Bacchanalia, mysteriaque plurima, quae omnia non minus in fabulis sunt, atque ipsorum auctores. Haec igitur in ipsis Helicone Cithaerone Odrysiisque montibus iam obsoletis includamus. Nam malum doloremque e mundo pellere nequeunt. — In illo enim insigni Graeci ingenii mendacio ea inest veritas, ut, homines dolore, vel etiam culpa quadam laborare, agnoscatur, malorum omnium dolorumque causa, qua pulsa, laeti reviviscere amissumque naturae imperium recuperare possint. — Sed est profecto cantor verus, quem ignoratis, o Graeci! Logos, inquam, coelestis, qui, quum legitime certasset, in totius mundi theatro corona triumphali ornatus est. Nec vero meus quidem Eunomus Terpandri modos canit, neque Capitonis, neque Phrygios vel Lydios vel Doricos; sed aeternos novae harmoniae modos; canticum cantat novum:

νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθες ἁπάντων.

Quo cantico dulce quoddam et verum tristis culpae venenum admixtum est[1]).

Sed mihi quidem poetae in deplorandum illum errorem homines induxisse videntur, ut bruta animalia, lapides, ligna, imo ipsos dolores, quorum venenum ignorabant, quasi deos colerent. Quid inde accidit? Colentes colendis similes facti sunt, i. e. bestiae, lapides, ligna, vel potius his ipsis hebetiores, servitute suprema oppressi. At vero meus contra venit cantor, ut servitutem illam acerbam tol-

---

[1]) p. 1—3.

leret, qui solus feras saevissimas, homines mansuefecit: volucres, i. e. homines leves; serpentes, i. e. fraudulentos; leones, i. e. irácundos; sues, i. e. voluptatibus deditos; lupos, qui sunt rapaces. Quin etiam ex lapidibus et lignis suscitavit filios Abrahac, qui fuerunt secundum Scripturam homines insipientes. Ne venefici quidem et versuti simulatores, qui iustitiae insidiantur, quos S. Scriptura appellat „progeniem viperarum,“ excipiendi, quorum si quis poenitentia voluntaria commotus Λόγον sequitur, homo fit dei. „Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes voluptatibus et desideriis variis, in malitia et invidia agentes, odibiles et odientes invicem;“ ut ait Scriptura Apostolica. „Quum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri dei, non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.“ En! Canticum illud novum quantam habet vim! Homines ex lapidibus, homines ex feris formavit. Qui alioquin mortui, verae vitae expertes: hi, audito tantum hoc cantico, statim revixerunt. Neque hoc mirum! Quid enim? Per idem enim canticum, quod mundum redimit, creatus est mundus. Idemque elementa discrepantia ut ita inter se concinant effecit, ut totus hic mundus harmonia evadat. Quam dulcem harmoniam, qua omnes huius rerum universitatis singulae partes ab uno extremo ad alterum concordissime consentiunt, composuit quidem, non musica Threïcia, sed patria dei voluntate. Logos antem dei, qui, quamvis a David originem trahens, tamen etíam fuit ante eum, despecta lyra et cithara, instrumentis inanimis, quum hunc mundum, quem adspicimus, magnum, tum parvum istum, i. e. hominem, et animum et corpus per Spiritum sanctum donat concentu, deumque celebrat multorum sonorum instrumento, instrumento huic, homini concinens. „Tu enim, inquit, es cithara et tibia et templum meum:“ cithara, per harmoniam; tibia, per spiritum; templum per Λόγον; ut prima resonet, altera inspiret, tertium contineat Dominum. Dominus autem hominem effecit, pulchrum instrumentum spirans, secundum ipsius imaginem. Nam ipse quoque dei est instrumentum, omnibus numeris consentiens, concinens sanctumque; sapientia maior, quam pro hoc mundo, Logos coelestis. Quid ergo vult hoc instrumentum, dei Logos, Dominus, Canticum illud novum? Amissos caecorum oculos restituere, aperire surdis aures, debiles pedibus, vel errantes manu ducere ad iustitiam, demonstrare deum hominibus amentibus, corruptionem auferre, vincere mortem, filios dicto non obedientes patri reconciliare. Hominum enim amans instrumentum illud dei: Dominus

miseretur, castigat, hortatur, admonet, redimit, custodit mercedemque disciplinae abundantem, regnum coelorum promittit. Quem autem ipse inde fructum percipit? Nihil, nisi gaudium, quod nos rediminur. Malitia enim hominum fraudulenta pascitur ipsorum interitu; veritas autem honesta, veluti apis, ne minimum quidem eorum, quae sunt, interire patiens, propter solam hominum salutem laetitia exultat. En, habes promissionem, habes humanitatem! Fac fias graetiae particeps!

Ne tamen canticum redimens meum ita novum dici opinere, quemadmodum vas aliquod vel domum. Erat enim ante luciferum; in principio erat Verbum. Quod autem nunc nomen adeptum est novum, Christi nomen, canticum illud, quod omnium rerum principium divinum et erat et est, sanctum ab initio, potestate dignum, a me vocatur novum. Quod autem Verbum et antiquum et novum est, duplicem vim exercet. Nam quum esset in deo, effecit olim, ut essemus; nunc antem, postquam apparuit, in causa est, ut etiam bene simus, qui solus et deus et homo est, bonorum auctor omnium. A quo porro recte vivere didicimus, ab ipso etiam transmittimur in vitam aeternam. Vitam dedit initio ut creator; recte vivere docuit, quum apparuisset ut doctor, vitam aeternam postea ut deus largiturus.

Sed unde malum in hoc mundo? Ab uno nequam, serpente illo, praestigiarum pleno, qui adhuc homines servituti tradit et contumeliae, initio autem Evam fraude decepit. Unde vero bonum? Ab uno eodemque adiutore et vindice nostro. Qui primo per prophetas salutem quum praenuntiaverit, nunc aperte ad eam invitat. Fugiamus igitur, Apostolicae admonitioni obedientes: „principem potestatis aeris huius; spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiae," accurrentes ad Redemptorem dominum, qui nunc et semper ad salutem accipiendam hortatur per prodigia signaque et in Aegypto et in deserto; per rubum et nubem, ancillae instar, benignitatis gratia divinae in homines, Hebraeos comitatam. Hortatur autem multifariam: minitando, plorando, admonendo, puniendo, miserendo. Per signa loquitur; in ore est prophetarum, imo ipse homo apparet misericors deus, ut non credidisse te pudeat. Ipsum dei Verbum homo factum est, ut ab homine discas, quomodo homo fiat deus. Cur dubitas? Audi vocem Joannis praecursoris tam vehementer hortantem, clamantem in deserto, cuius οὐσία est quasi φωνὴ προτρεπτική, quam auget etiam Angeli vox, qui sterili nuntiat fertilitatem. Duae autem hae voces clamaverunt ante domini adventum, ut iustis piaculis parati, non laureati neque sertis

ex lana et purpura, sed iustitia redimiti, temperantiae, foliis cincti advenientem digne exciperemus. Excipiamus ergo eum, qui: „Ego, inquit, sum ostium.“ Ostium est omnibus, qui deum volumus cognoscere, ut hic universas nobis aperiat coelorum portas, quae, quum sint λογικαὶ τοῦ Λόλου πύλαι, fidei clave panduntur. „Deum enim nemo novit nisi filius et cui voluerit filius revelare.“ Bene autem scio, fore, ut is, qui ostium antehac clausum aperuit, postea etiam manifesta faciat, quae latent intus, ostendatque ea, quae a nemine unquam neque poterant cognosci, neque possunt, nisi quis per Christum fuerit ingressus, per quem solum deus adspicitur. Ne ergo in posterum solliciti sitis de adytis impiis, de templis locisque sacris, de diis, de vatibus quibuscunque sive vestris sive aliorum; iam enim haec omnia, quamquam non vulgabo temere, quod Alcibiadem fecisse dicunt, tamen satis nudabo per veritatis verbum praestigias, quae occulte in eis latent, ipsosque deos vestros, quos vocatis, quorum ritus mysticos tanquam in vitae scena quadam ante veritatis spectatorum oculos evolvam[1]).

Et hoc quidem libri prooemium, quod propter multam et veritatem et suavitatem transscripsi magnam partem ad verbum. Sequitur autem argumenti propositi expositio, cuius prior pars versatur in explicanda Graecorum deorum falsa divinitate, origine, cultu, turpitudine, pernicie; altera Christi legem hortando ita describit, ut haec mirabiles erga se non possit non excitare amores. De diis autem, quos commenti sunt, tria potissimum animadverti vult: originem, ut appareat, quam longe absint ab aeterna veraque divinitate; naturam, habitum victumque, quibus homines ipsi agnoscantur scelerati; cultum, unde voluptate, libidine, omni scelere delectari videantur. Remotior a culpa auctori esse videtur cultus divinus, qui huic rerum ordini, inprimis soli stellisque tribuitur, quamquam hic quoque turpi ignorantia nitatur, qua homines, rei creatae pulchritudine ac praestantia quasi attoniti et stupefacti, ad creatorem non perveniant. In simulacris autem venerandis tanquam diis summam inesse amentiam, quae ne in simiis quidem reperiatur. Philosophos denique nonnunquam attigisse saltem veritatem largitur. Ac primum quidem Bacchanalia commemorat, in quibus sacram inesse insaniam (ἱερομανίαν) dicit[2]), quam propter exclamationem εὐὰν serpentesque, quibus Bacchantes redimiri solebant, ad Evam, per quam error in mundum intravit, mystice pertinere

[1]) p. 4—11. l. 15.
[2]) p. 11.

censet. Deinde transit ad Cererem et Proserpinam, quarum errationes, raptum luctumque Eleusis facibus illuminet." Dionysi autem orgia mysteriaque Cereris vel origine sua perturbationes et turpitudines produnt, ut misere velis pereat, quisquis est, qui primus huius fraudis hominibus auctor fuit[1]). Ipsaque ad enarranda aggressurum subdubitatio capit, utrum deceat, nec ne. Sed, inquit, quae sunt penitus abdita, ea palam pronuntio, dicere non veritus, quae vos nihil pudet, colere honore divino. Itaque nefanda multa de Venere exponuntur, resque amatoriae nefastae inter Jovem et Cererem, quae in mysteriis celebrantur, patescunt[2]). Tum de Proserpina pergit disserere, cuius Jupiter et pater evadit et corruptor[3]). Sequuntur autem Dionysi mysteria prorsus inhumana, quorum symbola, ut etiam Cereris, plane puerilia aut risum aut detestationem movent. Nec Corybantium orgia tacentur, quae item ad caedes spectant et sepulchra. Deinde ad Eleusina revertitur[4]). Novum quoddam Cereris facinus, quo nihil divinitate indignius, traditur. Et haec quidem abscondita Atheniensium mysteria, quae scriptis Orpheus mandavit![5]) Quorum causa Graecos ea manent mortuos, qualia minime sperant; quibus Heraclitus post mortem poenas minitatur ignemque praedicit[6]). Sed in mysteriis nihil inesse nisi superstitionem impiosque, pietate simulata, ritus, symbola quoque, quae deinceps enumerantur, aperte demonstrant[7]). „O manifestam impudentiam! Hominum quondam temperantium voluptatem nox velabat taciturna; nunc vero nox initiandis intemperantiae sacra eloquitur, ignisque perturbationes flagitiosas facibus illustratas palam demonstrat. Ignem, hierophanta, exstinguito! Qui lumen praefers, ipsas faces reveretor! Lumen istud Jacchum tuum redarguit. Nocte mysteria occulis abscondi patiare! tenebris orgia honorantor! Ignis non simulat; arguit punitque, quaecunque iubetur." Duplex autem est impietas: una, quod deum, qui solus vere est deus, non agnoscunt; altera, quod qui non sunt, tamquam exsistentes deosque et habent et nominant[8]). Cognoverunt etiam bene morati homines et tem-

[1]) p. 12.
[2]) p. 13–14.
[3]) p. 14.
[4]) p. 15–16.
[5]) p. 17.
[6]) p. 18–19.
[7]) p. 19.
[8]) p. 19–20.

perati errorem, quod quamquam non idem est, atque veritatem perspicere tamen scintillam quandam continet, unde lux veritatis est oritura. Duae sunt ignorantiae quasi extremitates: dei negatio (ἀθεότης, Unglaube) et superstitio (δεισιδαιμονία, Aberglaube). Erat autem antiqua quaedam hominibus coeli communicatio, ignorantiâ quidem tenebris obruta, repente tamen nonnunquam e tenebris exsiliens, rursusque fulgens; cuius rei testes sunt poetae. Sed cogitationes perversae, de via recta decedentes vereque perniciosae, hominem, plantam coelestem, quum coelesti a vita abduxissent, ut ad terrenas res adhaeresceret persuadentes, humi prostraverunt[1]).

Jam vero disputatio se convertit ad explicandum, quomodo factum sit, ut natura divino colatur honore. Homines igitur in hac rerum universitate pulchrum motum, ordinem, inprimis stellarum cursum admirati, quum in coeli contemplatione solis corporis oculis confiderent, solem, lunam, stellas in deos retulerunt. Fruges quoque propter utilitatem divinitate donarunt. Praeterea fortunam, conscientiae stimulos, multas hominis affectiones actionesque venerari inceperunt, unde tota Hesiodis Theogonia nata esse videtur. Denique dei, quem ignorant, beneficia tanquam deos colunt; inde Dioscuri, Hercules, Aesculapius[2]). Sed quidquid de diis ut personis narratur, id aut commentum est, aut ad homines pertinet flagitiosos et libidinosos. Quare etiam tres sunt Joves, quinque Athenae, sex quondam Appollines, nunc innumerabiles; itemque multi Aesculapii, Mercurii, Vulcani, quorum omnium patria, artes, vita, sepulchra nota sunt[3]). Et de patria quidem deinceps agitur primum[4]). Quod autem ad vitam attinet quum dii tum deae intemperantiae libidinisque arguuntur incredibilis. Neque dii a παιδεραστίᾳ quidem abstinent[5]). Sed mali certamine Venerem inter et Junonem oratio ad Graeca deducitur certamina, quae tanta multitudine celebrabantur et pompa. Haec igitur omnia sunt funebria[6]). Nec vero dii isti mortui sunt solum, sed in vita etiam mercenarii fuerunt omnique ex parte ἀνθρωποπαθεῖς[7]). Ne igitur Jovem quae-

---

[1]) p. 20 22.
[2]) p. 22.
[3]) p. 23—24.
[4]) p. 25 - 26.
[5]) p. 27—29.
[6]) p. 29.
[7]) p. 30—31.

ras in coelo, sed in terra, idque in Creta, ubi sepultus est[1]). Quanto meliores Aegyptii, quam Graeci! Bruta enim animalia venerantur, quae saltem, adulterio, libidinibus illicitis non sunt dedita. Nolite autem, Graeci, Aegyptios ludibrio habere, quod beluas colant, quum vos idem faciatis, eo tamen discrimine, ut praeterea etiam intemperantibus illis serviatis[2]).

At vero, nisi dii sunt, quos veneremini, daemonia certe habeantur oportet, quae secundum ordinem tenent! Si daemonia intelligitis homines gulae deditos vel impuritati, hoc largimur, neque eiusmodi deos in quavis urbe multos reperiri infitiabimur. In Hesiodi autem illud: daemonia esse, quorum tutelae homines sint commendati, proverbium quadrat: πατὴρ ἀνουθέτητος παῖδα νουθετεῖ[3]). Hi profectò non tutantur homines, qui eorundem clade et miseria crudeli hominum immolandorum i. e. interficiendorum consuetudine ubique vigente, delectantur[4]). Fugiamus ergo non bestias solum, verum multo etiam magis haec daemonia, hominibus pravis inhumaniora[5]). Imo si vellent daemonia ista tutari aliquem, non possent. Nam quid eventurum sit cuiquam, ignorant. Ut enim, historia teste, Cyrus Apolline misericordia maior, sic vaticinatione Solon.

Sed ventum est ad statuas. Superstitione nata, quod in dies crescebat, nil mirum. Templa igitur, mortuorum sepulchra, aedificata sunt, ut vos mortui sepulchris et mortuis serviatis. Statuae porro positae. Quid vero statuae? Opera hominum nihil sentientia, lapides, ligna, quaelibet materia. Noti sunt opifices[6]). Ut sapientium auctoritas (Sibyllae, Heracliti), sic ratio nostra statuas refutat. Simulacra, quippe sensus expertia, vilissima belua viliora, quae despicere ab avibus ad ea inquinanda advolantibus discite! Discite ab igne, quae eadem absumit impune![7]) Quid igitur statuae? Opifices amicarum pulchrorumque iuvenum imaginem his imprimunt, ut meretrices, libidinosos adolescentes possis venerari. Unde factum est, ut mox uxor maritum appellaret Jovem, Junonem maritus uxorem[8]).

---

1) p. 32.
2) p. 33–34.
3) p. 35.
4) p. 36–37.
5) p. 38.
6) p. 39–43.
7) p. 44–47.
8) p. 47–48.

Quae quum ita sint, avertatis tandem ab istiusmodi diis, daemoniis, simulacris mentem! O impietatem! Naturam immortalem, quoad potestis, defoditis! Quod sanctum est et sine macula, id sepulchris obruitis, quodque divinum est divinitate privatis! Quid ergo honores divinos, eis tribuistis, quae non sunt dii? Cur coelo relicto, terram colitis?[1]) Simiae simulacris non decipiuntur; falluntur homines[2]). Foedissima illa, quae de diis vestris dictitantur, in nostrarum aurium incurrunt offensionem. Deo enim propter Christum consecrati sumus, „genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.“ Opifices potius, quam opera venerari malitis. Sed est etiam opificum opifex. Illi enim aedificant, domos, naves, urbes, statuas: Dei autem opera qui enumerem? Universum adspice hunc mundum! Coelum et solem creavit; angeli et homines sunt „opera digitorum ipsius.“ Mera eius voluntas mundi est creatio[3]).

Quid autem de philosophorum placitis dicemus? Hi quidem partim haud differunt ab eis, quorum antea religiones perstrinximus. Sunt enim, qui rerum principia i. e. deos, elementa quaedam esse affirment, vel aquam, vel aerem, vel ignem etc. Num vero quidquam interest, utrum aquam an Neptunum, utrum Vulcanum, an ignem habeas deum? Ceterum Persae iam ante philosophos Graecos ignem coluerunt, quos hi velim praeceptores agnoscant[4]). Sed partim etiam philosophi, elementis superatis, ad infinitum (ἄπειρον) evolarunt, cui mentem (τὸν νοῦν) praefecerunt. Alii vero plenum et inane (τὸ πλῆρες καὶ τὸ κενὸν) principia excogitaverunt. Stoici denique, qui numen divinum per omnem materiam, etiam vilissimam, pervadere dicunt, philosophiam plane dedecore notaverunt[5]). Elementorum d o m i n u m quaero! Quis me adiuvabit? Platonem haud prorsus recuso. Et Plato enim et plures Poetae ad deum vivum et verum viam aperiunt[6]).

Sed iam audiendi prophetas tempus est. — Ostendit ergo Clemens inde a p. 65 ad p. 68 (ubi novi cantici imago redit) deum vivum ex V. T.; deinde a p. 68 ad p. 72 ex N. T. Locos eligit prudenter, qui etiam ad exhortandum idonei sunt, velut: „Ego deus et non est praeter me iustus et servator; non est excepto me. Convertimini ad me et salvi eritis, qui estis ex finibus terrae. Ego

---

1) p. 49—50.
2) p. 51.
3) p. 52—55: *μόνον αὐτοῦ τὸ βούλημα κοσμοποιΐα.*
4) p. 55—57.
5) p. 58.
6) p. 59—64.

sum deus et non est alius, per me ipsum iuro." Et porro: audi Israel! Dominus deus tuus, deus unus est." Modo autem pergit: „Quare diligitis vanitatem et quaeritis mendacium? Quaenam igitur haec „vanitas," quodnam est „mendacium?" Sanctus Apostolus domini, Graecos arguens, hoc tibi exponet: „Quod quum deum cognovissent, non sicut deum glorificaverunt, neque gratias ei egerunt; sed vani facti sunt in cogitationibus suis et mutaverunt gloriam incorruptibilis dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et servierunt creaturae potius quam creatori." (68.) Deinde paullo inferius: „Noli ergo amplius, fili, negligere castigationem domini!" O abundantem erga homines amorem! Non ut discipulis doctorem, neque ut servis dominum, neque ut deum hominibus se praebet, sed tanquam pater mitissime admonet filios. Venite, venite, mei iuvenes! nisi enim „efficiamini rursus pueri et regeneremini," neque verum patrem recipere, neque „in regnum coelorum ingredi unquam poteritis. Quomodo enim ingredi licebit peregrino? Is vero, quum inscriptus fuerit, civitate donatus, tum, patre accepto, in patris, credo, erit domo; tum, qui haeres fiat, dignus habebitur; tum regni paterni particeps erit cum filio ingenuo et dilecto. Civitate autem donamur in ecclesia..... „Expergiscere ergo, qui dormis, et surge a mortuis: tunc illucescet tibi Christus," dominus, sol ille resurrectionis, qui suis radiis vitam largitus est! .... Si salus aeterna venalis haberetur, quanti vos, homines, eam emturos conveniret? Ne si Pactolum quidem totum, aureum illud in fabulis flumen, quis admensus fuerit, pretium salute dignum numeraverit. Ne tamen cadatis animis! Licet enim vobis, modo velitis, emere hanc immensi pretii salutem proprio thesauro; caritate, fide viva. Quod pretium deus libenter accipit. „Superavimus enim in deo vivo, qui est servator omnium hominum, praecipue vero fidelium." Ceteri autem mundo, velut alga rupibus marinis, circumnati, immortalitatem spernunt; quedmamodum senex ille Ithacensis, haud quidem verae coelestisque patriae, vel verae lucis, sed fumi desiderio flagrabat. Pietas autem, ut hominem deo, quoad eius facere potest, assimilet, idoneum ipsi magistrum deum adscribit, qui solus hominem, prout est dignum, dei similem efficere pollet.... Audite ergo, qui procul, audite, qui prope estis! Logos se celat neminem, lux est communis, lucet omnibus hominibus. Nemo Cimmereus apud Λόγον. Properemus in salutem, properemus ad renascendum (ἐπὶ τὴν παλιγγενεσίαν, regenerationem, baptismum)! In unam caritatem cogi festinemus multi, ad eius, qua unica essentia est, unitatis similitudinem. Properemus honeste agentes! Pro ratione

sequamur unitatem, τὴν ἀγαθὴν ἐκζητοῦντες μονάδα. Coniuncta enim ex multis unitas, a variis et dispersis vocibus harmoniam accipiens, unum efficit concentum, eundemque chori ducem magistrumque sequitur Λόγον, ut in ipsa veritate acquiescat, „Abba, dicens, pater!" —

At vero, inquitis, consuetudinem a maioribus acceptam evertere, non est consentaneum! Sed cur non pergitis, solo uti alimento lacte? Quare patrimonium augere studetis? Quapropter eiusmodi tam multa alia non agitis totam per vitam? Nolite simulare, quod ipsi non creditis. Quia consuetudine adamastis superstitionem, hanc ob causam in superstitione libenter vivitis. Verumenimvero res est gravissima; nihil verius, nihil certius, quam honestos manere post mortem mercedem, poena malis reservata. Non secundum consuetudinem, sed secundum deum degendum est[1]). Deus, totus caritas, homines sequitur quaerens, quum contra, homines, quemadmodum canem odorantem indagare dominum videmus, deum requirere deceat. Domini estis; alii servire nefas! Mors proposita est et vita; utram malueritis, eligatis! Certandum est; ecce praemium immortalitas[2]).

Hoc modo pergit hortari, nonnunquam ad deorum falsorum amentiam respiciens, ut veritas magis fulgeat[3]). Deinde crescit exhortatio, modo vehementius currens, modo suavius. Natura, perturbationes humanae et actiones, divino cultae honore rursus enumerantur, tanquam omni prorsus carentes divinitate. Haec igitur turpitudo manere debebit propter consuetudinem! Non ita! Altera religio nititur amentia, ratione altera; eligatur![4])

Credito homo homini simul et deo! Credito homo deo viventi, qui et passus est et adoratur! Omnes homines credite soli omnium hominum deo! Credite, mercedem accipientes salutem! Quaerite deum, et vivet anima vestra! Qui quaerit deum, de propria sollicitus est salute. Invenisti deum! Habes vitam. Quaeramus igitur, ut etiam vivamus. Merces inventionis vita apud deum. „Exultent et laetentur in te omnes, qui te quaerunt; et dicant perpetuo: magnificetur deus!" Pulcher in deum hymnus est homo immortalis, iustitia exstructus, in quo veritatis verba acceperunt formam. Sed o feras hominibus errantibus beatiores! Quae quidem, ut vos igno-

---

1) p. 72—74: κατὰ τὸν θεὸν, οὐ κατὰ τὸ ἔθος.
2) p. 74—77.
3) p. 77—80.
4) p. 80—84.

ratione pascuntur, minime tamen veritatem simulant. Nullum inter eas simulatorum genus. Non colunt pisces superstitiosi daemonia; non adorant simulacra aves: unum tantum coelum admirantur, quum deum cognoscere, ratione deficiente, nequeant. Vos ergo, qui animalibus etiam rationis expertibus a ratione magis vos alienatis, tot aetates in dei negatione contrivisse non pudebit! Pueri fuistis; deinde adolescentes, tum iuvenes, tum viri: honesti adhuc nequaquam. Senectutem saltem, quum iam ad occasum vitae provecti sitis, reveremini. In hoc saltem extremo vitae fine resipiscite, deumque agnoscite, ut vobis vitae finis recuperet salutis initium. Consenuistis in cultu daemonum; venite iuvenes ad cultum dei: in numerum puerorum innocentium vos referet deus. Quodsi Atheniensis Solonis, Phoronei Argivus, Spartanus Lycurgi leges sequatur: sin te deo adscribis, coelum quidem patria tibi erit, deus autem legislator. Consuetudo ad interitum vocat; veritas ducit in coelum. Et ad hanc quidem veritatem faciles sunt aditus. Noli autem metuere, ne te multa illa et voluptaria simulacra, quae quasi umbrae animum identidem circumvolitant, a sapientia abducant; ipse enim praeteribis consuetudinis nugas tuo iudicio et voluntate, quemadmodum pueri quoque, viri facti, crepundia abiiciunt. Invicta vero celeritate et benevolentia, ad quam facile potest accedi, vis divina, orbi terrarum illucescens, salutis semine implevit totum universitatis corpus[1]). —

Pag. 86 continet imaginem universae generis humani historiae adumbratam. Indicatur enim Paradisus, peccatum, hominum servitus, redemptio. —

Jam vero, — ita tendit cohortatio ad finem, — opus ultra non erit, discendi causa Athenas proficisci, vel in ceteras Graeciae partes, vel in Joniam: per Λόγον enim totus mundus factus est Athenae et Graecia. Philosophia quidem nonnullas solvit quaestiones: lex domini autem nec tempore nec spatio finitur. Ut enim nox in tanta stellarum luce manet tenebricosa: sic vita nostra, quamvis philosophia lumen suum proferat, in tenebris iacet. — Exhortatio mirum in modum sese extollit; novae iterum oriuntur novi cantici voces[2]). — Deus ignoscit peccata. Magnum parvae fidei propositum est praemium. —

Fugiamus igitur consuetudinem veluti difficile quoddam promontorium, vel minas Charybdis, vel Sirenes in fabulis. Suffocat

---

[1]) p. 84—86.
[2]) p. 87—88.

enim hominem, a veritate avertit, abducit a vita; laqueus, barathrum, fovea, cribrum, malum est consuetudo. — His verbis conclusio exhortationis incipit et peroratio[1]), quae et cum prooemii suavitate ac dulcedine adaequatur, et animi commovendi arte longe praestantissimam se praebet. Bacchantem quendam, ut, Bacchanalibus insanis relictis, ad sana se convertat, commonefacit. Christianam igitur religionem tanquam Bacchanalia quaedam describit. „Veni, o insane, non thyrso innixus, neque redimitus hedera! Abiice mitram, nebridem abiice; sanae esto mentis! Ostendam tibi Verbum et Verbi mysteria, secundum tuam exponens rerum imaginem! Hic est mons deo dilectus; haudquaquam, veluti Cithaeron, tragoediis materiam suppeditans, sed veritatis consecratus dramatis; mons sobrius, castis umbrosus silvis. In quo non Semeles sorores, fulmine ictae, Maenades, impura visceratione initiatae bacchantur, sed dei filiae, pulcherrimae agnae, quae, modestum instaurantes chorum, veneranda Logi Orgia concelebrant. Chorus autem viri iusti. Canticum et hymnus in totius rerum universitatis regem. Psallunt puellae, glorificant angeli, prophetae loquuntur: musicae emittitur sonus, cursu thyasum persequuntur; festinant vocati, Patrem desiderantes recipiendum. Relictis Thebis, veni, o senex! tu quoque; divinatione abiecta et Bacchica insania, ad veritatem deduci te patere! En tibi, quo innitare, lignum praebeo. Festina, Tiresia, crede, videbis! Christus, per quem caecorum aperiuntur oculi, te sole clarius illustrabit. Nox te fugiet, ignis extimescet, mors abibit. Coelos videbis, o senex, qui Thebas non cernis. O sancta vere mysteria! O lucem puram! Praelatis mihi facibus, contemplor coelos ac deum. Dum initior, sanctus fio. Sacrorum autem interpres dominus, qui mystam illuminans obsignat, eumque, qui crediderit, Patri commendat in secula servandum. Haec sunt meorum mysteriorum Bacchanalia. Tu quoque, si visum fuerit, initiare; initiatus circa illum ortus interitusque expertem solumque vere deum, una cum angelis, hymnum dei Logo nobiscum canente, chorum duces. Aeternus hic Jesus, unus magnus pontifex unius eiusdem dei et patris, orat pro hominibus idemque homines hortatur. „Attendite, gentes innumerabiles“, vel potius quoquot estis inter homines ratione praediti, tam barbari quam Graeci! Universum hominum genus voco, quorum ego opifex voluntate Patris. Venite ad me, sub unum ordinandi deum unumque dei Λόγον. Ne animalia rationis expertia sole ratione superetis; vobis ex omnibus mortalibus immortalitatem

[1] p. 91—95.

solis ferendam largior. Volo enim, volo hanc vobis impertire gratiam, plenum beneficium tribuens, corruptionis libertatem. Λόγον etiam vobis gratificor, dei cognitionem, memetipsum gratificor integrum. Hoc sum ego, hoc vult deus, hoc symphonia est, hoc Patris harmonia, hoc filius, hoc Christus, hoc Λόγος dei, brachium domini, rerum omnium potestas, voluntas Patris. Quarum quidem rerum olim imagines, nec vero omnes adaequantes. Corrigere vos ad archetypum volo, ut mihi etiam similes efficiamini. Ungam vos fidei unguento, quo corruptionem abiicitis; nudamque iustitiae figuram, qua ad deum ascendetis, ostendam. Venite ad me omnes, qui fatigati estis et onerati; et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quod mitis sim et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum facile et onus meum leve est. Festinemus, curramus, o dei amantia, deo vere similia Logi, homines, simulacra! Festinemus, curramus, tollamus iugum eius, suscipiamus honestum ad immortalitatem aurigam; Christum diligamus, qui pullum cum vetulo sub idem duxit iugum; iunctaque iam hominum biga, ad imortalitatem dirigit currum, festinans implere evidenter, quod olim aenigmate in Jerusalem indicavit, nunc autem in coelos appellit. Pulcherrimum Patri spectaculum, aeternus Filius victoriam reportans! Honestorum ambitione teneamur, homines facti dei amantes, maximasque, quae nihil patiuntur, res consequamur, deum et vitam. Adiutor Logos; in hoc fiducia nostra! Neve nos unquam tantum argenti aurique, neve gloriae subeat desiderium, quantum ipsius veritatis Logi. Nequamquam enim deo erit gratum, si nos ea quidem, quae maximi sunt pretii, minimi facimus; amentiae autem, ignorantiae, socordiae, apertissima simulacrorum cultus probra extremamque impietatem pluris aestimamus. Neque enim inepte philosophorum filii, quaecunque agant amentes, haec eos nefarie et impie gerere existimant. Quin etiam ignorantiam insaniae speciem adumbrantes nihil aliud, nisi vulgus insanire, fatentur. Verumenimvero Logos: Nihil, inquit, dubitandum, utrum sanae mentis esse, an insanire melius sit. Tenentes autem mordicus veritatem sanaeque mentis compotes totis deum viribus sequi nos oportet, omniaque, ut vere sunt, eius esse putare. Praeterea et nosmetipsos, quum possessionum omnium nos esse pulcherrimam didicerimus, deo concredamus, dominum diligentes deum, idque nostrum esse per totam vitam rati. Quodsi communia sunt amicorum omnia, homo autem dei amicus; — amicus quippe Logo intercedente, — ergo fiunt omnia hominis quoque, quoniam omnia dei; et com-

munia amborum amicorum omnia, dei et hominis. Opportunitas igitur nobis, solum pium christianum dicendi divitem, sobrium, generosum; ideoque imaginem dei conformatam ad ipsius similitudinem eum appellandi atque credendi, ut qui iustus, sanctus, prudens, Christo Jesu duce, factus sit et proinde dei similis. Neque ergo gratiam celavit propheta, dum Ego, inquit, dixi, quod dii estis et filii Altissimi omnes. Nos enim, nos adoptavit filios, et nostrum solummodo vult se patrem haberi; nec vero eorum, qui non obediunt. Quae quum ita sint, res nostrae, ut Christi assectatorum, ita quodammodo se habent: Qualia consilia, tales etiam sermones nostri; quales autem sermones, tales etiam actiones; qualiaque opera, talis vita. Bona est tota hominum vita, qui Christum cognoverunt. Sed satis, arbitror, verborum est; quinimo, si longius forte processi, id hominum amore factum est, quum, quod a deo habebam, ad summum omnium bonorum, ad salutem hortatus, effunderem. Sermones enim vitae nullum habiturae finem interpretes ipsi quoque volunt finiri. Vobis autem iam reliquum est, ut, quod fuerit utilius, eligatis, aut iudicium, aut gratiam. Quod ad me, equidem nihil esse dubitandum censeo, utrum eorum sit melius; imo ne fas quidem est, comparari vitam cum exitio." —

II. De Paedagogo.

§ 1.
Quo tempore Paedagogus scriptus sit.

Quoniam autem deinceps de Paedagogo disserendum est, et hunc vere a Clemente Al. scriptum esse demonstratum, quo tempore id factum sit, nunc indagemus. Ac primum quidem ex supra disputatis constat, quum Stromata Paedagogum commemorent editum, hic autem Protrepticum: ipsum inter utrumque opus medium tenere locum. Atqui Protreptici editionem in annum aut 190 aut 191 loco ostendimus; Stromata autem non post annum 194 edi coepta esse probabimus infra: ergo Paedagogus circiter annos 192 et 194 scriptus esse videtur. Qui utrum ad verbum ea, quae Clemens eisdem annis discipulos praesens docuerit voce viva, contineat, nec ne, et nostra quidem haud magnopere refert, et ad demonstrandum difficile est. Certe argumentum idem.

§ 2.
De Paedagogi proposito.

Qui autem huius operis finis, quid auctori hoc exaraturo propositum fuerit, si quaeras: haec res ne minimam quidem subdubitationem habet. Vult enim exponere, qua ratione vita humana ad christianae legis normam dirigatur. „Paedagogus enim in actione versatur, non in cognitione, cui quidem finis est, ut animum meliorem reddat, non ut doceat, quippe qui honestae vitae ducem se praebeat, nec vero eius, quae scientiae vacet.“[1]) Ad ea invitat, quae oportet, agenda.“ Idque duplici modo; neque enim solum

---

[1]) Paed. I. 1. p. 98. 8—11: *πρακτικὸς, οὐ μεθοδικὸς ὢν ὁ Παιδαγωγός· ἧ καὶ τὸ τέλος αὐτοῦ βελτιῶσαι τὴν ψυχήν ἐστιν, οὐ διδάξαι· σώφρονός τε, οὐκ ἐπιστημονικοῦ καθηγήσασθαι βίον.*

„divina inviolataque praecepta tradens“ Christi legem explicatam proponit, sed etiam „eorum, qui antea erraverunt, exempla posteris ostendens“[1]) contrariam legem hominum vita formatam contra ponit, ut mendacio veritas magis illustretur. Attamen ut penitus operis finem intelligamus, nescio an paullo altius sit repetendum. Tria igitur opera illa, quae gravissima Clementis exstant, Protrepticum, Paedagogum, Stromata, arctissime cohaerere inter se et coniungi auctor iubet. Unus ergo finis omnium communis, sed ita, ut duo praeparent, tertium perficiat. Et hic quidem proxime accedit ad eum, qui omnibus hominibus propositus est ultimus, quem quum Clemens in beatitudine ex dei visione percipienda ponat, scriptis suis homines adhuc in terra degentes ad dei quasi visionem, i. e. ad τὴν γνῶσιν adipiscendam adiuvare studet. Quae γνῶσις, ut infra probabimus, a nemine unquam obtinetur, quin novo sit corde, ad Christi legem formato. Quod quum auctori persuasissimum esset, novos „Protreptico“ nactus credentes statim mysteriis coelestibus initiare neque volebat neque poterat ex sua mente. Similiter Aristoteles, Politicen suam expositurus, tacere linguam iussit locuturam, dum auditores ethica honesta essent instructi moratique optime. Clemens igitur id sibi in Paedagogo componendo proposuit, ut „vitam doceret honestam ex catechesi inchoatam una cum fide crescentem, quae eorum, qui in viros adscriberentur, animum, virtute illum praeditum, ad scientiam gnosticam praepararet recipiendam[2]).

Paedagogi ergo finem ponimus in animi sanitate restituenda, i. e. in praeparatione quadam ad τὴν γνῶσιν obtinendam necessariam[3]).

Deinceps autem indagandum, quatenus hunc finem assecutus sit, quod argumento explicando efficere studebimus. —

---

[1]) l. l. 17. sqq.

[2]) Strom. l. s. l.

[3]) Pulchre etiam sub finem capitis I. L. I. rationem, quae inter tria opera illa intercedat, explicat his verbis: „Quemadmodum, quorum corpus aegrotat, eis medico opus est, ita, quorum animus aeger, ei Paedagogo egent, ut qui perturbationibus nostris medeatur; deinde autem doctore (qui in Stromatis se praebet), qui puram deducat animam ad cognitionis acquirendae facultatem, ut Logi revelationem percipere possit. Quum autem salutari gradu ad efficacem disciplinam convenienti nos perfectos reddere studeat, pulchra utitur *οἰκονομίᾳ* Logos, hominum amans in omnibus, primo quidem cohortans, deinde Paedagogi fungens officio, tandem docens.“

§ 3.

De libri I. argumento.

Paedagogus igitur ita orditur, ut, quid polliceatur, discrimine inter Protrepticum, Paedagogum Stromataque adumbrando, ipse plane ac distincte exponat. Quodsi Protrepticus, in quo, quemadmodum in carina navis, fidei aedificandae fundamentum cernitur, homines a mundana unaque cum ipsis alta consuetudine [1]) abduxit: Paedagogi est, exstirpatis perturbationibus, quales actiones deceant, praecipere. Idem autem Logos est, qui et hortatur, et praecipit, et, ut postea apparebit, docet. Sed Paedagogus munere fungitur suo duplici: uno, perturbationes sanandi, praecipiendi actiones honestas, altero. Duplicem porro finem consequi studet etiam dupliciter: quum dando praecepta, tum priorum vel honeste viventium vel etiam errantium exempla exhibendo. Veritas enim, mendacio prorsus e conspectu remoto, haud satis percipitur [2]).

Sed omnino sine peccato deus solus est. Nostrum est autem studere, quoad eius fieri poterit, huic fieri similes; et hic quidem vitae huius morumque finis. Sin nullo modo peccare dei est, tria nobis relinquuntur: primum, nihil unquam attingere iniusti scienter et cum deliberatione, quod est sapientis; alterum, non incidere in multa eorum, quae non sunt voluntaria, quod est eius, qui a Paedagogo bene institutus est; haud diu autem versari in peccatis, tertium est. Ut vero solus deus sine peccato, sic etiam praeter eum nemo, qui peccatis possit mederi. „Medicina, ait Democritus, corporis morbis medetur; sapientia autem liberat animum a perturbationibus.“ Sed utrumque bonus efficit Paedagogus, qui ipse est sapientia Logosque Patris. Hic enim, quum hominem formaverit, toti curationem admovet creaturae; medetur quum corpori, tum

---

[1]) Hoc mirum fortasse in Paedagogi prooemio videbitur, quod τὰ ἤθη Protreptico tanquam materia tractanda vindicentur. Quid enim? Nonne ipse Paedagogus mores dirigendos sibi proposuit? Protrepticus autem homines „a mundana unaque cum ipsis alta consuetudine abducit.“ Sane, res ita se habet. Sed τὰ ἤθη ita haud dubie tantum ad Protrepticum Clemens pertinere vult, ut pravis exutis, ad bona ἤθη homines disponantur recipienda. Quamobrem statim Protreptici munus ita explicatur, ut „eo quidem valde exsultantes gaudio, veteribus opinionibus abiuratis, ad salutem capessendam alacres reddamur.“ Similiter paullo inferius ita Protreptici officium definit, ut Paedagogum prius εἰς διάθεσιν ἠθοποιΐας hortatum esse dicat (98. 16.). Dum autem hortatur Paedagogus, appellatus est Protrepticus. Nam idem uterque.

[2]) p. 97—99.

animo, ad omnia sananda idoneus naturae humanae medicus, Servator[1]).

Qua re autem commoti, qua causa movente impulsi unum omnium actionum finem, dei similitudinem assequi studeamus? Grato erga deum amore. In omnibus enim dominus prodest, in omnibus iuvat. Ipse nullius rei indigens, nullam rem sibi postulat. Hominem ad sui ipsius imaginem creavit, ut sit propter suam naturam (δι' αὐτὸν) amabilis. Tam magnum eum esse voluit. Quod autem propter semetipsum amabile est, id etiam amat deus. Ergo homo quoque ab eo amatur; imo ita amatur, ut ex sinu Patris Filius propter ipsum demittatur. Itaque divina praecepta sequi debemus redamantes deum[2]). Sequimur autem eo facilius, quod dominus, caro factus, non solum doctrina, sed etiam actione praecessit[3]).

Finis autem ille tam mulieri quam viro propositus est. Uterque enim homo[4]).

Sed Παιδαγωγὸς educat παῖδας; παῖδες autem secundum S. S. Scripturas omnes sumus, quotquot simplici et innocenti corde reperimur. Ita enim pueri videmur et deo et mundo: huic quidem, ut qui ipsius sapientiam comprehendere nequeamus; illi tanquam filii dilecti adoptati, quorum est semper discere ab uno coelesti doctore, solo iustitia perfecto, ut perfectus diabolus malitia[5]). Ne vero pueros nos appellari eo sensu opinere, quasi puerili adhuc aleremur doctrina; baptismo enim perfecti sumus, quippe quo illuminati deum cognoverimus. Dei autem cognitione nulla scientia maior digniorque viro. Quamquam in hac terra deum cognoscere et credere in deum, i. e. dei possessionis anticipatio, multum differt ab ipsa dei possessione, in qua erit post credentium resurrectionem finis ultimus; attamen, quanta hic fieri poterit, perfectionem nos esse adepturos putamus.

Fide autem, quae una cum baptismo datur a Spiritu sancto,

---

[1]) p. 99—101.

[2]) Summum igitur ethicae christianae principium, quod vocant, habes: deo fias similis ex amore erga ipsum! —

[3]) p. 101—103. *Ὁ Λόγος αὐτὸς ἐναργῶς σὰρξ γενόμενος τὴν αὐτὴν ἀρετὴν τὴν πρακτικὴν ἅμα καὶ θεωρητικὴν ἐπιδεικνύς κ. τ. λ.*

[4]) p. 103—104. Id velim eis, ut recordentur, visum fuerit, qui ne in divinis quidem rebus mulieri ita multum discendum esse dictitant. Mulieris enim perfectionem in corde versari. Sed eiusmodi viris, nescio qua fortuna, ipsis accidit plerumque, ut in dogmatis ecclesiae haud ita multum proficerent.

[5]) p. 104—112.

omnes homines spem habent salutis. Nam eadem inter omnes dei iusti generisque humani amantis communio et aequalitas, apud quem nullus est personarum delectus. Neque igitur Paedagogus pueros vi intelligendi nos appellat, sed malitia. Et hoc quidem modo simus omnes infantes oportet, ut sapientia fiamus viri perfecti. Infantia enim, quae est in Christo, perfectio est. Quamvis enim Apostolus se ad finem propositum iam pervenisse neget, tamen eo ipso, quod „coelestis vocationis" praemium consequi studeat, quin perfectus habeatur, non impedit. Namque in eo perfectionem hic esse ponendam, ut quis, a peccatis solutus, in eius fidem, qui sit solus perfectus, regeneratus sit[1]).

Jam vero, qui sit educationis finis qualesque sint educandi, quum ostenderimus, deinceps, qui sit, qui educet, i. e. qualis sit Paedagogus, exponendum. Regiorum igitur Paedagogos liberorum multos cognovimus: Achillis Phoenicem, Adrastum filiorum Croesi, Alexandri Leonidem, Nausithoum Philippi, aliorum alios. Hi autem quid effecerunt? Perturbationibus magnam partem dediti ipsi, discipulos posteris tradiderunt perturbatiores. Et Persarum quoque regum educatores, qui summa cum religione deligebantur, ut pueri nobiles optime sagittis uti discerent, omnem dabant operam, qui, quum pubescerent, a nulla turpitudine abhorrere solebant. Ut brevi dicam: regii huius mundi liberi Paedagogis utuntur et ignobilibus et perturbatis et ad perturbationes plerumque ducentibus[2]). Nos contra, regis coelestis filii, Paedagogum habemus ipsum S. deum, Jesum, bonum pastorem, totius generis humani ducem, deum hominis naturae amantem, qui, quum origine sit nobilis, tum sua bonitate commovetur, ut nos ducat tanquam amicus; quemadmodum aquila protegit nidum suum, sic ille de nobis sollicitus est. Hic est, quem facie ad faciem a se adspectum esse dicit Jacob. Ipse enim dei facies est, quae deum nobis illuminat, ut cognosci possit. Idem porro dominus veteris populi Paedagogus est per Mosem lege erudiens, quae metu nititur, per semetipsum autem metu in amorem mutato, dux novi populi, facie ad faciem.

---

[1]) p. 112—129.

[2]) Plurimum certe intersit, aequalium nobilium educationem, ut esse assolet, ita cum veteri illa comparare, ut, quanam re una ab altera praecipue differat, appareat. Quinctiam in omnibus fere humanioris, quam dicunt, educationis scholis Clementis Paedagogum nobilem illum et origine et sua bonitate frustra quaeres. Sagittis uti docentur pueri nostra aetate quoque, sagittis, quibus „panem quotidianum" pulverulentem, quum adoleverint, abundanter neque sine honore acquirant.

Sed est etiam iudex; quapropter prophetia virgam ei tribuit, virgam disciplinae, imperii, potestatis. Quare educatio eius est gravis plenaque consolationis et salutis, quae est religio ad deum pertinens verum, divini cultus doctrina, ad consequendam veritatis cognitionem institutio, ductus rectus sursum ducens in coelum, veritatis rectio ad deum contemplandum, actionum sanctarum adumbratio et exemplar, quod permanet in aeternum [1]).

Ne vero dominum, ut qui virga, minis, metuque utatur, non esse benignum opinere, summae benignitatis, qua homo factus est propter nos, oblitus. Nihil enim eorum, quae sunt, deus odit; hominem autem inprimis diligit. Qui autem eundem deum et bonum et iustum esse non posse dicunt, ideo vehementer errant, quod eos fugit iustitiae natura, quae minime in delectando cernitur, sed in discernendo et retribuendo κατ' ἀξίαν. Neque, quod dominus hominum diligens irasci dicitur et punire, quum animi perturbationum animadversio et castigatio sit veluti chirurgia quaedam, admonitio autem animi aegrotantis diaetetica quaedam, mirandum est. Nulla enim poena per se est deligenda, sed finem habet id, quod bonum est. Quare reprehendere benevolentiae est, non odii signum. Certe dominus si vituperat homines, id amore facit, non odio, qui quum propter nostra ipsorum peccata nos perdere liceret, ipse pro nobis passus est. Quodsi castigat, iniustitia nostra dei iustitiam provocante castigare eum persuasum est nobis, ut id, quod iustum est, vindicetur; in ipsum autem castigatum castigationis causa cadit, quippe qui peccaverit non invitus. Deus autem, quatenus natura bonus est, non potest non odisse malum, quem non solum philosophi, veluti Plato, verum etiam S. S. Scriptt. et bonum et iustum esse docent [2]).

Dominus porro se habet erga nos, quemadmodum erga liberos ipsi. Qui autem propter utilitatem castigant, quamvis praesentes molesti sint, tamen benefici futuri videntur. Neque igitur praesentem voluptatem dominus, sed delectationem spectavit futuram. Quare omni sapientiae arte utitur, admonens, reprehendens, querens, insectans, redarguens, corrigens, obiurgans, etc., ut filios salvos faciat. Sed nisi divinam benignitatem, quae in his omnibus apparet, susceperitis, cognoscetis potestatem. Omnino enim ex hoc timoris iniiciendi artificio fons salutis oritur; imo animadversione eius misericordiam metimur, quum misericordia et iustitia

---

[1]) p. 129—135.
[2]) p. 135—142.

eiusdem divinae sint potestatis. Quemadmodum enim speculum deformi homini non ideo malum est, quod eum, qualis est, ostendit; neque aegrotanti medicus malus, qui febrem ei annunciat — non enim febris causa est, sed indicat febrem: — sic neque is, qui redarguit, in eum, cuius animus morbo laborat, malevolus est, ut qui non infundat ei delicta, sed, quae adsint, ostendat, idque eam ob causam, ut ab eiusmodi studiis liberetur [1]).

Nec vero eo tantum educandi modo utitur Paedagogus, ut reprehendens errantes convertat, sed etiam laudibus extollit, ut iusti iustitia crescat [2]).

Christus autem verus est Paedagogus noster, bonus iustusque, qui etiam per legem et prophetas filios tum quidem temporis insolentes educabat, quem Pater nobis commendans: „hic, inquiebat, est filius meus dilectus, ipsum audite!" Hic etiam fide dignus est, divinus Paedagogus, tribus illis rebus pulcherrimis ornatus: scientia, benevolentia, dicendi libertate; scientia, quum sit Patris sapientia; benevolentia, quoniam propter nos se ipsum hostiam tradidit; dicendi libertate, ut qui deus sit et mundi opifex [3]).

Hic igitur veram vitam nobis adumbrat, cuius forma neque austerior, neque propter clementiam dissolutior est, sed nostra definitur potestate. Atque id quidem sequitur, ut hominem terrenum formet in sanctum coelestemque, qua re potissimum vox illa divina impleatur: „Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram." Homo enim iustitia Christi nondum donatus ad imaginem tantum esse dici potest. Vos autem coelestem vitae rationem meditantes, per quam divinitatis participes exsistimus, etiam ad dei similitudinem creamur, cuius laetitia beatitasque maior est, quum ut vel spe vel coniectura eam hic unquam adsequare.

Sed coelestis illa vita ex concentu actionum cum verbo divino, vel sana ratione agnoscetur. Quidquid enim rectae rationi fit non convenienter, id peccatum est, de dei similitudine detrahens; contraque virtus est animi habitus rationi conveniens, per totam vitam, qui quum adversus rationem obedienter faciendo gignatur, mandatis tanquam fundamento nititur, quae veritatem habent finem. Veritas autem religionem parit ac pietatem, cuius finis est requies aeterna in deo; et finis noster aeternitatis initium. Ille vero habitus

---

[1]) p. 142—150.
[2]) p. 150—154.
[3]) p. 155—156.

singulis actionibus cum ratione congruentibus manifestus deprehenditur, quas adumbraturus est liber alter[1]).

§ 4.

De libri II. argumento.

Christianum igitur qualis per totam sit vitam oporteat, S. script. duce summatim descripturi, ita a nobismetipsis incipiamus, ut primum, quomodo altera humanae naturae pars, quae est externa expersque rationis, animique egens oculo, temperanda sit ac regenda, dicamus. Itaque quum principio generi animantium omni sit a natura tributum, ut corpus suum vivens tueantur, hoc discrimen hominem inter et beluam animadvertendum est, ut haec pastum anquirat, nesciens, eo se vitam conservare, sed ut eum capessens voluptate gestiat; homo contra edat sciens, ut vivat, vivens autem ad immortalitatem se praeparet. Unde ad perspiciendum haud est difficile, qualis ciborum delectus habeatur, multum interesse. Et quoniam proximum coenandi propositum esse debet, ut in hac vita manere possimus, quae nocitura videantur corpori, declinanda sunt potius, quam voluptatis causa consumenda. Quare quid de epulis lautioribus, delicatioribus, undique terrarum conquisitis exquisitisque — liguritio enim hominum non habet terminum, — iudicandum sit, in promptu est. Certe, qui eiusmodi epulas dicere audent *ἀγάπας*, prave faciunt et impie, neque Christum imitantur, sed quia vehementius illas amant, ignorantque salutis causa cibum et potum homini a deo parari, nomine utuntur tam pulchro. Sed Spiritus S. per prophetas hoc nomine eos privat simulque salute aeterna[2]).

Porro autem abstinendum est ab eis, quae εἰδωλόθυτα vocantur, non quod in his inesset vis quaedam timenda, sed quia conscientia nostra sancta est, quam daemoniorum, quibus illa dedicata sunt, turpitudinis taedet[3]).

Omnino nos decet imperare cibis, non servire. Quodsi imperium tenemus, non tam religiose ciborum varietas vitanda est; sed videndum est, ne quid fiat offensioni. Quare etiam fratrum causa nonnunquam continentia utamur[4]). Intemperantia autem epularum est feritas quaedam atque insania. Ut autem appareat, te cibis esse superiorem, dum edis, in toto corpore id, quod est

---

1) l. c. p. 157—160.
2) p. 162—168.
3) p. 168—169.
4) p. 169—171.

decorum, conserves. Sed vel eam ob causam continentia utilis, quod, qui omnia, quae licuerint, egerint quoque, hi facile in illicita cadent. Nec vero omnibus uti licet; quamvis enim omnia propter homines facta sunt, tamen neque omnibus frui iubemur neque omni tempore. Lex autem Judaeos plurima comedere vetabat, donec proclivitatem ad luxuriam delicatam, quae ex consuetudine nascitur, dissolvisset. Accedit porro, quod ex hac ciborum voluptate corpori multa oriuntur damna [1]).

Similiter autem de potu iudicandum. Naturalis sobriusque potus, qui sitientibus necessarius est, aqua evadit. Vino interdum ut medicina uti licet, id quod Paulus Timotheo suasit. Iuventuti vero florenti nocet quam maxime, dum ignis additur igni, unde libidines et impudentia; non item senioribus, quibus vini aliquantum concedimus, ut aetatis frigus temperetur fervido vitis remedio. Neque enim senectutis appetitiones in ebrietatis naufragiis iam solent fluctuare. Vinolentia vero, quae praeter corporis damna hominem animi imprudentia et stultitia afficit, semper evitanda est. Quin etiam animum una cum corpore libidinibus propter vinum tandem dedito non potest non perdere. Sed omnem quoque decorem evertit potus intemperantia. Christus, qui, quum vere esset homo propter nos, bibebat quoque, sed urbane, sed decore, ut in omnibus, sic hac in re exemplum, quod imitemur, deligamus oportet. Multo vero magis mulier caveat a crapula; quod enim virum dedecet, maiori etiam contumeliae vertitur mulieri, quae vinolenta „ira dei" vocatur. Omnino autem homini honesto vini satis sit exiguum [2]).

Et vestes porro et suppellex, et quibuscunque domus utitur, ea vitae Christiano degendae convenientia esse debent, accommodata personae, aetati, studio, tempori, ut, quorum unus est dominus deus, una eorum sit forma quoque vitae. Christianus divitiis terrenis non gloriatur, veras potius divitias habet cupiditatum paupertatem; non vasis se iactat, quae volenti vel e foro licet emere; sed sapientiam laudat, quae nec terreno venditur numo, neque in foro, in coelo contra venditur numo iusto, Logo immortali, regali, aureo [3]).

A conviviis autem semovendi sunt cantus eique modi, qui sensus prave titillant, ad impudentiam impellunt, mores effeminant. Quamquam modestae harmoniae, pudicae gravesque vituperandae

---

[1]) p. 171—177.
[2]) p. 177—187.
[3]) p. 188—191.

non videntur. Sed pulcherrimi et dulcissimi cantus laudes sunt illae, quibus deo, priusquam potu vel cibo utimur, gratias agimus. Christus enim, ad cuius formam optimam conformemus oportet totam vitam nostram, in conviviis quoque συμποτικὸς esse debet [1]). Neque, quid de risu videatur, audire negliges. Neve igitur, qui ridicula agit, hunc sequare, neve ipse ridiculum te esse cupias. Nam si homo externus risum movet, nescio an etiam internus dignus sit, qui irrideatur. Urbane potius et loquendum et agendum. Quin etiam cavendum est, ne miros edas risus, neve cachinnos, ut vultus torquendo deformetur. Quidquid agis, quidquid loqueris, id decorem prae se ferat et honestatem. Nec vero volo, te esse morosum, sed severitatem diligo non sine clementia; temperantiam serves in omnibus, ne una licentia gignat alteram [2]).

Itaque ab omni quoque verborum turpitudine diligenter abstinendum est. Idque videas, non solum a te ne quid turpe dicatur, verum ne ab eis quidem, quibuscum versaris; sin prohibere frustra studueris, ne quis alius turpiter loquatur, huic ne dederis aures. Sed etiam eorum, quae denudare non decet, adspectum vitabis, non quod ista per se essent turpia, sed propter malitiam, quae in turpi cernitur actione [3]).

Inprimis autem qui plures convivari assolent, verborum sermonumque rationem habeant et delectum, ne quid ad laedendum, ne quid nimis, ne quid insolenter, ne quid effeminate, ne quid turpiter loquantur. Adolescentes, si adsint, in omnibus modestos se praebeant; taceant, audiant; bis interrogati vix respondeant. Virgines vero ne intersint virorum conviviis, praesertim vinolentorum. Et quae sunt nuptae viris, si adesse cogantur, et externo amictu et interno pudore verecundae agnoscantur. Sed convivantes omnes, quidquid loquuntur, quidquid agunt, et caritatem custodiant, et decorem et honestatem omnem. Nam Christiani propria est in omnibus quies, tranquillitas, serenitas, pax [4]).

Neque vero coronarum unguentorumque usus necessarius est. Quod autem mulier unxit pedes Domini assentientis, vel quod antiqui Hebraeorum reges diademata auro ornata et lapide pretioso gestabant: eiusmodi facta allegorice sunt interpretanda, non ita quidem, ut facta negentur, sed ut, cur probanda videantur, intelligatur.

[1]) p. 192—195.
[2]) p. 195—197.
[3]) p. 198—200.
[4]) p. 200—204.

Sunt autem unguenta, quibus hac aetate utuntur mulieres, innumerabilia, ex rebus animatis, ex inanimatis confecta; usus vero varius est et multus. Decet autem virum non unguenta olere sed honestatem; et mulier spiret Christum, i. e. regalem unctionem, cuius odore debet esse repleta. Quemadmodum delicias a gustu semovimus, ita etiam voluptatem a visu et odoratu profectam secludimus, ne intemperantiae, quam fugavimus, per sensus tanquam per portas sine custodibus aditum patefaciamus in animum. Suavis enim odoris studium esca est mollitiei et libidinis. Est quidem unguenti usus quidam utilis, sed temperatus, ut medicamenti, ut auxilii. Hoc utile in unguentis deligendum, non id, quod ad libidinem impellit. Qui autem voluptatem ex odore percipere student, hos ut intemperantes facile quasi venantur ex unguenti suavitate, quae eis afflatur, temperantia praediti. Neque decet, nos uti coronis, ut ipsi gloriemur, sed florum adspectu atque odore dum fruimur, deum laudemus oportet opificem. Praeter adspectum igitur florum usus sit nullus. Mulieris enim corona vir, matrimonium viri, liberi autem matrimonii. Nobis vero corona est rerum omnium pater, et universae ecclesiae corona est Christus. Sed coronis abstinendum est Christianis propter conscientiam, quod deorum falsorum simulacra coronari solita sunt. Coronabimur autem coronis immortalibus, quum vitam honeste gesserimus, in coelis. At vero in terra, quoniam Christus spinis coronatus est, ne ipsi capita nostra floribus redimiri patiamur. Quae tandem florum utilitas? Unguenta ex eis componuntur. Odore uti possumus. Dei enim providentia piis omnia vertit emolumento [1]).

Quod vero ad somnum pertinet, mollitie spreta, sobrietati studendum est. Neque enim somnus plena sit corporis solutio, sed remissio tantum quaedam, qua negotiorum ac laborum fiat requies. Quamobrem ita dormiamus oportet, ut facile expergiscamur, imo per noctem interdum surgamus ad deum laudandum, qua re angelis similes reddimur, qui nullo unquam somno a laude prohibentur. Nimii autem somni, qui neque corpori neque menti prodest, sed vitae dimidium rapit, causae sunt in potus vel cibi abundantia [2]).

De matrimonio porro id tenendum est, huius esse scopum, ut liberi procreentur; ut autem honesti sint, istum esse finem. Et sic quidem homini curae est, ut genus humanum permaneat, qua re dei

---

[1]) p. 204—216. Tertulliani libelli de corona militis argumentum generale hic habes.

[2]) p. 216—220.

fit similis creatoris. Quamobrem generandi vi nullo modo abutendum. Παιδεραστία inprimis abominanda, quae hyaenae est concessa, non homini. Sed ab omni incastitate abstinendum. Natura enim ipsa hac in re pudorem tanquam virtutis custodem posuit. Ne in coniugio quidem sola voluptas est appetenda; quod praeter finem, id praeter rationem et virtutem. Dominus vult profecto, genus humanum propagari, nec vero libidinem expleri, ut expleatur. Interdiu omnino taceat, ne noctu quidem decorem negligat; nihil enim unquam dei oculos fugere poterit [1]).

Sed vestimentorum quoque usus sit rationi conveniens, quorum in eo ponimus finem, ut quum a perniciosis caveamus, tum pudori consulamus. Qui autem in corpore ornando pulchritudinem cerni opinatur, ignorans, quid vere sit pulchrum, quid vere honestum, vehementer errat [2]).

Gemmas deinde et margaritas ita admirari, ut quasi attonitus videaris, puerilem indicat eruditionem. Divitias habes, non quibus prae ceteris fruaris, sed quas egentibus largiaris. Quare praestat fructui largitio. Ornatum sin desideraveris, internum quaeres; vera enim et pulchritudo et turpitudo in sola mente potest inveniri. Nam pulcher est homo, non qui dives, sed qui honestus est. In pedibus sit impigra ad bene faciendum alacritas progressioque ad iustitiam. Torques autem pudor et temperantia, qualia deus fundit monilia; aurium ornatus sit vera catechesis; audiant res divinas, sancta contemplentur oculi, „Logo veram ostendente pulchritudinem, quam nec oculus unqua vidit antea, nec auris audivit“ [3]).

§ 5.
De libri III. argumento.

Sed vera pulchritudo in animo posita est, qui se ipsum potest cognoscere; quod si fecerit, deum agnoscet, cui se adsimilabit, non auro quidem gestando, non veste talari ferenda, sed bene recteque faciendo. Ea est ergo hominis pulchritudo, ut animi natura explicanda divinus fieri possit, deo similis, qui est verum et ipsum pulchrum. Quamquam corporis quoque pulchritudo est quaedam, quam in immortalitate, post resurrectionem futura, cernimus [4]).

---

¹) p. 220—231.

²) p. 231—241. Quae his paginis continentur, separanda sunt a sermone de matrimonio novoque mandanda capiti, vel potius nectenda cum capite calceamentis.

³) p. 241—248.

⁴) p. 250—252.

Non externi igitur hominis adspectus, sed animus honestatis pulchritudine ornandus est; et si quid corpori ornatus dare volueris, hoc temperantiae decore ornabis. Mulieres autem, quae externum tantum hominem colunt, Aegyptiorum templis similes evadunt, in quibus omnia auro, argento, electro collucent; at vero deum si quaesieris, velis contractis, beluam quae super vestem stragulam purpuream volutatur, animadvertes. Quae enim corpori ornando nimis vacant, dei imaginem intus habitantem negligunt. Sed hominum opificem quoque contumelia afficiunt, quae tantopere arti affixae sunt ornandi et fucandi, quasi convenientem pulchritudinem eis ille non donasset. Quae quum ethnicis poetis invisae sint et contemnendae, quanto magis erunt abiectae veritati! Liguritio et ebriositas magna sunt vitia; maius autem nimium sui ornandi studium. Mensa enim plena et frequentes calices ad cupiditates illas implendas sufficiunt: at qui auri, purpurae, gemmarum nimio tenentur studio, quamvis, quae super terram et quae sub terra, possideant omnia, nunquam satiantur. Neque enim possessio sola quaeritur, sed, ut adspiciantur possidentes et honorentur, volunt. Christus vero hortatur, ut ea, quae non videantur, consideremus, non ea, quae oculis intueamur. „Quae enim videntur, sunt temporalia; quae autem non videntur, aeterna.“ Qui corporis pulchritudinem eamque fictam sectantur, veram amittunt, quorum finis mors et poenae [1]).

Sed eo stultitiae ventum est, ut viri quoque, mulierculárum modo, corpus colunt, qui, flore virili perdito, effeminentur necesse est. Unde urbes eorum, qui picant, radunt, vellunt, plenae et officinarum. Ubique enim viri nihil pudentes, quos neque aliorum pudet neque sui ipsorum. Diogenes quidem, quum venderetur, viriliter, „veni, inquit, adolescens, eme tibi virum, oratione ambigua meretricium illius habitum castigans. Absurdum est autem senectutem fugere tanquam malum, idque corpore pingendo. Nam qui se pingunt, rugas non evitant neque mortem fugabunt. Senectus vero eo est venerabilior, quo propior fini ultimo. „Senum autem corona, ait S. Scr., multa est experientia; et vultus eius canities flos est multae experientiae.“ Deus ipse senex est aeternus. Sed dei opus qui semper student renovare, deo repugnant opifici. Renovandus est homo, non tincturis ornamentisque, sed „spiritu mentis,“ ut „induat novum hominem, qui secundum deum creatus est, in iustitia et sanctitate veritatis.“ Barbam autem tondere

[1]) p. 252—261.

muliebre est et contra apertam dei voluntatem. Viri signum illud, barba, Eva est antiquius et melioris vitae signum; signum etiam roboris et imperii. Viri enim quum sit agere, pati est mulieris. Sin autem quis velit fieri pulcher, id ornet, quod in homine est pulcherrimum, mentem. Sed omnia vertit in contraria mutatque luxus. O miserandum spectaculum! O studium nefandum! Patres filias olim expositas uxores ducunt. Sed hoc parum est; pessimum in eo cernitur, quod nefas eiusmodi leges sapienter permittunt, quod scelera contra naturam non fiunt contra legem. Emunt autem parvo numo mortem. Sed, ut redeat, unde deflexit, oratio: barbam vellere, pulchritudinem innatam et ingenuam, non decet. Vir autem maneat vir omni habitu et cultu. Ex moribus enim externis aperte arguuntur hi homines, vestitu, calceatu, figura habituque, tonsu, adspectu; „ex adspectu enim vir cognoscetur," (Eccl. 18.), et „ex occursu hominis homo agnoscetur. Vestitus viri et gressus pedis et risus dentium de ipso anuntiabit." (Ibid. 9.). Inprimis vero barbam ne tondeas, quae vera quaedam viri est pulchritudo, vires indicans. Quapropter leones hirsutis se iactant pilis, quibus in pugna armantur; et apri gloriantur iuba, quos pilis inhorrescentes venatores pertimescunt. Atque ex gentibus Galli et Scythae comam nutriunt, quin se colant intemperanter. Et sane, habet aliquid terribile τὸ εὔτριχον barbari hominis τῷ ξανθῷ illo bellum minante, ut quod colore sanguini cognatum sit. Sed in tota barbarorum istorum vita frugalitas, quam laudo, ab omni intemperantia aliena. Tales nos vocat Dominus nudos honestatis penuria, nudos vana gloria, avulsos a peccatis, solum vitae lignum ferentes, solam obtinentes salutem [1]).

Sed revertendum ad propositum. Reprehendenda enim servorum ancillarumque multitudinis possessio. Quam multiplex ciborum apparatus, tam magnus obsonatorum, structorum, carptorum omnis generis famulorum numerus. Quam multi autem ornatores ornatricesque mulieribus ornandis deserviunt! Hae speculis, hae vittis, aliae praesunt pectinibus. Item eunuchi innumerabiles, iique lenones; multi porro Galli lecticarii, qui mulierum lecticas in altum sublatas tollant humeris. Hi ergo ubique. At vero lanificium, telae texendae artificium, domus administratio et custodia, ceteraque opera muliebria nusquam. Sed amatorias libenter audiunt fabulas; dum vehuntur a famulis, se adspici volunt, et per pompam traduci, carmina in matrimonii perniciem composita

---

[1]) p. 261—268.

ediscunt, atque alios quidem viros habent, ab aliis possidentur, alios vates eis pollicentur. Multi etiam sunt meretriciae impudicitiae ministri, alii aliunde subeuntes. Cinaedorum deinde turbae lingua effrenatae; scelerati hi corpore pariter atque oratione. Sed urbaniores praeter hominum multitudinem ministrantium alunt etiam aves Jndicas pavonesque Medicos, et ludunt cum monstris; Thersiten audientes rident. Modestam autem et continentem viduam, Melitaeo catello longe praestantiorem, despiciunt, negligunt iustum senem, qui est, ni fallor, monstro aere empto magis decorus et honestus. Nec puerum orbum admittunt, quae psittacos et charadios nutriunt; et filios quidem domi natos exponunt, gallinarum pullos excipiunt; et quae sunt expertia rationis, eis, quae ratione praedita sunt, praeferunt, quum senes alere oporteret, qui temperantia ornati, sunt, credo, simiis formosiores pulchriusque possunt loqui lusciniis. „Foeneratur enim deo, qui miseretur pauperis.“ (Prov. 19. cf. Matth. 25.)[1]).

Balnea autem ne sint communia viris et mulieribus, ut ex eis ad intemperantiam emergant, quasi pudor lavatione esset obrutus. Neque cum tunica pudor exuendus. Sed inprimis viros, generosum veritatis feminis praebentes exemplum, una cum eis exui erubescere, lubricumque ac periculosum effugere adspectum decet. „Qui enim curiosius, ait Dominus, respexit, iam peccavit.“ (Matth. 5). Oportet ergo domi quidem coram parentibus et domesticis rubore affici; in viis autem coram obviis, in balneis coram mulieribus, in solitudine coram seipso, sed ubique coram Logo, qui est ubique „et sine ipso factum est nihil.“ Hoc enim solum ratione fit, ut quis nunquam labatur, si deum sibi ipsi semper adesse credat[2]).

Sed quod attinet ad supellectilem famulos, balnea, cetera eiusmodi bona externa, multi horum splendorem adamare solent, quod divites videri volunt, quis vere dives sit, ignorantes. Has enim divitias, quas cernimus, qui habet, non, quod habet, ideo dives est. Fieri enim potest, ut quis te illudat hoc modo: „equus eius, vel fundus, vel servus est pretii quindecim talentorum; at vero ipse trium obolorum est, aut paullo pluris. Jam enim aufer mundum a feminis, a dominis servos: nihil invenies dominos differre a mancipiis, neque incessu, neque adspectu, nec sermone. Imo vero discre-

---

[1]) p. 268—272. Haec gentilis est descriptio vitae, qua uti vetat modo baptizatos e gentibus, non christianae. Nam christiani tum quidem temporis maiore ornabantur pudicita.

[2]) p. 272—273.

pant, sed eo, quod servis imbecilliores sunt. Non divitias habere, sed divitiis bene uti facit divitem. Qui terrena vendidit deditque pauperibus, vir quidem bonus, moderatus, iustus: is verum thesaurum invenit in coelo reconditum, in quem non cadit interitus, quum ibi nec tinea sit nec latro. Is igitur veras possidet divitias vereque beatus dici potest, quamvis sit parvus, imbecillus, inglorius. Contraque, qui Mida, Cinyra sit ditior, praebeat autem se iniustum insolentemque, quemadmodum ille, qui purpura et bysso indutus Lazarum despiciebat: miser est, moleste vivit, neque beate vivet. Divitiae igitur sunt serpenti similes, quem si quis sine offensione nescit summa cauda prehendere: bestia manum eius circumiecta mordebit. Sed dives est, qui pretiosissima possidet. Magni autem pretii neque gemma est, neque argentum, neque vestis, neque corporis pulchritudo, sed virtus. Ea vero non in habendo cernitur, sed in impertiendo. Impertitio enim et communicatio, minime vero possessio beatum reddit. Animi autem fructus benigna est communicatio; in animo igitur divitiae sunt positae. Jam vero bona non possideri possunt nisi a bonis; boni autem soli Christiani, quum homo insipiens vel intemperans boni ne sensum quidem habere potest. Christiani ergo soli divites. Vera enim bona, verae divitiae sunt iustitia et, qui quovis thesauro est pretiosius, Logos[1]).

Neque igitur quicunque divitiarum usus divitem facit; nullus autem minus, quam is, qui in voluptate divitiis comparata versatur. Nam homo natura est excelsum et erectum animal quod honestum quaerit, ad quod inveniendum solum est natum. Quae autem ventri studet vita, ea nihil habet augusti, digna potius opprobio, foeda, ridicula. Jam quum divitiae facile fiunt possessiones voluptariae, ad libidinose vivendum saepenumero impellant, ut rarissime dives, quem vulgo vocant, regni dei evadat haeres: nimia istarum cupiditas inprimis fugienda. Divitiarum enim commoditates, quorsum tandem? Quid tot vini ministri? Quid vestium arcae? Quid vasa aurea? Quorsum ornamenta? Quae omnia amittes: ,,eleemosynae autem et fides te non deserent.“ Frugalitatem igitur, qualem Elias adamaverat, sequamur. Abiiciendа ergo et vasorum multitudo, et pocula aurea argenteaque, et famulorum turba. Pulchrum est enim viae viaticum: frugalitas moderata cum gravitate coniuncta. Corpus ipsum indicat modum, quem quod superat, oneri erit. Vi autem oportet in coelos ascendamus; pulchrum baculum circum-

---

[1]) p. 273—76.

ferentes, beneficentiam dico, largiendoque eis, qui affliguntur, percipiamus veram quietem. Largitio vero neminem egestate afficiet. Quemadmodum enim putei, quicunque scaturiunt, exhausti in pristinam aquae abundantiam revertuntur; quemadmodum porro ad ubera, quae suguntur vel etiam mulgentur, lac solet affluere; ita largitio, quae bonus est benignitatis fons, potum cum sitientibus communicans, augetur rursus et repletur. Quod si quis dixerit, iustum a se visum esse inopem, is non in solo pane iustum vivere sciat, sed etiam in Logo, i. e. in deo omnipotenti, omnis copiae causa ac fonte, pane vero, pane coelesti[1]). Imo vero mirum est, quam dives sit homo frugalitate altus; hic enim omnes superat sumptus, quum illa nunquam deficiat.

Jam vero, ut propositum prosequamur — nam quae perturbationes sanandae sint, demonstratum est — imagines attingamus et similitudines, ut bonas imitemur, fugiamus turpes. Et vetustissima quidem exempla ad salutem sunt maxime idonea. Ulyssis igitur uxor pulchra temperantiae imago haberi potest. Lacedaemonii autem, ut pueros ebriositatis taedeat, Ilotas vinolentiae se dare iubent, quos vinolentos conspiciant illi. Sed omnino tria sunt hominum exempla: unum eorum, qui deum quaerentes per se reperiunt, inter quos Abraham qui dei amicus appellatur; eorum alterum, qui dum audiunt verbum divinum credunt, credentes audiunt, velut discipuli. Unum enim eundemque magna quidem ille cura atque studio inquirit; hi iam praedicant, utrique vero populi. Inquisitio hunc, illum inventio beatum reddit. Tertium hominum genus est, quod neutrum habet. „Sed qui nec per se sapit et quum recta moneatur, non tamen ad mentem revocat, vir inutilis ille est.“ Inutilis est populus gentilis, qui Christum non sequitur. Sed Paedagogus, clemens et benignus, aliis peccantibus, nobis horum turpitudinem ostendit et supplicium, ut vitia vitemus. Itaque sceleratos inter homines degentes et cautionem discimus et tolerantiam et salutem. Quis enim quempiam in via sequens, si prior hic in fossam ceciderit, ut devitet periculum non caverit? Pro multis unum Sodomitarum exemplum attigisse satis sit. Est autem Judae epistola eiusmodi similitudinum plena, veluti v. 11: „vae illis, quia in via Cain abierunt et errore Balaam mercede effusi sunt et in contradictione Core perierunt!“ Minae etiam ac supplicia sunt, ut timentes poenas a peccatis abstineamus. Possum tibi narrare nimiae ornatus cupidi-

---

[1]) p. 276—278.

tatis poenas et inanis gloriae, intemperantiaeque: sed ne longus sim; iam Paedagogi praecepta brevi complectens tradam[1]).

(Balneis autem utendi quattuor causae possunt cogitari: munditiei una, altera caloris, sanitatis tertia, quarta voluptatis. Voluptatis quidem, impudentis ubique, causa prorsus reiicienda. Sed lavandum est munditiei sanitatisque causa mulieribus, viris vero propter solam sanitatem. Illa autem caloris causa non est necessaria, quia quod frigore collapsum est, aliter potest recreari, quum frequenter balnei usus viro naturalem roboris vehementiam relaxent atque dissolvant. Quare et temporis et aetatis et corporis rationem habeamus oportet. Neque saepe per diem lavandum neque diutius neque alius hominis ope. Verum enimvero, quum nonnunquam corpus lavemus, saepissime de animi munditia solliciti simus, ne nobis minetur Dominus. „Vae vobis, quoniam mundatis, quod est extrinsecus, poculi et patinae, intus autem plena sunt immunditia.“ Animus autem fit mundus „in spiritu iudicii et in spiritu ustionis:“[2])

Quod si adolescentibus delectum inter balneum et gymnasium, habere licuerit, utrum deligat, minime haesitandum. Nec fortasse male se habuerit, si viri quoque, balneis gymnasia anteferant. Exercitationes enim illae, otii tempore iucundae sunt neque inutiles. Quin etiam mulieres habent, in quo exerceantur, in lana, tela, aliis ad domum administrandam pertinentibus. Easdemque ne pistrini pudeat, neve in obsonio coquendo versari, vestes stragulas excutere, sitienti marito potum praebere, cetera similia subministrare erubescat. Ex viris porro alii quidem nudi luctentur, alii parvo globo ludant, quem ludum Pheninda vocant, maxime in sole; aliis vero iam sufficit deambulatio. Imo evenit ut aquam haurire, ligna scindere, quibus usurus sis, pulchrum habeatur. Similiter laudanda ea exercitatio, quae in lectione, quae fit alta voce, posita est. In quibus omnibus nihil valeat contentio vanaequae gloriae cupiditas. Modus etiam ubique servetur, ne morborum causa oriatur. Neque enim omnino esse otiosum oportet, neque nimis laboriosum. Media via, quae est temperata ac moderata, vacatque vitio, et deliciarum et parcitatis. Sed, ut unum addam, piscatio quoque, quemadmodum Petro, admittenda, dummodo sit otium a disciplinis. Ista autem melior est piscatio, quam dominus largitus est discipulo, qui tanquam pisces in aqua, homines piscari docuit).[3])

---

[1]) p. 278—281.

[2]) p. 281—282.

[3]) p. 282—285. Haec duo capita loco destituta esse manifestissimum videtur.

Auro igitur et veste molliori, ut omnia repetens unam optimae vitae componamus imaginem, non omnino est abstinendum, sed nimia earum rerum studia vitanda, ne ad mollem vitam luxuriosamque transgrediamur. Paedagogus autem adiuvat. Vestis ergo sit frugalis, albo quidem colore. Nam sicut militis, nautae, principis, ita etiam viri temperantis propria est vestis, minimeque ea artificiosius elaborata, sed decora, munda. Vestitu ergo non serpentis instar vario, totus a capitis vertice ad extremos pedes dum candidus es, varia quoque mentis affectione neglecta, unum veritatis colorem adamaveris. Ita Moyses docet, ita Plato. Albus enim color pacificis hominibus convenit et illuminatis. Tunica indicat mores. Solida autem vestis protegit calidum, quod est in corpore. Quali ergo veste opus? Quae sufficit ad satis caloris retinendum, ea et idonea et bona. Sed utatur etiam femina vestitu frugali et honesto, magis autem molli, quam virum deceat, nec vero qui pudorem omnino abiecerit, nec plane mollitie diffluat. Congruant denique vestimenta aetati, personae, figuris, naturae, studiis. Ad reliquum autem ornatum quod attinet, auri usus sit utilis tantum; qui enim auro se ornari credat, is auro evadit inferior. Largimur quidem mulieri annulum aureum, non ad ornatum, sed ut, quae digna sunt custodia, obsignet. Quamquam, si omnes rectam Paedagogi institutionem sequerentur, nihil opus esset signis, quum omnes ex aequo iustos se probarent et servos et dominos. Sed res se habet aliter. Praeterea autem licet, uxorem paullo esse ornatiorem, ut marito suo placeat, eundemque paullatim ad temperatum moderatumque vivendi genus convertat; sed ne quid ultra. Honeste enim feminae sunt ornandae et pudico adstringendae pudore, ne propter mollitiem a veritate diffluant. Tum vero nobis etiam viris unus annulus aureus ad obsignandum conceditur, sed unicus. Nam „ornatus, ait S. Scriptura, aureus prudenti est disciplina.“ (Prov. 8.). Quae

---

Sub finem enim capitis VIII p. 281 Clemens, se absolvisse, quod prooemio pollicitus fuerit, indicat. „At vero,“ inquit, disputationem contrahens, „operis longitudini parcens, adducam Paedagogi tibi praecepta, ut ab eius minis caveas.“ Quibus verbis, omissis iam singulis, aperte a se deinceps nihil additum iri dicit, nisi vitae honestae imaginem summatim adumbratam, qualis sequitur p. 285, cap. XI. Capita autem illa aptissime annectuntur ad cap. quintum, quod, quomodo in balneis se gerere oporteat, ostendit. Sic enim prudentissime progreditur: primum impudentiam e balneis tollere studet; deinde usum balneorum frequentiorem, denique omnem. — Le Nourry (l. l. p. 657) totam, quae nunc est, in capita divisionem respuit ineptam. In hoc quidem prorsus ei assentior. Sed quamcunque feceris divisionem, ista quae p. p. 281—285 continentur per se non sunt inepte distributa; at vero loco destituta. —

aurum autem gestant mulieres, ut gestent, timere mihi videntur, ne, auro ab eis sublato, habeantur ancillae. At vero servitus non emptione venditioneque, sed mente illiberali proditur. Et nos quidem decet, non videri tantum, sed esse liberos, a deo tanquam Paedagogo institutos, adoptatos. Haec igitur filiorum dei libertas ex omnibus, ex statu, motu, incessu, vestitu, universa vita eluceat oportet. Ut autem omnia ad salutem referantur, idolorum imagines ne imprimantur signis, neve amicarum, sed columba, vel piscis, vel navis, vel lyra musica, vel ancora nautica. De pilis porro ita videtur. Virorum quidem caput ne sit hirsutum, barba autem hirsuta, quae viris sufficit. Neque igitur barbae pili, qui nihil molestiae afferunt, sunt vexandi, ut qui vultui gravitatem afferant paternumque quendam terrorem incutiant. Mulieribus autem, ut crines moderate colant, largiendum est; sed alienorum capillorum usus omnino sit nullus; senectutis ne hominem pudeat, neve, quod summae est auctoritatis, id tegatur. In lucem potius proferendum est dei decus, ut honoretur ab adolescentibus. Pulchritudo enim optima quidem est animi pulchritudo, Spiritu S. laetitiisque ab hoc profectis, iustitia, prudentia, fortitudine, temperantia, honestatis amore, pudore ornati; deinde vero corporis quoque pulchritudo quaedam exerceatur, quam metiamur oportet convenientia vestitus cum membris et sanitatis commodo. Ceterum potus cibique temperantia corpus et salvum custodiunt et pulchrum. Sanitatis autem liberalis flos est pulchritudo: sanitas enim intus operatur, externa autem pulchritudo efflorescens colorem manifestum ostendit. Sed absurdissimum est, eos, qui ad imaginem dei et similitudinem facti sunt, quasi archetypum exemplar dedecore afficientes, externum ornatum, quum improbum artificium humanum dei opificio praeferant, introducere. Id potius mulieribus propositum est, ut, dum in vestitu honesto cum verecundia et modestia ambulent, viri, verbo non obedientes, per ipsarum consuetudinem sine verbo lucrifiant. Sed res est pulcherrima: mulier domus custos, quae et se et maritum propriis ornamentis induit, quibus omnes exsultant, filii quidem propter matrem, propter uxorum autem maritus, propter hos ipsa, omnes vero propter deum. „Mulier enim pia benedicitur, ipsa autem laudet timorem domini;“ et: „mulier fortis corona est marito suo.“ (Prov. 31. 12.). Pernicies autem marito meretrix. „Mel enim a labris mulieris meretricis destillat, quae ad gratiam loquens guttur suum impinguat.“ (Prov. 5.) At vero id quidem postea certe invenies felle amarius et magis acutum quam gladium ancipitem. Generosum Sampsonem vicit amica; non item alia

mulier decepit Joseph. Quare incessus sit castus omnisque motus. Oculis porro quam maxime parcendum est, quoniam melius est labi pedibus, quam oculis. Quae autem omnia ideo agit, ut oculos pelliciat, vocans per suam speciem et universam vitam: „Quis est, inquit, vestrum stultissimus?“ Sed ne ancillas quidem, quae probas sequuntur feminas, turpia vel loqui vel facere oportet; sunt autem a dominis castigandae. In dominam enim cadit ancillae turpitudo. Qualis domina, ut est in proverbio, talis catella.

Sed viris etiam ambulantibus vitandus est incessus furiosus, nec minus nimis tardus. Neque supervacanea servorum ope utendum, ne quid molle appareat. Neque enim in motu, neque in habitu, inveniatur unquam magni animi et excelsi dedecus. Famulos autem ne habeamus pro iumentis; si illos decet obedientia, aequitas certe, patientia, benignitas dominos. Abiiciantur quoque virorum mulierumque in tonstrinis et cauponis nugae turpissimae. Atque tesserarum ludus mittatur oportet talorumque, qui lucri causa adamari solet. Verumenimvero consuetudo quaeratur cum viris honestis, ut quae sola vitae conducat nostrae; at cum improbis nulla sit coniunctio. Nec porro ad spectacula Paedagogus nos deducet; et recte quidem stadia et theatra pestilentiae cathedram quis vocaverit. Magnae enim confusionis hi coetus pleni sunt et iniquitatis, quoniam, viris cum feminis simul convenientibus, altero ad alterius spectaculum, conventus occasio fit causa turpitudinis. Quid enim turpiter factum non ostenditur in theatris. Quod autem verbum impudens non proferunt, ut risum moveant, scurrae et histriones? Hi certe non sunt ludi ad animos recreandos, unde inanis gloriae cupiditates proficiscuntur, ambitiones, nimia impensa, seditiones, mors. At non omnes, inquiunt, philosophamur! Numquid ergo nec vitam persequimur omnes? Quid tu dicis? Quomodo ergo credidisti? Quomodo autem deum amas et proximum, nisi philosopharis? Sed litteras non didicisti! At vero nisi legere didiceris, non est tamen, quod de auditu, qui nequit doceri, te possis excusare. Fides enim non sapientium secundum hunc mundum, sed eorum, qui secundum deum sunt sapientes, possessio est. Et Evangelium quidem ad omnes et litteratos et sine litteris homines pertinet, cuius philosophia in caritate cernitur. In quacunque vitae conditione quod honestum est, id deligere huius est philosophiae. Sed in ecclesiam et mulieres et viri veniant oportet decore induti, incessu non simulato, silentium amplectentes, caritatem non fictam possidentes, castos corpore, castos corde, ad deum rogandum praeparatos. Hoc autem mulier teneat amplius: semper tecta sit, nisi fuerit domi. Ab

ecclesia autem eodem, quo antea fueras in ipsa, vultu recedas, non ut permulti, qui coetu relicto, statim deponentes illam, quam scilicet inspiratam paullo ante ostenderant, quasi sanctitatem, turbae, in qua forte versantur, assimilari solent. Isti quidem deposita falsa ac simulata gravitatis persona, deprehenduntur, quales esse ignorabantur, qui sermone, quem modo de deo habitum venerati sunt, illic relicto, ubi eum audiverunt, foris impiis modis et canticis amatoriis delectantur; qui antea immortalitatem celebrabant, nunc canunt cantilenam illam: „comedamus et bibamus, cras enim morimur!“ Hi vero non cras, sed hodie iam vere deo mortui sunt, sepelientes suos mortuos, h. e. seipsos in mortem infodientes. Porro autem, quum in regnum dei simus vocati, hoc etiam regno digne ambulemus, deum diligendo et proximum. Sed illud proximum diligere, quo christianus discernitur ab ethnico, facilius plurimis videtur. Nec tamen in osculo et salutatione externa positum est, sed in benevolentia. Caritas intus est, in homine interiore, quae interdum etiam apparet signis externis. At vero est etiam caritatis simulatio quaedam, sola externa, qua osculo utuntur impudenter, quod mysticum sit oportet. Impudicitiae autem oscula saepe immittunt virus, in quibus neque hominum caritas versatur neque dei; haec est enim, ait Joannes, si mandata eius servemus. Nec vero quaecunque turpitudo ipsa vitanda, verum eiusdem etiam occasio atque species. Quapropter mulieris inprimis adspectum ne quaeras; nam etsi fieri potest, ut quis, quamvis viderit, fortem se praebeat, tamen, ne cadat, cavendum. Fieri enim potest, ut, qui viderit, labatur; nec vero, ut, qui non viderit, concupiscat. Est autem omnis opera adhibenda, ut id ipsum, quod est extrinsecus, a quavis reprehensione sit alienum, ut non simus solum fideles sed fide etiam digni videamur.

Quamobrem maritis quoque suaserim, ne unquam uxores suas coram famulis osculentur. Artissimum autem martrimonii vinculum id, quod temperantia nititur, purae voluptatis plenum. „Vanae enim conversationis a patribus traditae“ limitem, Apostolo monente, habemus crucem Domini. Regenerati ergo veritati affigamur, resipiscamus, sanctificemur. Optima autem educatio est, quae ordinem gignit illum oportunum, perfectum decorem, in quo stabilis potestas et ordinata, qui etiam omnia, quae coniuncta sunt inter se et cohaerentia, recte faciendo distribuit. Sed haec severius dixi, salutis vestrae amantissimus. Vos autem, si me quidem audieritis; eritis salvi. Non ergo Paedagogo, si minime attenderitis, curae est? Imo vero curae est quam maximae; peccatoris enim mavult

poenitentiam, quam mortem. Sin autem me audieritis, bona terrae comedetis, ait rursus Paedagogus, bona terrae appellans bona humana, formam, divitias, sanitatem, vires, alimentum; idque imbecillitate hominum haud neglecta dixit. Vere enim bona sunt ea, quae neque auris audivit neque unquam in cor hominis ascenderunt; bona, quae apud eum, qui rex est et qui vere est bonorumque et largitor et custos, vere quoque sunt nos exspectantia. Jam ecce benignitas et sapientia! Ab his et per haec, quae cernimus, ad ea nos perducit, quae animi oculo tantum aperiuntur. Sed deflexit oratio; redeat oportet. Quaecunque igitur domi sint observanda, vitaque quomodo corrigenda, iam satis disseruit Paedagogus. Restat autem, ut, quum lex, timore dissoluto, liberum arbitrium ad fidem amplectendam velit corroborare, praecepta, quae hoc praestabunt, addantur. Paedagogus ergo: audi, inquit, mi fili, capita salutis; aperiam enim mores meos et pulchra tibi haec suggeram praecepta, quibus ad salutem pervenias. Dabit autem thesauros arcanos, occultos, qui gentium oculis non apparentes a nobis videntur. Unus autem deus ac dominus, qui multos thesauros praebet: alios per legem, per prophetas alios, alios suo ore, alios per spiritum sanctum. Ex his ergo omnibus pari modo praecepta cognoscemus. Sed est iam generalis quaedam naturae admonitio sponte obvia, adhortatio vitalis, quae omnia (i. e. universum genus humanum) continet:[1]) „Quae tibi fieri volueris, alteri iam feceris;"

---

[1]) Hoc loco non possum, quin moneam, quanta ad sanam Clementis interpretationem adhuc sint praestanda. Sententia illa Graece sic se habet: *ἔστιν μὲν οὖν αὐτόθεν κεφαλαιώδης ὑποθήκη, καὶ βιωτικὴ παραίνεσις, πάντα ἐμπεριέχουσα.* Interpres autem vertit: „Hic est ergo, quod omnia (scil. praecepta) complectitur, praeceptum, et ad vitam utilis admonitio." Quodsi sententias, quomodo nexae sint inter se et coniunctae, perpendens consideraveris, illud „Hic" ad legem, Prophetas, Christum, Spiritum sanctum, i. e. ad V. et N. Test. spectare oportere reperies, ut praeceptum, quod sequitur, omnia et veteris et novi testamenti praecepta complectatur, id quod est absurdissimum. Nam dei caritatis, principalis eius quidem, ne minimum habet indicium. Deinde hoc: „ad vitam utilis admonitio," quid est? Sive enim ad singulorum hominum vitam referas, sive ad cunctorum, supervacaneum, est disputationis impedimentum. Quis enim, Clementem usque ad hunc locum secutus, praecepta divina esse utilia nesciat? Imo non solum utilia sed ad vitam veram atque aeternam haec esse n e c e s s a r i a? Sed verba Graeca examinemus. Primo igitur, si Clemens ad legem, Prophetas, Christum, Sp. S. reverti voluisset, id voce *αὐτόθεν* minime fieri poterat, et ipsius particulae vi prohibente, et enunciato illo: *εἷς δὲ ὢν ὁ Κύριος* etc. interiecto. Significat potius *αὐτόθεν* hinc, vel illinc, vel illico, vel sponte. Haec autem significatio, s p o n t e, sola quadrat in locum, quo de agitur. Antequam enim Clemens praecepta divinitus communicata tradit, **n a t u r a l i s l e g i s** summam profert, generale mandatum, quod

unde hoc sequitur: „Quae tibi non vis fieri, alteri ne feceris!“ Quae autem divinitus communicata sunt, praecepta, ea item duobus possunt comprehendi, ipsius quidem verbis Domini: „Diliges Dominum deumtuum ex toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua; et proximum tuum sicut teipsum.“ Attamen, ut Paedagogi erga homines benevolentia magis appareat, varia et salutaria praecepta singula atque distincta tradamus. Ex copiosa enim salute scripturarumque ordine promptiora ea habebimus. Et primum quidem decalogum, peccata fugienda circumscribentem audiamus, et omnia, quae in Moysis libris praecipiuntur Deinde vero Prophetas sequamur, qui multa praecepta promulgant, exempli causa: de precatione eiusque modo atque fructu; de ieiunio, quod sit deo gratum; de sacrificiis, ut spiritum contritum Domino offeramus; quid porro de odoribus, coronis, unguentis sit statuendum: „Odorem scilicet suavitatis deo esse cor, quod glorificet eum, qui ipsum fecerit;“ in hoc esse coronas, sacrificia, aromata, flores dei; tum de patientia, peccanti condonando; deinde quae militibus, publicanis, domus administratoribus sint observanda; de caritate praeterea, de reipublicae gubernatione, de iureiurando, de iniuriae illatae oblivione, de mendacio, de superbia, de misericordia, de ira, de diligendis inimicis. Tum vero mandatum est, ut famulis utamur tanquam nobismetipsis, quippe qui aeque ac nos sint homines, quibus et liberis et servis idem sit deus; fratres etiam peccantes ut sint, non puniendi quidem, sed reprehendendi; gloriae autem fugienda cupiditas. Peccatoris deinde poenitentiam, quum peccare nobis omnibus innatum sit et commune, resipiscere autem viri sit laude digni, accepturum se esse promittit; beneficentiam denique se ita habiturum, quasi in ipsum beneficia fuerint collata. En habes Logi leges, consolatorias profecto, non in tabulis lapideis digito Domini scriptis, sed in hominum cordibus descriptas, in quae[1]) sola non cadit inte-

---

iam sponte, sine divina communicatione, nobis se obiicit: „Quae tibi fieri volueris, alteri iam feceris!“ Quod mandatum alterum continet: „Quae tibi fieri non vis, alteri ne feceris!“ Quod si a nemine observaretur nulla unquam posset stare, respublica, omnis tolleretur hominum societas. Quare ad vitam socialem conservandam corroborat illud homines. Est enim βιωτικὴ παραίνεσις παντα ἐμπεριέχουσα. Haec παραίνεσις, modo observetur, omnia ad societatem humanam pertinentia continet. Illud etiam πάντα Interpres haud recte cum voce κιφαλαιώδης coniunxerat, quasi esset: omnia praecepta. Itaque supra recte Graeca vertisse nobis videmur. —

[1]) Nescio, quo Interpres latinus referat illud: ταῖς, quod vertit: „in quas.“ (Sic etiam interpretatio Potteri emendata!) Nam καρδίαις recte reddidit „cordibus.“ Ad leges autem articulus ille non potest spectare, quum λόγος sit generis masculini; ad πλάξὶ autem eum referri vetat sensus.

ritus. Quamobrem fractae sunt eorum tabulae, qui duri erant cordis, ut fides filiorum imprimeretur teneris in mentibus. Verum etiam, quomodo Christus per Apostolos instituat filios, audiendum. „Deposito mendacio, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus alter alterius membra. Sol non occidat super iracundiam vestram, neque locum date diabolo. Qui furabatur, non amplius furetur, sed potius laboret, operans bonum, ut possit impertiri egenti. Omnis amaritudo et ira et excandescentia et clamor et maledictum tollatur a vobis cum omni vitio. Estote alter in alterum benigni, misericordes, vobis invicem gratificantes, quemadmodum deus quoque vobis in Christo gratificatus est! Estote ergo prudentes et dei imitatores sicut filii dilecti, et ambulate in dilectione sicut et Christus dilexit vos. Mulieres quidem propriis viris subiiciantur, tanquam domino! Mariti autem suas uxores diligant, sicut Christus dilexit ecclesiam.“ Se ergo invicem diligant, qui sunt coniuncti, „sicut propria corpora. Filii, obedite vestris parentibus! Patres, ne provocate ad iram filios vestros, sed educate eos in disciplina et admonitione Domini! Servi, obedite dominis secundum carnem cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri sicut Christo, ex animo cum benevolentia servientes! Et domini, benefacite servis vestris, remittentes minas, scientes, quod et ipsorum et vester Dominus est in coelis, et non est personae acceptio! Si vivimus spiritu, spiritu et ambulemus. Ne simus vanae gloriae cupidi, alter alterum provocantes, alter alteri invidentes. Alter alterius onera portate, et ita implete legem Christi. Ne erretis, deus non subsannatur. Quod bonum est, facientes, ne animo deficiamus; proprio enim tempore metemus. Non dissoluti, pacem in vobis agite! Adhortamur autem vos, fratres, admonete insolentes, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote erga omnes! Videte, ne quis malum alicui pro malo reddat. Spiritum ne exstinguatis. Prophetiam ne nihili ducatis. Omnia autem probate, et quod bonum est tenete! Ab omni specie mala abstinete! In oratione perseverate, vigilantes in ipsa, in gratiarum actione! In sapientia ambulate apud eos, qui extra sunt, tempus redimentes! Sermo vester semper in gratia, sale sit conditus, ut sciatis, quomodo oporteat vos unicuique respondere. Enutriamini in sermonibus fidei. Exerceamini ad pietatem; corporalis enim exercitatio ad modicum est utilis: pietas autem est utilis ad omnia, habens promissionem vitae, quae nunc est, et futurae. Qui fideles habent dominos, ne contemnant, quoniam fratres sunt; sed magis serviant, quoniam sunt fideles. Qui largitur, sit

in simplicitate; qui praeest, in studio; qui miseretur, in hilaritate. Caritas sit non ficta. (Sitis autem) malum odio habentes, bono adhaerentes, fraterna dilectione vestri invicem amantes, honore vos invicem praevenientes, studio non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, afflictionem sustinentes, in oratione perseverantes, hospitalitatem persequentes, usibus Sanctorum communicantes.“ Haec pauca ex multis, exempli gratia, percurrens ex ipsis Scripturis Paedagogus, suis apponit pueris (educandis), quibus, ut ita dicam, funditus evellitur vitium, tollitur iniquitas. Innumerabilia autem alia praecepta, quae ad electas tantum personas pertinent, scripta sunt in sanctis libris; haec quidem presbyteris, alia episcopis, alia diaconis, alia viduis, de quibus dicendi aliud fuerit tempus. Multa vero etiam per aenigmata, multa per parabolas quoque significata omnibus, qui forte in ea incidunt, prodesse possunt. Nec vero, ait Paedagogus, haec docere, meum est, sed ad verba sancta illa exponenda opus est nobis Doctore, ad quem accedamus. Et iam mihi quidem desinendi Paedagogiam tempus, vobis autem audiendi Doctorem. Qui si vos exceperit bona educatos disciplina, docebit mysteria. Ad honestatem autem cecinit ecclesia et sponsus, solus doctor, bona boni Patris voluntas, sapientia germana, cognitionis sanctificatio. „Et ipse propitiatio est pro peccatis nostris,“ ut ait Joannes, qui medetur et corpori et animae nostrae, proprio homini, Jesus; „non solum autem pro peccatis nostris, sed etiam totius mundi. Et in hoc cognoscimus, quod ipsum cognovimus, si eius mandata servemus. Qui dicit: cognovi ipsum, et mandata eius non servat, mendax est, et in eo veritas non est. Qui autem servat eius sermonem, vere perfecta est in eo dei dilectio. In hoc cognoscimus, quod in eo sumus. Qui dicit, in ipso se manere, debet, sicut ille ambulavit, ipse quoque ambulare.“ O beatae alumnos Paedagogiae! Impleamus pulchram ecclesiae personam et ad bonam matrem infantes accurramus; auditoresque Logi si simus, beatam oeconomiam, qua homo instituitur, sanctificatur tanquam dei filiolus, et, e terra institutus, in coelis civis ambulat, patremque, quem discit in terra, illic suscipit, glorificemus. Omnia Logos et facit, et docet, et instituit. Equus freno ducitur, taurus ducitur iugo, capitur laqueo fera: homo autem transformatur a Logo, quo ferae mansuefiunt, inescantur natatilia, volatilia attrahuntur. Hic revera struit equo frenum, tauro iugum, ferae laqueum, arundinem pisci, rete avi. Hic rempublicam regit colitque agros, imperat et administrat atque universa fabricatur:

Hic terram ac coelum maris aequoraque alta creavit
Astraque, quae coelum pulchra undique cuncta coronant.

O divina opera! O divina praecepta! „Aqua haec in semetipsa, — sic Logos praecipit, — fluctuato; hic ignis iram contineto; aer hic in aethere vagator; terra autem et figitor et fertor! Quando ego volo hominem formare et materiam desidero: materiam habeo elementa; una cum meo plasmati habito. Si me cognoveris, serviet tibi ignis.“ Tantus est Logos. Hic est Paedagogus, mundi et hominis opifex; et propter hunc ipsum mundi quoque Paedagogus est, cuius iussu ambo constamus, exspectantes iudicium. Neque enim furtivum fert mortalibus verbum vocale; erit verbum sapientia, ut ait Bacchylides. „Irreprehensibiles autem et integri et inculpati dei, ut Paulus admonet, filii in medio generationis pravae et perversae, tanquam Luminaria, in mundo apparete!“ Sed quod restat in tali Logi celebratione, Logon oremus:

„Propitius esto tuis, o Paedagoge, pueris, pater, auriga Israel, et fili et pater, unum ambo, Domine! Da nobis, tua sequentibus praecepta, ut similitudinem impleamus imaginis et pro viribus sentiamus bonum deum iudicemque non acerbum; praestaque, ut omnes, in tua pace versati et translati in tuam civitatem, quum peccati undas sine fluctuatione tranaverimus, placidi feramur cum Spiritu sancto; ineffabili autem sapientiae ut gratias agamus laudantes noctu et interdiu ad perfectum usque diem, et gratias agentes laudemus unum Patrem et Filium, Filium et Patrem, Paedagogum et Doctorem Filium una cum Sancto Spiritu, qui unus est omnia, in quo omnia, per quem omnia sunt unum, per quem est aeternitas, cuius membra sumus omnes, cuius sunt gloria et secula, qui est in omnibus bonus, in omnibus pulcher, in omnibus sapiens, in omnibus iustus: cui gloria nunc et in secula seculorum! Amen!“

Quoniam autem Paedagogus in ecclesia nos deposuit ipseque sibi ipsi docenti omniaque intuenti Logo adiunxit, nos, quum hoc loco simus, iustae gratiarum agendarum mercedem, convenientem urbanae paedagogiae laudem offerre deceat Domino:

Frenum pullorum indocilium,
Penna volucrum non errantium
Verus clavus infantium,
Pastor agnorum regalium:
Tuos simplices
Pueros congrega
Ad sancte laudandum,

Sincere canendum
Ore innoxio
Ducem puerorum Christum!

Rex sanctorum,
Verbum, qui domas omnia,
Patris altissimi;
Sapientiae rector,
Laborum sustentaculum,
Aevo gaudens,
Humani generis
Servator Jesu,
Pastor, arator,
Clavus, frenum,
Penna coelestis
Sanctissimi gregis;
Piscator hominum.
Qui salvi fiunt,
Pelagi vitii
Pisces castos
Unda ex infesta
Dulci vita inescans:
Sis dux, ovium
Rationalium pastor!
Sancte, sis dux,
Rex, puerorum intactorum!
Vestigia Christi,
Via coelestis,
Verbum perenne,
Aevum infinitum,
Lux aeterna,
Fons misericordiae,
Operatrix virtutis,
Honesta vita
Deum laudantium, Christe Jesu:
Lac coeleste
Dulcibus uberibus
Nymphae gratiarum
Sapientiae tuae expressum
Infantuli
Ore tenero
Enutriti,
Mammae rationalis
Roscido spiritu
Impleti,
Laudes simplices,
Hymnos veraces
Regi Christo,

Mercedes sanctas
Vitae doctrinae
Canamus simul,
Canamus simpliciter
Puerum potentem!
Chorus pacis,
Christo geniti,
Populus modestus
Psallamus simul deum pacis [1]).

---

[1]) p. 285—313.

III. De Stromatis.

§ 1.
Quo tempore Stromata sint composita.

Stromata a Clemente post Cohortationem et Paedagogum scripta esse supra et diximus et demonstravimus[1]). Etiam de artissima horum trium operum coniunctione dissertum est. Quamquam ex hac coniunctione nihil aliud colligi posse videtur, nisi illud ipsum, Stromata post Protrepticum et Paedagogum edita esse. Quod quo certo factum sit tempore, hoc minime apparet. Nam quod Nourrius[2]) dicit: „Has autem (cum Admonitionis tum Paedagogi commentationes) illis Stromatum libris non longo admodum temporis intervallo anteivisse haud plane infirmo, uti nobis videtur, argumento ex mutua illorum inter se connexione deducto confici posse persuasum omnino habemus,“ id nescio an citius persuasum habeat. Nam nostra quidem aetate haud raro fit, ut plures eiusdem operis partes sese non excipiant nisi satis longo temporis intervallo. Quid enim in propositis optimo cuique viro exsequendis valeat munus, animus, amicorum adhortatio, ipsa valetudo resque plurimae aliae, ad observandum non ita sit difficile. Sed de primo Strom. libro, quando nondum scriptum sit, indicium latet in ipso haud ambiguum. Ubi haec leguntur: „a Vespasiano usque ad Commodi mortem inveniuntur anni CXXI“[3]). Commodo igitur imperatore hic quidem liber nondum est editus. Cui sub finem anni 192 interfecto quum per tres menses Pertinax successisset, Severus imperium obtinuit. Atqui tribus illis Pertinacis mensibus ipsis Stromata fuisse composita, non tam sit verisimile. Quinetiam ad Pertinacis mortem Clemens temporum enumerationem

---

[1]) cf. quae de scriptis a Clemente vere profectis, et quae de Protreptici atque Paedagogi tempore disputavimus.

[2]) l. l. p. 887.

[3]) p. 403.

non extendit fortasse eam ob causam, quod ne unum quidem annum ita addere potuisset. Ergo ad Severum imperatorem ducimur. Et sane, id etiam Eusebius ex Clementis verbis modo transscriptis concludit. Haec enim sunt eius verba: „Hinc porro Clemens in primo Strom. libro ordinem temporum describens, Commodi imperatoris morte enumerationem suam circumscribit. Ex quo apparet, Severo Augusto, cuius nunc tempora exponimus, imperatore haec volumina ab eo fuisse elaborata“[1]). Sed cavendum, ne nimium probasse opinemur. Quid enim iam constat? Hoc unum tantum, librum primum, cum hoc autem totum Stromatum opus ante Severi imperium edi coeptum non esse; nihil ultra. Uno igitur termino invento, alterum quaeramus, ut, quod inter utrumque fuerit, certum agnoscatur. Et hunc quidem in Severianae persecutionis initio video, i. e. anno 203. Nam Clementem post hunc annum nunquam Alexandriam reversum esse in capite de vita eius demonstravimus. Alexandriae autem opera sua omnia exarasse videtur. De qua re inter veteres nulla dissensio. Et sic quidem, quibus Stromata scripta sint, decem annos inde ab anno 193 ad a. 203 habemus. Ad quos medios ducit Eusebii testimonium in Chronico servatum ad quintum Severi imperatoris i. e. ad annum 198 pertinens, quo „Clementem multa ac varia (haud dubie Stromata) conscripsisse“ testificatur[2]). Quo certius hac in causa nihil potest evinci. Statim autem post editum Paedagogum Stromata ab eodem auctore exarari coepta esse, ex huius operis natura adque indole mox explicanda fiet verisimillimum. Atque id ipsum, quum iuvenem ad ea conscribenda accedere se profiteatur, confirmare videtur. Causam enim, qua, ut scribat, commotus sit, metum habet, ne senectute olim appropinquante, doctrinarum a viris Apostolicis auditarum obliviscatur. „Nec vero, inquit, hoc opus (Strom.) scriptio est artificiose composita ad ostentationem; sed monumenta tanquam thesauri (in eo) mihi reconduntur ad senectutem oblivionis venenum“[3]). Iam quum omnes Stromatum libros octo simul esse editos demonstrari nequeat, imo minime ulla frui videatur probabilitate: cunctos decem illos annos ut compositionis editionisque tempus retinemus. Qui definitionem desiderant accuratiorem, ne labantur, caveant. —

---

1) H. e. VI. 6.
2) Chron. ad a. 2220.
3) p. 322.

§ 2.
De huius operis inscriptione.

Veram ac plenam Stromatum inscriptionem sine ulla controversia Eusebius nobis servavit. „Libri Stromatum Clementis, inquit, in universum octo apud nos exstant, quos etiam ipse sic inscripsit: Titi Flavii Clementis secundum veram philosophiam gnosticorum commentariorum Στρωματεῖς“[1]). Eadem autem inscriptio ad Photii aetatem in codice quodam pervetusto servata est. „Reperi, ait ille, in vetusto libello quodam, hoc opus non solum Στρωματεῖς inscriptum, sed integre hoc modo: Titi Flavii Clementis, presbyteri Alexandrini gnosticorum secundum veram philosophiam commentariorum Stromatum primus, secundus etc. etc. liber“[2]). Hunc igitur titulum, ut nihil est, cur verum esse neges, sic summam probabilitatem ex ipsius operis libri sexti initio nanciscitur, quod his verbis utitur primis: „Hic autem sextus simul et septimus liber gnosticorum secundum veram philosophiam commentariorum Στρωματεὺς etc.“[3]). Attamen ut hanc inscriptionem in dubium revoces, id efficere possit, quod Clemens etiam simpliciter libros illos appellet Στρωματεῖς vel ὑπμνήματα[4]). Quid ergo? Num brevis inscriptio vera, an longa? Hoc ad discernendum sane est difficillimum. Quamquam Eusebii testimonium longam tuentis aliquid valet. Sed illud quoque, quod non solum Στρωματεῖς pro tota inscriptione invenitur, sed etiam ὑπομνήματα, magni momenti esse videtur. Hinc enim, neutrum eorum totum titulum indicare, imo utrumque ex longiore brevitatis causa repetitum esse, apparet. Et sane utrumque longiore continetur. Atqui duas breviores ex una longiore sumptas verisimilius est, quam duabus compositis et auctis longiorem esse natam. Itaque, praesertim quum externa testimonia longiorem etiam defendant, hanc veram esse censemus.

Quod autem in hoc titulo maxime est insigne, nomen habet Στρωματέων quod latine vertunt alii „Opus varie contextum,“ alii „Miscellanea.“ Quid igitur significet, quum de operis indole disseruerimus, uberius enucleabimus. Clemens enim ipse id haudquaquam in ambiguo reliquit. Sed pro hac indole poterat etiam aliam

---

1) H. e. VI. 13..... *Τίτου φλαβίου Κλήμεντος τῶν κατὰ τὴν ἀληθῆ φιλοσοφίαν γνωστικῶν ὑπομνημάτων στρωματεῖς.*

2) Bibl. cod. 111. Verba sunt prorsus eadem, hoc tantum addito: *πρεσβυτέρου Ἀλ.*

3) p. 735. Verba item sunt eadem.

4) p. 564 et. 736.

deligere inscriptionem. Cur autem illam ipsam adamaverit, dicendum. Scimus ergo, quantopere, ut gentilium humanissimum quemque lucrifaceret Christo, in omnibus eum ita sollicitum qualibet cura ac prudentia fuisse, ut quidquid illis urbanius et exquisitius videbatur, id ad suam converteret utilitatem. Atqui titulum illum Στρωματεῖς homines e gentibus litterati elegantiorem tum temporis habuisse videntur et ingeniose excogitatum. Eusebius quidem Plutarchi opus citat, cui inscriptio fuit Στρωματεῖς[1]). Id autem plures iam ante Clementem fecisse e Gellio discimus[2]).

Sed ipse auctor Stromatum christianorum, quos vocaverim, ex operis sui praestantissimi titulo appellatus est Στρωματεύς[3]), quod certe nihil aliud declarat, nisi nomen eius, qui excellentissimos libros illos scripsit, ornatissimum et gloriosissimum[4]). —

§ 3.
De Stromatum proposito.

Non possum, quin, priusquam de Stromatum proposito agam, aliquid gravissimi momenti generaliter saltem moneam. Quum enim sint, eique non pauci neque ceterum despiciendi, qui Clementem Heraclitum philosophum christianum, τὸν σκοτεινὸν, nuncupare velint, hi, ut eiusmodi similitudinem tueantur, maxime Stromatis niti videntur. Attamen vereor, ne quod unus temere atque audacter contenderit, id multitudo, — est enim etiam inter doctos et doctores multitudo quaedam ac paene vulgus, — vereor igitur, ne id multi nihil probantes repetant.

Sed quibus ex causis et quibus hominibus unumquidque in obscuritate sit et dubitatione, inquirendum est. Sunt autem libri, qui sua indole ad intelligendum nequeunt non esse difficiles. Quidquid enim scriptum est summa cum subtilitate ingenioque, id ut comprehendatur, labore opus est, diligentia, mentis acumine. Auctores porro veteres, quicunque sunt praeclarissimi, quum per se illam ob causam haud multis pateant, praeterea plerumque σκοτεινοὶ evadunt, quod, temporibus, hominibus, locis mutatis, plurima quo referenda sint, vulgo ignoratur. Quodsi quis veteris scriptoris istiusmodi nonnulla recte interpretari sibi fuerit visus, huic, si ea nobiscum

---

[1]) Praep. Evang. I. 7.... ἀπὸ τοῦ Πλουτάρχου στρωματέων.

[2]) In Praef. noct. Attic.

[3]) Euseb. Chron. Can. p. 216. Κλήμης ὁ Στρωματεύς.

[4]) Clementem, quod Στρωματεὺς appellatus fuerit, stragulorum opificem facere, non solum ineptum est, sed etiam absurdum et ridiculum.

communicaverit, haud dubie gratiae erunt agendae. Neque desunt, qui ea in homines benevolentia esse videantur, ut optimam vitae partem in veterum auctorum monumentis librisque interpretandis atque exponendis libentissime collocent. Quare fit, ut quivis ad veterem scriptorem accessurus, quaenam de eo viri eruditi disputaverint, quaerat. Et profecto, aliorum observationibus adiutus, quae se ipso interprete usus solo, deposita ac desperata habuerit, ea facile intelliget. Verumenimvero nonnulli, et ei quidem summi ingenii scriptores, nescio an nihil quidquam habeant, quod tam merito querantur; quam quod interpretes nacti sint. Saepenumero enim evenit, ut interpretando difficultates cumulentur. Velut Aristotelem, qui Hegelium sequuntur, Glaserus, Michelctius, Biesius, alii tam obscurum et perversum disputationibus suis, expositionibus, systematis Aristotelei voluminibus amplissimis reddiderunt et quasi vepribus dumetisque circumdederunt, ut philosophum illum primo lecturus quidvis adiisse maluerim, quam interpretum id genus commenta. Idem autem Clementi Alexandrino multa ex parte accidit, de quo et in universum et maxime quod attinet ad Stromata eius plures errores circumferuntur, quam sententiae verae vel etiam opiniones probabiles. Quodsi quis in his errorum dumetis versatur, huic si Clemens σκοτεινὸς non videretur, id maxime esset mirum. Sed his omnibus, quasi non essent, interim praetermissis, Stromatum opus, periculosae illud obscuritatis, ipsum inspiciamus. Et primum quidem, quid auctor ipse voluerit, quid in Stromatis conscribendis sibi proposuerit. Quod ut accurate indagemus, a causa ordiendum est, qua commotus ad scribendum accesserit. Hanc igitur aperte indicat his verbis, quae partim supra iam transscripsi ad aliam rem probandam.

„Nec vero hoc opus (Strom.) scriptio est artificiose composita ad ostentationem; sed monumenta tanquam thesauri (in eo) mihi reconduntur ad senectutem, oblivionis venenum, vere imago et adumbratio evidentium et animatorum illorum, quos qui audirem dignus habitus sum, sermonum, imo etiam virorum beatorum laudibusque extollendorum“[1]). Causa igitur scribendi efficiens, quam vocant moventem (Beweggrund), proxima est in metu, ne quid ipsi, quod didicerit, memoria dilabatur. Quid ergo? Num Clemens proprium tantum commodum sectatur? Sed modestiae illud est, ut eruditionis gloriam aliis et ipsius quidem doctoribus tribuat. Nam

---

[1]) p. 322.

proprie ad scribendum quasi fertur dei hominumque caritate: deo honor, hominibus salus! Hoc eius desiderium. Itaque quum in Paedagogi prooemio, eundem Logon et hortari, et educare et docere (quo munere in Stromatis fungitur), dicat, nos quidem hortanti iam laetis vocibus facit acclamantes: „Quam bonus Israel deus eis, qui recto sunt corde!“ Logos igitur bonitate hortatur; sin hoc, bonitate etiam Paedagogiam instituit, docet. Et sane in eodem prooemio animos a Paedagogo confirmari dicit praeceptis, quae hominibus amica sint, i. e. e caritate erga homines profecta[1]), ut ad perfectam veritatis cognitionem deducantur. Quod autem Logon, ut hortetur, educet, doceat, movet, id etiam Logi praeconem, Clementem ad hortationes, disciplinas, doctrinas describendas incitat. Quae quum ita sint, causam, cur scribat, Clemens duplicem habere videtur: unam, ut, quae didicerit, memoria teneat scribendoque magis intelligat, alteram, ut „beata traditio“ et servetur posteris et aequales efficiat beatos. Atque ambas has causas in Stromatum prooemio ita explicat: „Putei, qui exhauriuntur, emittunt aquam magis perspicuam; corrumpuntur autem ei, quorum nullus est particeps. Ferrum quoque usus servat purius; usus autem defectio generat ei rubiginem. Ut enim summatim dicam: exercitatio salubrem et spiritibus et corporibus ingenerat habitum.“ Haec prior causa; altera autem statim adnectit. „Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui convivio habiti fuerint digni. Quid enim iuvat sapientia, quae eum, qui audire potest, non efficit sapientem? Praeterea autem etiam servat Servator et semper operatur, ut videt Patrem (operantem). Docens aliquis plus discit, et dicens saepe una audit cum eis, qui ipsum audiunt[2]). Unus est enim doctor et eius, qui dicit, et eius, qui audit, irrigans et mentem et sermonem“[3]). Accedit autem tertia quaedam pietatis causa, quam supra indicavi. Ut Plato Socratem, sic ipse magistros suos librorum auctores facit, ut sic saltem „imago virorum beatorum laudibusque extollendorum“ fiat immortalis, discipulus autem agnoscatur animo grato. „Certo autem, inquit, scio, fore ut exsultent, non hac quidem laetati expositione, sed ea sola de causa, quod hac scriptione, quae ipsi trudiderunt, serventur. Est enim

[1]) p. 98: ὑποθήκαις φιλανθρώποις.

[2]) cf. S. Augustini ep. 7: „Ego ex eorum numero me esse profiteor, qui scribunt proficiendo et scribendo proficiunt.“

[3]) p. 323.

eiusmodi adumbratio animae eam beatae traditionis conservationem, quae non possit effugere, desideranti exoptata. Filio autem amante sapientiam, pater laetitia afficietur"[1]).

Jam vero quum caritate pietateque movente Clemens Stromata scripserit, horum erit propositum, ut doctrina beatos reddant homines, eaque doctrina, quam viri Apostolici, auctoris doctores, tradiderunt. Resque ita se habet revera. Postquam enim, Stromata oblivionis venenum esse professus est, doctoribus nominatis, ita pergit: „Hi veram quidem beatae doctrinae servantes traditionem, statim a Petro, Jacobo, Joanne, Pauloque, sanctis Apostolis, (acceptam) ita, ut filius a patre (traditionem) accipit — pauci autem sunt patribus similes; — ad nos quoque illa a maioribus tradita, deo benigno, pervenerunt, Apostolica semina deposituri"[2]). Quibus dictis, hanc traditionem, ne pereat, a se litteris mandari asseverat. Deinde autem, quatenus id possit efficere fatetur, ut plenam et integram traditionem in Stromatis deponat. „Horum, inquit, monumentorum meorum scriptio, quam scio quam sit imbecilla, si cum illo spiritu gratiae pleno, quem qui audiremus digni sumus habiti, conferatur; sed haec scriptio sit imago ei, qui thyrso fuerit ictus, τοὺς ἀρχετύπους in memoriam revocans. Sapienti, ait Scriptura, loquere, et erit sapientior; et habenti adiicietur. Nec vero satis se posse arcana interpretari pronuntiat (scriptio mea); imo multum abest; sed in memoriam revocare tantum, sive forte iam obliti sumus quaedam, sive ne obliviscamur. Multa equidem scio, effluxisse nobis propter temporis longitudinem sine scriptis elapsa. Quamobrem memoriae meae imbecillitatem sublevans, expositionem certis capitibus constantem, salutare memoriae monumentum praebens mihi ipsi, hac necessario usus sum adumbatione. Sunt igitur quaedam, quorum ne recordati quidem sumus; magna enim illa in beatis vis erat viris. Sunt etiam quaedam, quae quum tempore scripta non fuissent, nunc effugerunt; alia autem, quae paene exstincta in ipsa mente quodammodo evanuerunt, quoniam (hominibus) non probatis haud facile est eiusmodi ministerium: haec igitur monumentis rursus suscito"[3]).

---

1) p. 323. init.

2) p. 323. s. f.

1) p. 324. med. Pro ἀναζωπυρῶν legendum esse censeo ἀναζωπυρῶ. Quod nisi probaveris, hoc enunciatum erit sine clausula. Neque enim κέχρημαι ex antecedenti apte repetitur, neque ullo modo quidquam ex sequenti quadrat, praesertim quum hinc sententia prorsus nova incipiat.

Quodsi Clemens partim necessitate quadam, quominus plene cumulateque, quae accepit, communicet, prohibetur, partim consulto, quae possit dicere, tacet. „Alia, — ita enim pergit, — alia consulto praetermitto, scienter faciens delectum, scribere quidem veritus, quae vel caveo ne dicam; minime quidem invidia commotus, (quod nefas esset,) sed ne ei, qui in ea inciderint, in aliam forte partem intelligentes labantur, nos vero puero gladium, ut loquuntur qui proverbiis uti solent, praebentes inveniamur. Neque enim fieri potest, quin, quae scripta sunt, quamvis a me non edita manserint, (aliquando) elabantur. Revoluta autem, quum una semper eademque voce, ea quidem, quae scripta est, utantur, interroganti praeter scripta, nihil quidquam respondent. Necessario enim semper auxilio egent, vel eius, qui scripsit, vel alius, qui eisdem insistit vestigiis"[1]). Hoc autem silentium, quod minime fieri invidia affirmat, iam antea defendere studuit. Postquam enim scribendi ius sibi quodammodo vindicavit, et ita quidem, ut ne Sabbati quidem tempore ab hoc docendi audiendique bono abstinendum sit, auditorum tamen numerum terminis quibusdam circumscribit, ut qui eos divinis mysteriis sanctaque luce donandos esse dicat, qui ea possint capere. „Non igitur multis, porro inquit, aperuit ea, quae multorum non erant, sed paucis, quibus ea convenire sciebat, qui quidem ea quum percipere possent, tum ad ea conformari. Quodsi forte quispiam dixerit: Nihil occultum, quod non manifestabitur, nihil opertum, quod non revelabitur: audiat hic a nobis quoque, ei, qui occulte audiat, occultum fore ut manifestum fiat, et qui silentio tradita possit servare, ei quoque, quod opertum, id iri apertum, ut veritas et ea, quae multis sunt occulta fiant manifesta paucis. Nam cur non omnes sciunt veritatem (si quaesieris): cur non amata (equidem quaeram) iustitia, si iustitia omnium"[2])?

Itaque Clemens sibi proponit, ut in Stromatis traditionem a viris Apostolicis religiose scriptam relinquat, nec vero totam, quum partem memoria non tenuerit, partem sit taciturus. Et haec quidem pars, quam vult tacere, est mysteriorum. Quae autem mysteria non sit traditurus, ipse, quin ipsa prodat, nequit dicere, nos vero haud magis possumus eadem assequi coniectura. Sed numerum eorum non tam magnum esse inde colligo, quod etiam mysteriorum tradendorum rationem habere sibi videtur non vetitam.

---

[1]) Ibidem.

[2]) p. 323. dimidio alt.

„Traduntur, inquit, mystice mysteria.“ De qua ratione postea erit disserendum. Nec vero solum numerum mysteriorum tacendorum parvum esse nunc concludimus, sed nullum omnino. Suam enim ipsius memoriam scriptis adiuvare vult. Atqui in mysteriis, ut quae haud facillime intelligantur, hoc adiumentum necessarium quam maxime. Mystica autem tradendi ratio efficit, ut pauci, qui capere possunt, mysteria discant, ceteri ne audiant quidem. Ergo Clementem omnia, a doctoribus suis accepta, tota atque integra esse relaturum probabile est. Nonnulla autem mysteria, mystice tradendo tacet multis, paucis aperit[1]).

Jam vero quaeritur, utrum omnia ita referre studere voluerit, ut pro arte quadam et praeceptis tota traditio certis voluminibus absolvatur, an eo modo, ut sine lege nunc hoc, nunc aliud exponat. Sunt igitur non pauci, qui Stromata sine lege ac vinculo scripta esse opinantur. Sed haec quaestio ad totam Clementis in Stromatis adhibitam disputandi viam et rationem pertinet, de qua deinceps agamus.

§ 4.

De disputandi via et ratione, quam Clemens in Stromatis adhibuerit.

Jam quum de disputandi via et ratione, qua Clemens usus fuerit in Stromatis, expositionem ordiamur, primum quidem animadvertendum est, nihil omnes huius quaestiunculae peritos magis cognitum habere, quam similitudinem illam, qua Clemens ipse, quid varii argumenti libros στρωματεῖς appellans indicare voluerit, explanat. Est autem haec. „Sunt Stromatum libri quodammodo similes, non quidem elaboratis hortis illis, in quibus arbores et plantae in certum ordinem ad oculos delectandos digestae sunt, sed monti potius alicui umbroso ac denso, in quo simul plantatae sunt cupressi et platani, laurus et hedera, mali et oleae et ficus, ita ut de industria fertilium una et non fertilium plantae arborum sint commixtae, quoniam scriptio propter eos, qui, quae sunt matura, surripiunt et furantur, vult latere. Ex quibus si agricola transponere voluerit plantas, pulchrum hortum exornabit et nemus amoenum. Neque ergo ordinem, neque dictionem spectant libri Stromatum, quum etiam Graeci de industria nolint esse dictionis ornatum, atque, id agentes, ut, si qui scripta ipsorum legant, hi sint laboriosi acresque ad inveniendum, dogmata latenter, non ut rei

[1]) cf. p. 348.

veritas iubet, inserant. Sunt enim multae ac variae escae propter piscium differentias"[1]). Hanc igitur similitudinem et explanationem norunt omnes, quid autem inde consequatur, quid inde redundet non solum ad totius operis indolem et dispositionem, verum etiam singulorum liberorum et cunctam disputandi viam haud penitus videntur intelligere. Ad totius enim operis indolem hoc redundat, ut certum finem nunquam postulet. Librum VIII., de quo infra uberius disputabimus, mutilum habemus. Quod multi ita queruntur, ut, si hic liber verus et integer ad nos pervenisset, totum Stromatum opus absolutum nobis exstare, opinari videantur. Sed nihil minus verum. Nam quum Clemens Stromatis traditionis deposita hic, illic, modo multis, modo paucis interiectis, reconderet, totum opus sua natura, quamdiu auctor e traditione alicuius rei, quae communicaretur, dignae recordaretur, nunquam finiri potuisse manifestum est. Nec profecto mirarer, si XVI Stromatum libri exstarent; nec tunc, auctoris manum in ipsa libri decimi sexti coronide, ut in totius operis fine, morte occupatam constitisse, exspectarem. Quamobrem ne singuli quidem libri certam ac definitam rei cuiusquam veritnte et ratione continent traditionis partem, sed si Stromata cum thesauro comparemus, hunc libris in acervos modicos distributum esse dicemus. Itaque neque finis imponitur singulis libris, argumento quodam absoluto certo, ut nova res novum volumen postulet, sed „propter longitudinem (tantum) et capitum multitudinem"[2]). Unde sequitur, singulos libros tanquam vestis stragulae singulas partes per se esse considerandos, ut qui colore vario distincti alter alteri sint assuti. Qui ergo certum ordinem, eumque satis manifestum, ita desiderant, ut ubique aut mali aut oleae aut ficus inveniantur, hi quidem errant vehementer. Errant autem non minus, qui libros ita inter se coniunctos esse putent, ut in schedis tantum deinceps se excipiant, „nihil commune habentes" aliud. Nam Clemens, qui Logon tam sapienter facit primum hortantem, deinde educantem, denique docentem, in ipso docendo distribuendi prudentiam haud prorsus neglexerit. Et sane ipse agricolam plantas fertiles transponendo pulchrum hortum exornare posse fatetur, id quod, nisi ordine quodam latente sed lectori scienti (agricolae) perspicuo et aperto generalia traditionis beata capita sese excipiant, quamvis levi tantum et abdita sententiarum coniunctione et continuatione, nescio quomodo fiat.

[1]) p. 901—902.
[2]) Strom. II. s. f. p. 507. „, διὰ τὸ μῆκος τε καὶ πλῆθος κεφαλαίων.

Sed singuli libri haud aliter nexi sunt inter se et apti, quam singula cuiusque libri capita, non ea capita dico, quae nunc forte occurrunt signis segregata, sed res capitales, i. e. dogmata, quae latenter tractantur.

Quod autem ad disputandi viam attinet, haec verba non sunt omittenda: „Sunt quaedam, quae aenigmatis scriptio mihi indicabit; et in haec quidem insistet; alia solum eloquetur. Conabitur autem et celans dicere et occultans aperire et tacens ostendere“ [1]). Cum quibus consentit illud, quod supra iam tetigi: „traduntur mystice mysteria, ut id, quod dicitur, sit etiam in ore dicentis, quinimo non in voce, sed in intelligentia. Dedit autem Deus ecclesiae alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios vero Evangelistas, alios vero Pastores et Doctores, ad perfectionem sanctorum, ad opus ministerii, ad aedificationem corporis Christi“ [2]). Jam quid est illud celans dicere, occultans aperire, tacens ostendere, mystice tradere? Hoc intellecto, quam maxime propria quidem ac subtilis disputandi ratio cognita esse videtur. Qui ipsa verba voluerit religiosius sequi, velut illud occultans aperire, hic in eam opinionem facile incidet, ut Clementem vocabulis initiatorum quorundam quasi privatis uti velle opinetur. Sed huiusmodi vocabula propria maxime et quasi privata nescio an adhuc quisquam invenerit vel etiam omnino possint inveniri. In eis ipsis, in quae insistit oratio, i. e. in mysteriis, Clemens magnopere studet efficere, ut et christiani et haeretici et ethnici ipsum intelligant. Utitur philosophicis argumentis, Sacrae Script. verbis, similitudinibus variis omnibusque, quae ullo modo ad persuadendum conducere possunt. Vocabula igitur quasi privata concedimus minime. Neque Clemens reapse vult quidquam ulli homini occultare, imo utinam cum omnibus omnia possim communicare! semper videtur exoptare. Sed ipsa scriptio occultat invita. Mysteria enim eadem atque eodem modo tradita aliis sunt operta, aliis aperta, quibus quidem divina gratia ea aperire voluerit. Nam dedit Deus ecclesiae alios quidem Apostolos etc.

Ex his igitur disputandi via haud satis liquet. Examinemus autem ea, quae eodem loco deinceps sequuntur. „Quae ab insignibus haeresibus decreta sunt, adducet (scriptio mea); dicet autem adversus ea, quaecunque ante τὴν ἐποπτικὴν θεωρίαν cogni-

[1]) p. 324. s. f.
[2]) p. 323—324.

tionis iam dispensata esse oportet, quae nobis procedet secundum praeclaram ac venerandam traditionis regulam ab ortu mundi progredientibus, necessario quidem prius ea, quae ex naturali contemplatione tractanda sunt, in medium proferens, rei autem consequentiae obstantia prius diluens, ut, prius quidem terra, agriculturae ritu, et a spinis et ab omni herba ad plantandam vineam purgata, aures ad suscipiendam gnosticam traditionem paratae sint. Certamen est enim certaminis quoque praeparatio, et mysteria sunt ea, quae antecedunt mysteria. Neque vero monumenta haec nostra, eis, quae sunt ex philosophia disciplinisque praeparantibus pulcherrima, uti dubitabunt. Neque enim solum propter Haebraeos et eos, qui sunt sub lege, par est fieri Judaeum, sed etiam propter Graecos Graecum, ut omnes lucrifaciamus. In epistola porro ad Colossenses: Admonentes, inquit, omnem hominem et docentes in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo. Convenit autem alioqui quoque commentariorum adumbrationi splendor contemplationis. Jam vero etiam bonarum disciplinarum copia est veluti condimentum quoddam athletae cibo permixtum, non delicias quidem captantis, sed bonum appetitum sumentis, honoris amorem"[1]). En habes manifestam disputandi viam, disertis verbis declaratam. Ut igitur locum istum aliis verbis describam: veritatem, ait Clemens tradituro mihi obstat mendacium. Homines non solum alieni sunt a veritate, sed etiam mediis ac multis versantur in mendaciis. Quid igitur opus factu? Priusquam dogma quoddam divinum docere possim, mendacium obstans diluam oportuerit. Quemadmodum enim agricola, antequam bonum semen spargit, agrum a spinis herbisque inutilibus liberat, sic ego falsas inutilesque opiniones, priusquam bonum traditionis semen spargam, evellere studebo. Sed quomodo? Sunt quidem aliae opiniones falsae philosophorum, haereticorum aliae. Quapropter quum ex naturali revelatione (propter Graecos Graecus) demonstrabimus, tum ex supernaturali, (propter Hebraeos Judaeus). Quibus praemissis, ad τὴν ἐποπτικὴν θεωρίαν γνώσεως accedi poterit. Quod autem ad naturalem revelationem pertinet, minime omnia philosophorum placita quasi prorsus falsa ac perniciosa respuam, sed quae pulchre dixerunt, ea libenter agnoscens in meam partem vertam. Ceteris porro disciplinis artibusque liberalibus utar ita, ut inde ornatus quidam redundet quoque orationis;

[1]) p. 324—325.

nam omnibus fieri debemus omnia, ut omnem hominem perfectum exhibeamus in Christo. Et in his quidem omnibus sic inibimus certamen, ut ad proprium summumque certamen, quod pro beatissima quasi visione, i. e. pro τῇ γνώσει adipiscenda certabimus, viam sternamus. Haec igitur ex Clementis sententia. Itaque pro hac disputandi via et ratione non exspectabimus primo philosophorum refutationem, deinde haereticorum, denique beatae traditionis expositionem; sed haec per totum opus saepenumero sese excipiunt, modo magis distincta et separata, modo difficilius secernenda. Viam autem suam Clemens ipse praeclare defendit his verbis. „Continebunt hi libri, qui vocantur Στρωματεῖς, veritatem philosophiae decretis admixtam, vel potius, sicut valvula operitur in nuce esculentum, coopertam et absconditam. Fidei enim semina solis nescio an conveniat servari fidei agricolis. Nec vero ea me fugerunt, quae a nonnullis. imperite omnia metuentibus, dictitantur, qui in eis tantum nos versari oportere contendunt, quae, quum sint maxime necessaria, fidem contineant, externa vero et supervacanea, ut quae frustra nos conterant detineantque in eis, quae ad finem nihil conferant, transilire. Alii autem philosophiam quoque summo cum malo et ad hominum perniciem venisse in vitam exsistimant, ut quae a malevolo quodam inventore profecta sit. At vero equidem, in malitia malam inesse naturam neque ergo cuiusquam unquam boni agricolam esse posse, his totis ostendam Stromatum libris, imo divinae quodammodo providentiae opus esse philosophiam tanquam aenigmate indicans“[1]). Ceterum Clemens, fore ut haud multum miretur, si Stromatum vituperatores exstiterint, ingenue fatetur; se autem, modo nemo merito vituperet, contentum se praebiturum. „Neque enim, inquit, ullam scriptionem adeo feliciter procedere puto, cui nullus omnino contradicat; sed illam rationi convenientem esse exsistimandum est, cui nemo rationi convenienter contradicit. Et actio simul et propositum admittenda sunt, non tantum si sint a reprehensione reapse aliena, sed etiam si nemo rationi convenienter reprehendit“[2]).

[1]) p. 326—327. In his verbis Clementis ingenium propheticum agnosci licet. Nam sunt et nostrae aetatis theologi et magnam partem nostrates, qui, quamvis haec hoc loco scripta esse ignorare videantur, tamen eadem identidem dictitant. Itaque novae praeclararum altercationum istarum inventionis gloriam ab eis haud facile auferes.

[2]) p. 326.

§ 5.

Quo vinculo Stromata iuncta sint inter se.

Jam vero hac disputandi via cognita, legem ac vinculum, quo Stromata tanquam opus unicum continentur, reperire possumus. Protreptico igitur quum Graecorum unaque omnium gentium dei cum daemoniis et simulacris explosi sunt, tum auditum est novum canticum illud, quod omnibus doloribus et morbis mederi potest, ut Graeci non possint, quin huius dulcedinem sentientes Clementem adspiciant eique praebeant aures libentissime. Paedagogo deinde oculi acuuntur, aures quodammodo purgantur. Nam divinam Logi maiestatem videre, cantici eius dulcedinem audire totamque sentire nemo potest, quin prius, ut ita dicam, oculi eius et aures a pulvere huius mundi ipsiusque vitae purgentur. Sed disertis loquor verbis. Paedagogus ab his, quae cernimus, homines abduxit ad ea deducens, quae sub sensus nullo modo cadunt, ad coelestia; vitam turpem depulit, honestae normam praecepit, quam amantes ad mysteria christianae doctrinae intelligenda praeparamur. Stromata autem praeparatos suscipientia docent, sed ita, ut praeparationem quoque paullatim perficiant. Quamobrem argumenta Protreptici et Paedagogi passim redeunt in disputationem. Non potest Clemens statim dogmata explicare, „quod Hebraei signa petentes, Graeci sapientiam quaerentes utrique arcanam verae philosophiae rationem nondum ferunt.“ Utrique igitur, qui veritatem penitus percipiant, haud satis idonei; ut fiant idonei, enitendum. Enitimur autem, ut hoc efficiamus, si cum Graecis quidem philosophamur. Inest enim in omni homine veritatis συναίσθησις quaedam, quae philosophando exercitata veritatis intelligendae vim idoneam generat. Itaque in primo Stromatum libro statim, quae sit philosophiae vis, exponitur et ante et post Domini adventum, qualisque dialecticae usus atque utilitas. Tum vero, quae a philosophis recte decreta sunt, examinantur, quo veritas eorum referenda sit, partim quidem ad ipsius naturae humanae bonitatem ad verum inveniendum quodammodo idoneam, plurimam autem partem ad SS. Hebraeorum Scripturas, unde Graeci furati sint optima. Deinde altero libro pergit, qualia et quanta Graeci a Moyse et Prophetis mutuati sint, ostendere, sed ita, ut animos ad veritatem plenam propius adducat. Veritate igitur homines potiri ostendit fide, qua cognitis libere assentiantur, quam sequatur spes, ut bonorum exspectatio, caritate nascente corona. Quibus pulchra virtutum multitudo admixta sit, cuius fructus communis evadat dei similitudo. Quodsi hoc libro Clemens mira quadam sapientia, dum

philosophos Graecos optima furatos esse probare studet, ut in audientium animis habitum ad fidem recipiendam idoneum dispositionemque generet, enititur, inprimis de poenitentia, de mansuetudine, de humilitate a fide nunquam seiuncta agendo: quaestionem de continentia sub finem ortam praeclare libro tertio ita tractat, ut totus homo internus superior fiat externo, i. e. corpore, qua in re optima cernitur fidei amplectendae praeparatio. Atque quum fidem liberam assensionem definiverit, quae fiat propter dei caritatem, quarto libro, qua re agnoscatur maxima erga deum caritas, martyrio quidem, exponit. Jam vero fides, quum vitam hominum caritate formaverit, mirum quendam florem gignit, cuius fructus erit perfecta ac dulcissima caritas, τὴν γνῶσιν, cognitionem, quae est veritatis quasi visio. Et ita quidem progreditur oratio libro quinto. Ut autem ipsis paene oculis adspiciatur imago adumbrata, in libro sexto, Graecis iterum, ne philosophia sua sint contenti, admonitis, eum hominem, qui fide, spe, caritate, gnosi praeditus sit, i. e. gnosticum describit sine ulla perturbatione beatum et amabilem. Sed disputatio etiam procedit ad fidei cognitionisque fontes, unde obiecta hauriantur, quae quidem sint SS. Scripturae, traditione illuminatae atque impletae. Libro vero septimo accuratior gnostici imago depingitur, quae, Servatore deo atque homine docente, pulchrior evadat, et hominem in deo quiescentem caritate summa et unitate fruentem ostendat. Hoc vero fastigium assecuti ad fontes respicit, ubi sint, quaerens. Respondetur autem: in ecclesia. At vero ubi est ecclesia? Nam alius alibi eam esse affirmat. Propter haeresium differentias videtur inveniri non posse. Sed potest inveniri, quum sit demonstratio, qua in omnibus verum a falso discernimus, etiam veram ecclesiam a falsa. De demonstratione igitur disserit liber octavus. De hoc autem postea uberius erit dicendum. Nunc singulorum librorum argumenta exponamus.

§ 6.

Argumentum libri primi exponatur.

Initium huius libri primi adhuc deest; temporum iniuria periisse videtur. Quae autem exciderunt, ad proprium operis argumentum certe non pertinebant; quantum enim coniectura assequi possumus rationes eis fuisse contentas agnoscimus, quibus commotus esset auctor, ut sacram doctrinam conscriberet, quarum gravissimas quidem deinceps exponit hoc modo [1]).

---

[1]) Quae servata sunt, his verbis ordiuntur: *ἵνα ὑπὸ χεῖρα ἀναγινώσκῃς αὐτὰς καὶ δυνηθῇς φυλάξαι αὐτάς.* Unde Le Nourry (App. p. 830), totum hoc Stromatum

Si quis sit litterarum usus, sint oportet, quibus scribere liceat. Quid vero? bonisne, an malis? His quidem concessum fuisse, Theopompi, Timaei, Epicuri, Hipponactis, Archilochi opera testantur. Quodsi turpiter scribi nihil fuit vetitum, quis eum, qui veritatem, praedicet, ne posteris utilitatem afferat, prohibuerit? Est autem honestum, eis, qui postea sunt futuri, bonos relinquere filios. En animi filii sunt libri! Quare etiam catechizantes vocamus patres. Verbum enim quasi semen cadit in mentem, quo mens mentem tangens auget atque animat. Nec tamen omnium est doctrina, sed vulgus ad litteras, ut est in proverbio, quemadmodum asinus ad lyram. Quibus tamen, ut docerentur, contigit, hi et Christo monente et Apostolo, docere rursus debent, alii voce, alii scripto. Utrique autem, ut fides caritate vivat efficient. Culpa enim ipsius est optimum non eligentis; deus culpa vacat. Jam vero, fenerari verbum, illorum est; horum probare et aut deligere aut reiicere. Sed iudicium, quo deligunt, in ipsis iudicatur. Evangelium autem movet ad inquisitionem, veritatis cupidum facit, ad honestam vitam promptum, initia dat salutis, quae qui acceperit, vitae aeternae viaticum nactus in coelum evolabit. Sed utrique et docentes et audientes se debent probare, sint ne digni; alteri, qui doceant, qui audiant alteri. Et his quidem, quod alios iam probatos sequuntur, ad veritatem intelligendam conficiendaque mandata maxime conducit. Eo magis autem probatis cavendum est, quum proximis prodesse studeant, ne vel temere vel aemulandi vel turpis lucri causa ad docendum se conferant, vel gloriae aviditate; sed solam hominum salutem respiciant. Auditores vero curiositatem reiiciant, neve, ut alantur corpora, ad eos, qui sunt Christo consecrati, veniant. Qui non videri, sed se esse vult iustum, is sit optimae oportet conscientiae.

Duplex igitur evangelii communicandi modus et scripto et sine scripto. Qui bonum semen spargit, utrovis modo, vere ille divinus agricola, pacis seminator. Nec vero cuivis, quum et dogmata christiana, et philosophorum placita, partim ea quidem vera, in delectum veniant, ut deligat, permittendum. Sunt enim, qui praeiudicatis capti, argumentationibus artificiosis nitantur; qui autem eius est voluntatis, ut veritati cognitae quamvis laboriosae convenienter vivat, hic rationem secutus iudicium rectum assequetur ac fidem; unde persuasio proficiscetur abundans. Qui ergo apud prae-

---

opus ad Clementis amicum quendam esse scriptum, sequi opinatur. Sed fallitur haud dubie. Huius enim rei nullum in ullo libro vestigium. Ad quod autem illud *αὐτὰς* referendum sit nomen, per se dici prorsus nequit. Nec porro, quodnam sit in verbo *ἀναγινώσκῃς* subiectum, nullis indiciis aliunde petitis, pro certo poterit statui.

sentes dicens semen spargit, terram investiget fertilem. Qui autem monumentis loquitur, is se deo purget, quod, inani gloria spreta et lucro, sola eorum, qui sint scripta lecturi, salute frui velit. Oportet potius dominum, quoad fieri poterit, imitari, ut quum gratis acceperis, largiaris etiam gratis [1]).

Sed ut conscribam haec monumenta, aliud praeterea habeo, quod commoveat. Neque enim ostentationis causa opus quoddam compositurus sum artificiose, sed oblivionis medicamentum mihi recondere volo ad senectutem, imaginemque verborum illorum evidentium et animatorum describere atque adumbrationem simplicem, quae, qui a beatis reveraque laudabilibus viris audirem, dignus habitus sum. Hi vero, sanctos Apostolos, Petrum, Jacobum, Joannem, Paulum excipientes veram beantis doctrinae traditionem, quam ut filius a patre acceperant, conservantes, ad nos quoque, deo benigno, pervenerunt. Et ipsi quidem, fore, ut exsultent laetitia spero, non quod ego haec exposuerim, sed quia ab ipsis tradita serventur his scriptis.

N e m o e n i m a c c e n d i t l u c e r n a m e t p o n i t e a m s u b m o d i o , s e d s u p e r c a n d e l a b r u m , u t l u c e a t o m n i b u s . Quae autem sapientiae utilitas non habentis, quem audientem reddat sapientem? Servabit etiam in posterum Servator, qui semper est agens, ut semper videt patrem. Si quis ergo docet, plus discit, dicensque saepenumero audit una cum eis, qui ipsum audiunt, quum unus et dicentis et audientis magister sit.

Jam vero non cum multis communicavit ea, quae haud erant multorum, sed cum paucis tantum, quibus ea convenire sciebat, i. e. qui et comprehendere possent, et ad comprehensa vitam conformare. Nam Mysteria mystice traduntur. Neque enim omnes eodem munere fungi debent: alii potius Apostoli, alii prophetae, alii Evangelistae, alii Pastores, alii Doctores.

Sed haec commentariorum meorum scriptio quam sit exigua haud ignoro, si eam cum illo spiritu, gratiae pleno volueris comparare, quem qui audiremus, digni sumus habiti. Ipsa igitur minime, arcana a se expositum iri, pollicetur, ut quae solius memoriae adiuvandae causa exstiterit, qua nonnulla iam prorsus dilapsa sunt. Magna enim orationis vis quaedam fuit beatis illis viris. Quae tamen vel adhuc teneo vel in memoriam redigere potuero, ea, huius imbecillitatem sublevans, in capita certa distribuam. Sunt etiam quae consulto praetermittam, scienter delectum habens, quae ne

---

[1]) p. 321—322.

dixerim vel caveam, scribere veritus, ne puero, ut proverbium est, praebeam gladium. Quamvis enim mihi haec conscripserim, tamen impedire non potero, ne aliquando edantur. Littera autem interroganti respondet idem identidem, ut semper vel auctore vel alio eisdem vestigiis ingredienti egeat interprete. Nonnulla etiam Scriptura mihi quasi aenigmate indicat, et in his quidem saepe multa esse cogetur; aliorum solam faciet mentionem; sunt etiam, quae celans dicere, occultans aperire, tacens ostendere conabitur. Deinde quae ab insignibus haeresibus dogmata defenduntur, exponet, contra quae ita dicet, ut animi simul praeparentur ad γνῶσιν accipiendam, velut agricola, priusquam vineam plantat, agrum a spinis omnique herba purgat[1]).

Neque vero optimis, quae philosophia ceteraeque τῆς προπαιδείας disciplinae praebent, uti commentarii nostri dubitabunt, ut non solum Judaeis Judaeus, sed Graecus quoque Graecis fiam. Ne autem nimia attentio animi vires frangantur, recreare eum studebimus, quasi dulci quodam condimento, disciplinarum copia; contraque, ne nimis remittetur, opiniones vocesque interiiciemus, quae ut attendat, efficiant. Sed quod attinet ad philosophiam: alii idem aliter vident. Ego autem philosophiam, non ut pastor ovem sed ut coquus, considero, fructum ex ea percipiens. Et scio quidem, fore, qui ideo mihi contradicant. Quamquam hac re minime conturbor, quoniam non ei libri tantum rationi conveniunt, qui a reprehensione prorsus alieni manent, verum etiam qui a nemine reprehendi possunt merito. Sed Graeca philosophia, quatenus recta, usi, quemadmodum agricolae terram irrigant semen sparsuri, Graecorum corda ad semen spirituale suscipiendum praeparamus.

Continebunt igitur hi libri, qui Στρωματεῖς inscribuntur, veritatem placitis philosophicis admixtam, vel potius coopertam et absconditam. Nec tamen me latet, duplex esse hominum genus, a quibus oppugner. Sunt enim, timidi ei quidem, qui ea tantum esse tractanda, quae necessaria sint ad fidem, dictitent; quin etiam sunt,

---

[1]) Le Nourry in huius libri analysi hoc loco haec habet: „Post haec vero ille narrat, quid in eis et qua methodo sit disputaturus de falsis errantium sectarum dogmatibus alia quidem celando, alia vero, quae ex veneranda traditionis, ab ipso mundi ortu deductae, regula ad nostram cognitionem pervenerunt, vel obscurius vel clarius explicando, ita ut his praelusionibus ad perfectam θεωρίαν et contemplationem deducamur." In quibus, nescio qua re falsus, omnia pervertit. Nam „veneranda illa traditio" nihil aliud est, nisi „perfectae θεωρίας" argumentum, quod ipsum haeresibus refutandis praeparatur. Nec porro celando quidquam haereses disputat. Ipse velim consideres, quomodo sententiae nexae sint inter se et coniunctae.

qui ad hominum perniciem in vitam quasi irrepsisse philosophiam, a malo quodam, i. e. a diabolo inventam affirment. Sed hi stromatum libri toti erunt idonei, qui utrosque refutent, imo philosophiam esse quodammodo divinae providentiae opus, quum malitia propter malam suam naturam nullius boni fons unquam esse possit[1]).

Primo ergo: si sit inutilis philosophia, dum philosophando id demonstraverimus, iam apparebit utilis. Deinde velim, qui Graecos condemnare solent, penitus principio habeant cognita Graeca. Varia autem multaque doctrina fidem commendat audientibus. Tum vero philosophia non solum rerum falsarum et prave factorum artifex non est, quinimo evidens veritatis imago, divinum donum Graecis datum. A fide non avocat, ad ipsam potius adducit, praebens demonstrandi exercitationem. Quin etiam coniunctio dogmatum oppositione veritatem expetit[2]). Itaque haud quaquam propter se inducitur, sed fructus causa ex ipsa percipiendi. Quamquam vel horum Stromatum finis et ordo philosophiam admittunt. Ordinem autem huiusmodi esse volui, quod „Haebraei signa petentes, Graeci sapientiam quaerentes“ utrique arcanam verae philosophiae rationem nondum ferunt[3]).

Quorum alii veritatem fugiunt ut voluptatis servi, litigiosarum disputationum amantes alii; sed „Dominus, ait Scriptura, solus cognoscit disceptationes sapientum, quod vanae sunt,“ sapientes vocans sophistas, qui in locutionibus versantur et artibus supervacaneis[4]).

Sed est vera quaedam sapientia a deo hominibus data. „Omni enim cordi, inquit, sapienti dedi ipse sapientiam.“ Animadvertendum autem, nemini a Domino sapientiam concedi, nisi qui ipse se labore et exercitatione idoneum praebuerit. Est enim propria scientiae συναίσθησις divinitus donata, qua ad studia impellimur; quam auget exercitatio. Et ille quidem labor exercitatioque saepenumero cernitur in philosophando. Nam eis, qui philosophia fuerint iustificati, tanquam thesaurum deus largitur τὴν συναίσθησιν, quae ducit ad pietatem in ipsum[5]).

---

[1]) Le Nourry: „Ad haec porro ex philosophicis dogmatibus inter se collatis sibique invicem oppositis eruitur veritatis cognitio nostraque persuasio magis firma et stabilis redditur.“ Haud recte. Nam oppositione dicit Clemens dogmata inter philosophica et christiana veritatem ita fieri amabilem, ut tanquam sponsa expetatur. —

[2]) p. 322—327.

[3]) p. 327—328.

[4]) p. 328—329.

[5]) p. 329—331.

Erat enim ante Domini adventum ad iustitiam Graecis quidem philosophia necessaria; nunc autem religioni, quum προπαιδεία sit quaedam eis, qui fidem demonstratione consequi student, evadit utilis. Bona igitur philosophia; omnium autem bonorum deus auctor, quapropter, si quidvis bonum, sive Graecum, sive nostrum ad providentiam retuleris divinam, minime falleris. Nec vero omnium bonorum eodem modo deus est largitor: aliorum enim causa est principalis et proxima, ut ipse ea cum hominibus communicet, velut utriusque Testamenti; aliorum, variis causis proximis intercedentibus, causa est remota, i. e. per consequentiam, ut philosophiae. Quamquam vel huius apud Graecos nescio an fuerit causa quodammodo proxima, quoniam ante Christum natum philosophia Graecis pro lege valuit. Sed iam est utilis tantum. Praeparandi igitur munere fungitur, ei viam muniens, qui a Christo perficiendus est. Utilitas autem duplex: et ad veritatem ducit, et inventam defendit. In viam porro, quae una est, tanquam in fluvium perennem, multi rivi, alii aliunde, influunt. Nec tantum unius hominis multi eiusmodi rivi, sed etiam cunctorum populorum. Sed etsi philosophia veritati et inveniendae et tuendae conducit, nec tamen ipsa est veritas, in qua sit acquiescendum. Quemadmodum enim omnes artes liberales ad philosophiam, quae ipsarum est domina, conferunt, sic philosophia ipsa adiuvat ad comparandam sapientiam. Philosophia enim sapientiae est studium, sapientia autem rerum divinarum et humanarum causarumque ipsarum scientia. Ut philosophia τῆς προπαιδείας domina, ita philosophiae sapientia. Quodsi illa tanquam temperantiae auctor propter se est eligenda, multo etiam venerabilior apparebit et praestantior domina propter dei honorem atque cognitionem tractata. Sed exemplo ex S. Scriptura utar. Primo Sara, quae divinam sapientiam iudicat, Abraham non peperit filium, adduxit autem ei Agar, ancillam, quacum philosophiam comparamus. Tunc vero et haec concepit et illa. Abraham igitur a coelestium contemplatione transiens ad fidem iustitiamque secundum deum, ad sapientiam pervenit. Vox Isaac enim τὸ αὐτομαθὲς declarat, quamobrem Christi etiam typus invenitur. Nec vero Abr. philosophiae nimium tribuit, sed Sara et Agar certantibus inter se, illi hanc tradidit tanquam ancillam: „Ecce ancilla in manibus tuis; utere ea, ut lubet!“ „Quoniam, inquit, mundanam quidem amplector doctrinam et ut iuniorem et ut conservam; scientiam autem tuam, ut perfectam dominam honoro ac veneror,“ „Et afflixit eam Sara,“ i. e. reductam ad sanam mentem correxit. Correctam autem philosophiam veritatis eorumque, quae sunt, naturae

inquisitionem esse dicimus. Atque veritas est Christus. Quomodo ergo veritatem, quae ipsa se dedit sponte, philosophia inquirit? Ἡ προπαιδεία, quam ea, quae est in Christo, quies sequitur, mentem exercet, excitat intelligentiam, promptum gignendo ingenii acumen illud ad quaerendum idoneum per veram philosophiam, quam inventam vel acceptam potius ab ipsa veritate habent mystae [1]).

Mentis autem exercitatio illa in eis cernitur, quaecunque omnino mente intelligi possunt, quibus omnibus acuitur intelligendi facultas. Itaque docemur, perfectam demonstrando fidem animo comparare, quae cognitione nititur ab omni dubitatione remotissima. Quamquam fieri potest, ut quis vel plane sine litteris fidem nanciscatur. Nec tamen is quidem omnia, quae fide possidentur, ita intelliget, quomodo se habeant, ut, quae recte dicta sint, ab alienis secernat, id quod solius est eius, qui, quum sit fide praeditus, doctrina ornatum se praebet. Quemadmodum igitur aliter in egestate vivitur, aliter in abundantia, sic quoque non eodem modo in doctrina creditur, atque in ignorantia, imperitia, inscitia. Sed hanc etiam ob causam disciplinis opus est, ut sophistarum fallaces repellamus opiniones [2]).

Verumtamen ἡ προπαιδεία Graeca illa una cum philosophia divinitus hominibus data non aliter veritatem gignit, atque imber, qui non solum in bonam terram effunditur, sed in ea quoque loca, quae haud ita sunt frugifera. Accedit autem, quod in eodem agro fruges, quamvis et eodem irrigatae imbre et cultae ab eodem agricola, aliae ad aliam perveniunt maturitatem. Sic philosophia quoque in alio homine modo plus modo minus veri excitat, in alio prorsus nihil. Quae quum ita sint, philosophiam nec Stoicam habeo, nec Platonicam, nec Epicuream, nec Aristoteleam; sed quaecunque ab his philosophorum sectis singulis recte dicta sunt, quaecunque iustitiam cum pia coniunctam scientia edocent: haec omnia in unum corpus quoddam selectum dico philosophiam. Cetera autem, quae humanis ratiocinationibus adulterata sunt, nunquam dixerim divina. Verumenimvero philosophia haud sufficit. Aliter enim nos de veritate loquimur, aliter veritas de se ipsa; aliud est veritatis coniectura, aliud veritas; aliud rei similitudo, aliud res ipsa. Quare factum est, divina providentia curante, ut S. Scripturae

---

1) p. 331—335.
2) p. 335—337.

etiam in Graecum sermonem versae sint, ne quis ignorantiae habeat excusationem [1]).

Est porro videndum, ne quid pro philosophia habeatur, quod est ab ea quam alienissimum. Eiusmodi autem in promptu habemus artem Sophisticam a Graecis adamatam, quam ἐν τῇ δυνάμει φανταστικῇ ponimus. Haec quidem duabus inprimis artibus utitur adiutricibus: ῥητορικῇ et ἐριστικῇ. Quarum utraque a philosophia segregata hominibus erit exitio. Sophistica igitur, quae philosophia unquam non sine magna diligentia invenit, furatur, cuius finis non est veritas, sed admiratio. At vero Apostolus eam minime admiratur, sed increpitat ut litis, invidiae, maledicti, suspicionum, concertationum causam. Nemo ergo credat eorum opinionibus, nemo decipiatur, neve ulla capiatur quisquam affectione quam isti moverint [2]). Sunt etiam, qui praecipua naturae se esse bonitate opinantes, haud ita dignitatem suam minuere velint, ut vel philosophiam attingant, vel dialecticam, vel discant physicam, sed solam postulant ac nudam fidem; perinde quasi, nulla vitis cura adhibita, statim ab initio uvas cuperent accipere. At vero est quaedam vitis, quae est Christus, agricultura, quae experientia multarumque rerum peritia nititur. Quomodo enim non sit necesse, qui dei voluerit potentiam attendere, is de rebus, quae sola mente percipiuntur, prius philosophando disserat? Nonne etiam, vocabula ambigua et dubia, quae in S. Script. occurrunt, distinguere, erit utile? Scio quidem multos fuisse et Prophetas et Apostolos nullis disciplinis instructos; sed repleti erant hi certe Spiritu S., id quod omnibus minime contigit. Nobis enim discendum est, quod illis sponte se obtulit. Jumenta quidem metu impellente aguntur: nos haud similiter. Sin libere faciamus, quae facimus, prius cognoscamus oportet facienda. Scripturis ergo agnitis, vitam instituamus obedientem. Nec vero omnium est docere: aliis docendi inprimis a deo assignatum est munus, aliis agendi. Ne igitur alteri alteros vituperent. Nam sicut verbum pravum a prave facto nihil differt: ita sermone recto utentes eos, qui recte volunt agere, adiuvant. Est enim et sermo salutaris et opus salutare. Quemadmodum ergo, si nemo iam bene faciat, nemo etiam erit, in quem beneficia conferuntur: sic obedientia quoque tollitur et fides, nisi simul accipiantur quum praeceptum tum huius interpres. Hic autem artem litigiosam illam et sophisticam respuat. „Non enim est sapientia

---

[1]) p. 337—339.
[2]) p. 339—341.

improbitatis scientia. Neque eloquentiam equidem nimis sectabor, sed cogitatum indicasse erit satis. Servari enim et eis, qui volunt servari, opem ferre, optimum est, nec vero loquendi formulas, tanquam ornamenta, componere. Quae autem Plato in Politico et Theaeteto de locutionibus artificiosioribus praecipit evitandis, ea brevissime S. Scriptura sic habet: Ne multum verseris in verbis. Dictio enim velut corporis vestis, res autem carnes et nervi. Quod igitur in vestitum luxuriosum, hoc etiam cadit in orationem nimis ornatam. Nec vero urbana est oratio, quae magis ad delectandum idonea est, quam adiuvandum. Veritatem discere per se est difficillimum. Ne quis ergo, quasi multos allecturus, vanum dicendi gloriae studium aemuletur. Unus gnostico auditor sufficit[1]).

Sed iam ad veritatem edocendam propius accedamus.

Haec igitur non est sapientia huius mundi, quae est stultitia potius apud deum, eiusmodi „sapientum cogitationes cognoscentem, quod vanae sunt.“ Sed ea sola est sapientia, qua deum agnoscimus, misericordem, iudicem, iustitiae fontem. Sapientia huius mundi autem philosophia intelligitur Epicurea, qua, providentia sublata, in deorum numerum refertur voluptas; et si qua alia philosophia divino afficit honore elementa, quorum nescit causam efficientem, nec videt opificem; quin etiam Stoica, quae deum, quum sit corpus, per vilissimam pervasisse materiam docet. Ut autem ad veram perveniamus sapientiam, opus est labore. Minime enim Logos otiosum vult esse credentem, sed „quaerite, inquit, et invenietis.“ Sed inquisitionem terminat inventione, recentes quidem nugas expellens, doctrinam[2]) autem, qua fides confirmatur, approbans. „Hoc autem, ait Apostolus, dico, ne quis vos decipiat in probabilitate sermonis,“ ut qui, quae a decipientibus quibusdam dicuntur, discernere didiceritis, eisque, quae obiiciuntur, occurrere sitis docti. Sed ut ad veram, quae Christum sequitur, doctrinam revertamur: haec quum deum huius mundi opificem habet, tum providentiam eius refert ad res singulas; elementorum autem talem novit esse naturam, ut in eam et ortus cadat atque mutatio; vitae denique finem docet dei similitudinem. Non ergo in vera erant doctrina philosophi illi Graecorum veteres, qui elementa, vel ignem,

---

[1]) p. 341—345.

[2]) *θεωρίαν* hoc loco, modo oppositionem: *καινὴν* (*κενὴν*) *φλυαρίαν* consideraveris nec, quid demonstraturus sit Clemens, imo quae deinceps statim explicet, neglexeris, non *γνῶσιν* dices esse, sed doctrinam, „wissensch. Theorie.“

vel aquam vel aerem vel atomos divino coluerunt honore, quorum vita etiam fuit, quasi deus vivus et verus non esset. „Parvuli sub elementis huius mundi, ait Apostolus, eramus servientes.“ Parvuli etiam philosophi erant, donec per Christum fierent viri. Viri autem non ei, qui opinione sunt sapientes, sed reapse. Differt enim maxime ab opinione veritas. „Cognitionis opinio inflat,“ „caritas autem,“ quae non opinione, sed veritate nititur, „aedificat“ [1]).

Sin huius autem verae sapientiae, quam dei filius docuit, participes fieri conemur, non solum lingua, verum etiam aures erunt purgandae. Id quod mihi, quominus scriberem, erat impedimento; imo nunc adhuc vereor, „ante porcus, ut ait Script., iacere margaritas, ne eas conculcent pedibus et conversi nos lacerent.“ Quamvis enim sint verba pura et sancta: auditoribus impuris indoctisque ridicula videbuntur, dum homines ingeniosi et honesti nihil admirabilius putant, nihil magis divino spiritu inflatum. „Animalis enim homo non suscipit ea, quae sunt spiritus; sunt enim ei stultitia.“ Quid ergo? Nihilne docendum? Docendum certe. „Quod auditis in aurem, praedicate super tecta!“ Itaque arcanas verae cognitionis traditiones excelse atque excellenter explicatas accipere nos iubet, acceptas autem, quemadmodum audivimus in aurem, sic quoque tradere, sed quibus oportet [2]). Quare ita scribam, ut veritas nemini se aperiat, nisi qui innocens omnia inter se coniuncta diligenter legerit [3]).

Itaque et barbarorum et Graecorum philosophorum singulae sectae aliquid, partem quandam veritatis, quae per se quidem una est, sortitae, quasi totam iactant veritatem. Luce autem orta, credo, omnia illuminantur. Prodeant ergo omnes, quidquid habent veritatis, et Graeci et barbari; nam in veritate mira semina propria colligendi vis inest. Sunt enim multa, quibus omnes scholae, quamvis ipsis dissimilia videantur, quod ad totam pertinet veritatem, consentiunt. Singula differunt; ex differentibus harmonia conflatur. Qui enim singula composuerit, is totam contemplabitur veritatem. Ut autem in unaquaque philosophiae secta pars quaedam veritatis quasi avulasa custodiatur, Logos effecit. Quamob-

---

1) p. 345—348.

2) p. 348.

3) *Εἰ καὶ ἀλλήλοις ἀνόμοια εἶναι δοκεῖ, τῷ γένει γε καὶ ὅλῃ τῇ ἀληθείᾳ ὁμολογοῦνται.* Interpres: „Etiamsi certum sit et extra controversiam, eas esse dissimiles genere et tota veritate.“ Qui quid legerit, nulla assequor coniectura.

rem ne Apostolus quidem in ep. ad Titum (1. 12—13.) ad aedificationem Graeci sapientis verbis uti veretur, cuius testimonium verum esse affirmat. Idem facit in priore ad Corinth. ep. (c. 15. 32—33.). Sed omnem veritatem Logo deberi iam demonstrabimus. Itaque septem apud Graecos numerantur sapientes, quamquam de septimo loco sex nomina certant. Omnes vero longe post Moysem vixisse postea videbimus; nunc autem fueritne philosophandi eorum ratio, Hebraica et cum aenigmate, considerandum. Primo igitur Platone teste, omnes Graeci, inprimis Lacedaemonii et Cretenses, brevitatem amplectabantur, unde illud: Nosce teipsum! ut exemplo utar, profectum est, et plurima huiusmodi proverbia. Deinde autem plurimi philosophi fuerunt barbari, quos ideo etiam Plato magni aestimat. Et omnes quidem, quod memoriae proditum est vel ex rebus, dum vivunt, gestis colligi potest, post Moysis aetatem exstiterunt. Jam vero Graecos ab Aegyptiis, quorum nomina et urbes patrias novimus, philosophiam didicisse historia testatur. Plato certe id quidem fatetur, et de se ipso, et de aliis. Democritus, Magorum et Sacerdotum discipulus, adiit Babylonem, Persidem, Aegyptum. Pythagoras Zoroastrem Persam aemulatus est, quem Alexander ille, qui de symbolis Pythagoricis scripsit, Nazarati Assyrii discipulum esse, imo audiisse Gallos et Brachmanas narrat. Aristotelem cum Judaeo quodam versatum Clearchus Peripateticus dicit, a se cognitum. Numa autem, Romanorum rex, qui a populo homini vel bestiae similem dei imaginem effici vetuit, per Moysem haud dubie adiutus est. Philosophia ergo, multae quidem res utilitatis, per gentes pellucens, floruit olim apud barbaros. Habent autem singulae gentes suos philosophos, quos alii alio ornant nomine. Sed omnibus Judaeum genus longe est antiquius, cuius philosophiam scriptis mandatam ante Graecam esse natam copiose demonstravit Philo Pythagoreus, quinetiam Aristobulus Peripateticus, alii. Apertissime autem Megasthenes, qui cum Seleuco Nicatore vixit, in rerum Judicarum l. tertio scribit haec: „Omnia quidem, quae de natura dicta sunt a veteribus, dicuntur etiam ab eis, qui extra Graeciam philosophantur, partim apud Jndos a Brachmanis, partim vero in Syria ab eis, qui vocantur Judaei.“ Multa vero alia huc spectantia fabulis nimis obscurata sunt [1]).

Nec vero philosophiae solum, sed omnium fere artium inventores barbari: Astrologiae et Geometriae Aegyptii et Chaldaei;

[1]) p. 348—361.

Hetrusci tubam, tibiam Phryges excogitarunt. Cadmus autem, qui Graecis litterarum exstitit inventor, Phoenix fuit. Medicinae porro auctorem fuisse Apim tradunt, Aegyptium, indigenam, antequam Jo venerit in Aegyptum, quam artem postea Aesculapius auxerit. Atque primae navis fabricator Atlas Libys narratur. Celmis autem et Damnavaeus, Idaei Dactyli, in Cypro primi invenerunt ferrum, ex quo alii barbari varia instrumenta et arma fabricari coeperunt. Similiter barbari innumerabilium fere inventores artificiorum, et ad quaestum quotidianum pertinentium et ad mercaturam, et ad bellum, et ad res omnes, quae vitam vel instruunt, vel sustentant. Quae ita sese habere testes sunt: Scamon, Theophrastus, Cydippus, Antiphanes, Aristodemus, Aristoteles, Philostephanus, Strato, e quorum libris de inventis pauca excerpsi, ut comprobarem, idoneam ad inventionem in barbaris inesse naturam, a quibus Graeci acceperunt utilitates.

Sed inprimis doctrina sero ad Graecos pervenit, maxime quae versatur in libris conscribendis. Ab Anaxagora enim, Hegesibuli filio, Clazomenio, primo librum scriptum editum esse narrant. Deinceps autem omnes artes liberales scriptura uti inceperunt. Nihilominus in Graeca philosophia vis quaedam inest, imbecilla quidem ad mandata Domini exsequenda, at vero maxime regalis illius doctrinae viam praeparans unicuique, qui Providentiam exsistere crediderit [1]).

Attamen sunt, qui solam veritatis communicationem agnoscant revelationem, quam vocamus, supernaturalem; philosophiam autem furto surreptam vel a fure, ab Angelo scilicet veritatis nonnulla ex parte perito, qui in veritate non manserit, donatam venisse in terram. Quamvis enim utilis evadat philosophia, deum tamen huius utilitatis non ita causam esse, ut voluerit illam hominibus impertire, sed eo tantum, quod non impedierit; causam esse potius furtum. Tum vero omnino non Deus, sed diabolus causa erit, si quidem haec non in nihil agendo cernitur, quinetiam in ipsa actione. Quodsi is esset causa, qui non prohiberet, deus omnium peccatorum appareret auctor, quae contra ex libero hominum arbitrio vel minus vel male adhibito proficiscuntur. Impedire quidem in causa esse potest; quia agere est; non impedire, minime. Restat igitur, ut diabolum philosophiae, utilis eius quidem, auctorem esse dicas, quod, quum iste nullius boni iam sit causa, est absurdum. At vero scriptum est: „Omnes, qui fuerunt ante Dominum, fures et la-

[1]) p. 361—366.

trones!“ Ita sane. Nec vero omnes homines sine ulla exceptione, sed pseudoprophetae, qui non proprie missi sunt a Deo. Latro autem et fur praecipue dicitur diabolus, qui prophetis, tanquam frumento zizania, admiscuit pseudoprophetas. Huius igitur prophetae sunt pseudoprophetae, qui ipsum nomen habent furtum. „Vos, ait Dominus, vestro ex patre Diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere.“ Qui si quid habent veri, id ad iustos, si fieri possit, frangendos adhibent, ut dicit Pastor Hermetis. Sin quae est aperta utilitas, huius nunquam diabolus auctor exsistere poterit. Quod bonum, id divinitus communicatum. Quidquid autem deus voluerit dare, nemo est, quin impedire valeat. Sed etiam malorum multitudinem e pravo animorum habitu natam vertit in finem salubrem divina providentia, quod est maximum eius opus; nam benefacere divinae naturae est, ut lucis lucere. Quare in furto quoque philosophiae illo vestigium quoddam divinae sapientiae agnoscimus et motionem quandam a deo ortam, minime vero a diabolo. In hac autem „latrones et fures“ Graecorum fuerint philosophi, quod quum ante Domini adventum nonnullas veritatis partes ab Hebraeis acciperent, id minime agnoscentes, haec sibi dogmata propria attribuerunt. Deinde autem alia adulterarunt, alia interpolarunt, alia etiam invenerunt. Veri enim simile est, eos etiam habuisse πνεῦμα αἰσθήσεως, i. e. spiritum intelligentiae (Exod. 28. 3.), quo Hebraeorum prophetae secundum Apostolum fuerunt repleti. Sed in universum Graeci fures, qui, dum seipsos amant, gloriam quaerentes, elati, ex seipsis loquuntur. Quorum perdet deus sapientiam sapientum, quibus Jesus Christus, quem praedicamus, stultitia est, fabulam exsistimantes illud, quod per hominem dei filius loquatur, deus autem habeat filium, qui passus sit. At vero stulti evadunt, qui non credunt; sunt autem, qui non credant, non quod deus eorum corda afficeret duritia, sed quia credere nolunt. Voluntaria enim et electio est veritatis et declinatio [1]). Ex utrisque partibus, et ex Hebraico populo, et e gentibus, quicunque credere voluerint, hi recipientur in „populum peculia-

---

[1]) ἑκούσιος γὰρ ἥτε ἅιρεσις, ἥτε τῆς ἀληθείας ἐκλογή. Sine dubio mirabere, qui haec legeris, duas voces αἱρέσεως et ἐκλογῆς idem declarantes non coniunctionibus τε καὶ, sed pronominibus ἥτε, ἥτε copulatas esse. Ego vero miror, cur αἵρεσις et ἐκλογὴ hoc loco sint copulandae. Restituendum potius pro voce ἐκλογῆς, quae librarioli negligentia irrepsit, id quod sententia postulat, ἐκτροπή. Paullo post eadem sententia his verbis redit: ἐφ' ἡμῖν κείμενα διελέγχουσα (ἡ προφητεία), καὶ τὴν αἵρεσιν, καὶ τὴν ἐκτροπήν. l. 22—23.

rem;" ceteri se ipsi segregant. Sed ut velint, neve fugiant inquirendi probandique laborem, hortatur Apostolus [1]).

Sed hic etiam vera a Graecis nonnulla dicta esse, quum, ara, in qua scriptum erat: „Ignoto Deo!" inventa, ad Areopagitas dicere coepisset, comprobavit. Nam et deum ignotum illum interpretatus est huius mundi opificem vivum et verum, et Arati poetae usus est verbo; „Huius namque genus sumus." Nec tamen omnem suscipimus philosophiam, sed rectam illam, quae, vel Socrate teste, ad paucos tantum pertinet. Multi Thyrsigeri, Bacchi pauci. Sed quaecunque pauci isti habent vera, ea ad divinam providentiam sunt referenda, quae et casum regit et fortunam. Imo si essent notiones innatae, quibus illi aliquid veritatis nacti putarentur, eas ipsas ad deum naturae humanae opificem tanquam auctorem spectare fatendum esset.

Qui autem mentem quandam communem habuisse eos contenderit, is, qui sit huius pater, quaeque secundum mentis distributionem iustitia, quaerat oportet. Incidet autem in prophetiae species. Quin etiam sunt, qui quasi ex veritatis lucentis repercussu nonnulla a philosophis dicta esse velint. Et hi quidem haud tam inepte. Etenim divinus Apostolus de nobis dicit: „Videmus enim nunc tanquam per speculum." Quemadmodum speculum nostri corporis imaginem dum repercutit, ipsum corpus intuemur: sic in nobis essentiae nostrae repercussum quendam adspicientes nosmetipsos cognoscimus una cum divini, quod est in nobis, i. e. animi causa efficiente, i. e. una cum deo. Sed addit Apostolus: „Tunc autem, (i. e. carne deposita), facie ad faciem." Tunc ergo deum ita intuebimur, ut eum, modo cor fuerit purum, certa cognitione et comprehensione possideamus. Sic igitur, per imaginem repercussam, qui apud Graecos recte sunt philosophati, deum quasi pellucentem perviderunt.

Cavendum est quoque, ea ex sacra Script., quae contra haereses dicta sunt, referas ad philosophiam, velut illud: „Qui falsis initi-tur, is pascit ventos et persequitur aves pennatas," quod verbis illo loco sequentibus explicatur.

Philosophia autem ut veritatis inquisitio non est sola et unica ad veritatem comprehendendam causa, sed confert tantum, causa est cum aliis, τὸ συναίτιον αἴτιον. Una veritas, multae eius inveniendae causae; et plena quidem inventio per Filium. Una autem veritas in diversis rebus apparens, diverso utitur nomine, ut fortasse in

[1]) p. 366—371.

recta Graecorum philosophia Graecam eam dixeris. Verumenimvero ipsa veritas ac domina, quae violari nequit, est ea, quam docemur a dei filio. Et haec quidem nostra veritas, a Graeca illa philosophia, quamvis, eiusdem participe nominis, differt et magnitudine cognitionis, et demonstratione evidentiore, et virtute divina aliisque similibus. A Deo enim nos quidem docti sumus, ut qui revera sacras litteras a Dei filio didicerimus, diversa quoque ratione. Hoc discrimine posito, ne quis me reprehendat, quod nimium tribuerim Graecae philosophiae. Ne ut causam quidem adiuvantem eam esse necessariam dico. Quin etiam omnes fere Christiani (i. e. plurimi) sine illo disciplinarum orbe, quam ἐγκύκλιον παιδείαν vocant Graeci, sine Graeca philosophia quoque, imo multi sine ullis litteris, divina ac barbara moti philosophia, virtute divina verbum, quod est de deo, fide acceperunt, ea eruditi sapientia, quae per se agit sponte. Haec ergo satis distincta a Graeca philosophia, quae non per se agit, sed cum alio. Quamquam per se quoque philosophia Graecos olim iustos reddebat, nec tamen ea iustitia, quae in se est perfecta, cui potius inveniendae conducit, non ita quidem, ut ipsa sublata, veritas etiam tolleretur, sed quemadmodum sensus mentem ad cognoscendum adiuvat. Servatoris enim doctrina, nullius rei indigens, virtus dei est et sapientia, cui Graeca philosophia non addit plus potentiae, sed contra Sophistarum argumentationes vallum circumdat. Veritas Christiana necessaria ut panis, philosophia obsonii similis. Graeci autem nunc quasi coniectura veritatis partem aliquam possident, sin discipuli fuerint facti, quasi intuentes totam agnoscent[1]).

Jam vero, ut Hebraeorum philosophiam multo quavis alia esse antiquiorem probemus, disputandi ratio postulat. Fuse quidem id demonstratum est a Tatiano et a Casiano. Nos autem breve faciamus. Ptolemaeus igitur Mendesius, sacerdos, tempore Amosis, Aegyptiorum regis tempore Inachi Argivi, Judaeos, Moyse duce ex Aegypto exiisse scribit. Unde Moysem Inachi aetate, qui quadringentos annos et ultra vixit ante bellum Troianum, floruisse discimus. Argolicae autem res ceteris Graecis omnibus antiquiores, et Inachi aetas apud Graecos prorsus in fabulis, ubi de primo homine, de diluvio, de similibus sermo est. Totam autem historiam antiquam percurrentes, Moysem sexcentis ante annis et quattuor fuisse, antequam Bacchus in deos referreretur, (id quod secundum Apollodorum tricesimo secundo anno Persei regnantis factum,) invenimus.

[1]) p. 371—378.

Imo, dum Moyses vivit, et genus humanum ex Graecorum historia nondum exsistit, et totum Coelum diis adhuc vacuum[1]). Jam si ceterorum apud Hebraeos, Moyse mortuo, prophetarum ducumque tempora recensuerimus: omnes ante Salomonem regem Troia capta esse antiquiores, Menandro Pergameno teste et Laeto in Phoeniciis apparebit. Numerantur autem a Moyse nato ad Salomonem mortuum anni sexcenti saxaginta tres et menses septem. A Salomone usque ad Elisaei mortem anni sunt, nostra chronographia recte sese habente, centum octoginta unus, ut ex multorum historicorum definitione temporum Homerus et Hesiodus etiam Elisaeo recentiores esse videantur. Quamquam de horum aetate poetarum multa est dissensio[2]). Jesaias autem, Osee Michaeasque prophetae post Lykurgi, Lacedaemoniorum legislatoris aetatem fuisse dicuntur. Id enim ex Dieuchidae quarto Megaricorum libro colligitur. Sed quum Hieremias prophetaret, accidit septuaginta annorum captivitas per Assyriorum regem, qui Nabuchodonosor appellatus est, septimo ipsius imperii anno, i. e. secundo Vaphrei Aegyptiorum regis, Philippo Athenis summum magistratum gerente, primo quadragesimae octavae Olympiadis anno[3]). Soluta est autem captivitas septuaginta annis post, anno Darii Hystaspis filii regnantis secundo. Et fuerunt quidem Persarum regum anni ducenti triginta quinque. Atque Macedonum tempora in Aegypto anni trecenti duodecim numerantur, duodeviginti dies.

Sed quum, populo redeunte Palaestinam, Aggaeus et Zacharias prophetarent, i. e. primo quadragesimae octavae Olympiadis anno, hi ipsi non solum Pythagora, qui saxagesima secunda Olympiade vixisse fertur, verum etiam Thalete antiquiores apparent, qui Graecorum philosophorum antiquissimus circa quinquagesimam Olympiadem fuit. Quot ergo annis Salomon vetustior quam septem Sapientes![4]) Sed hoc ex omnibus chronographis, et Graecis et barbaris, quamvis dissentientibus inter se, facile colligitur[5]).

---

[1]) Haec omnia ex auctoribus accurate demonstrantur a Clemente, nec vero singula referre opus esse puto.

[2]) Etiam haec, et quae deinceps sequuntur, uberius exponuntur.

[3]) Hoc loco digreditur paullulum narratio a proposita chronographia ad ea commemoranda, quae Babylone tum temporis mirabiliter inprimis facta sint, et quomodo evaserit praedictum a Daniel propheta de hebdomadibus illud illustrissimum. Quibus expositis, redit oratio, unde digressa erat.

[4]) Hinc plurimos nominat et poetas et philosophus et vates. Deinde ad pradicendi facultatem deflectit haud raro occurrentem, quae tamen apud gentes vel observatione nititur vel daemoniorum incitatione; apud Hebraeos autem dei virtute et inspiratione.

[5]) Jam multorum, quorum nomina partim indicat, tacet partim, divisiones tem-

Quodsi Hebraeorum scripta ante Graecos philosophantes confecta erant, poterant quidem Graeci ab ipsis veritatem, quam habent, mutuari. At vero Hebraicae linguae non erant periti. Id quidem concedo. Sed Ptolemaei tempore, filii Lagi, vel, ut nonnulli volunt, eius, qui Philadelphi cognomine utebatur, et legum et prophetarum libros Graece redditos esse notissimum habemus. Scimus etiam, quam accurate id praestiterint septuaginta interpretes, quum singula vertendo, tum cuncta comparando, quanta diligentia. Neque hoc sine summa dei providentia factum, neque etiam sine divina inspiratione. Itaque Hebraica prophetia quodammodo Graeca evasit. Quin imo antiquiorem fuisse interpretationem scribit Aristobulus in libro I ad Philometorem, unde et Plato et Pythagoras multa dogmata sumpserint. Atque Numenius Pythagoreus aperte: „Quid enim, inquit, est Plato, nisi Moyses Atticissans?"[1])

Moysem autem, mirabili vitae eius cognita historia, prophetam invenies, legislatorem, aciei instruendae gnarum, ducem, politicum, philosophum. De propheta erit dicendum postea. Cetera vero praeter philosophiam pertinent ad artem regiam, cuius una species est divina et rationi conveniens; altera nititur sola potentia; tertia, quae victoriam propter semetipsam quaerens dominatione gaudet; quarta, omnium pessima, ut libidinibus quam maxime possit servire, finem sibi proponit. Sed ut ad veram regiam artem revertar: prudentia res creatas ordinat, divinas sapientia, humanas politica, regnandi scientia cunctas. Itaque rex est, qui imperat secundum leges, imperandi scientia volentibus praeditus, qualis est Dominus, qui in ipsum, per ipsum credentes admittit. Omnia enim tradidit Deus, omnia Christo subiecit regi nostro, „ut in nomine Jesu omne genu flectatur." Jam vero ars imperatoria, quibus ex rebus constet, a Moyse accurate exposita est, a quo Graeci hanc doctrinam acceperunt, quod ut exemplo probem: Moysis expeditiones e regione deserta factas Miltiades Marathonia pugna imitatus est. Quinetiam Thrasybulo ex Phyla exules reducenti columna ignea dux fuisse narratur[2]).

Jam vero a Moyse legislatore Plato in legibus ferendis adiutus, uno quodam, quo omnia diiudicentur, principio opus esse agnovit.

---

porum ac definitiones mira eruditione exponit, nonnunquam interrumpens enumerationem, ut e. c. de variis linguae dialectis, cuius etiam bruta animalia quodammodo sint participia, disserat, vel de die Domini nostri natali, baptismi, passionis.

[1]) p. 409—411. Hic Moysis vitam interiicit, Philonem potissimum secutus. p. 411—416.

[2]) p. 416—419.

Hoc aûtem in deo esse positum. Praeterea singula quoque mutuatus est, inprimis, quae ad legis naturam, quam ille optime exposuit, pertinent. Moyses enim ut qui a Logo benigno gubernaretur, ipsa lex erat animata. Itaque politiam subministravit bonam, (quae est honesta hominum educatio in societate), bonam autem eam et singulis partibus et tota harmonia. Et in hac quidem politia idem et legislator et pastor apparet, qui homines ad virtutem deducturus, finem habet ipsorum beatitudinem. Quamobrem is tantum vere legislator esse potest, qui a spiritu S. regitur. Hic enim solus non modo pollicetur bona et honesta, sed novit etiam et exponit. Primus autem leges divinas exponens qui etiam Patris sinum exponit, filius huius unigenitus evadit. Legum igitur et latio et expositio divinitus communicata. Sed Graeci quoque legumlatores suos Minoem, Lycurgum, Zaleucum, a diis doctos fuisse tradunt; id quidem Moyseïae prophetiae exemplo faciunt, sed ingrati, exemplar archetypum haud sponte confitentes[1]). Nec vero in Lege a deo per Moysem supplicia inesse mirere, quasi haec non essent divinae causae. Nam suppliciis et beneficiis adiuvantibus nititur educatio. Moyseïa denique philosophia in quattuor dividitur partes: unam historicam, alteram legalem propria ac principali significatione vocatam, (quae pertinent ad morum doctrinam), tertiam sacrificia complectentem, (quae ad physicam rationem spectat), quartam theologicam, quae est ἐποπτεία illa, quam Plato magnorum vere mysteriorum inspectionem, Aristoteles autem Μετὰ τὰ φυσικὰ appellat. Quinetiam in Politico a Platone etiam dialectica nuncupatur, nec vero ea, quae in rebus versatur sophisticis, sed quae est essentiarum inveniendarum scientia quaedam, a viro honesto eam ob causam acquirenda, ut pro viribus possit et dicere et facere, quae sunt deo gratissima. Jam quum vera dialectica sit philosophia veritate permixta, res considerans, examinans virtutes et potestates, paullatim transcendit ad essentiam omnium praestantissimam. Conatur enim ultra progredi ad huius rerum universitatis deum, non mortalium peritiam, sed divinarum coelestiumque scientiam profitens, quam etiam in rebus humanis, quum in dicendis, tum in agendis consequitur proprius usus. Dialectica ad essentias ut essentias accedit. Neque id quidem sine Servatore, qui caliginem oculis offusam dispulit, ut per ipsum et nos et deum Patrem rectissime cognoscamus. Nam ad perfectam cognitionem revelatio requiritur supernaturalis, quam factam esse scimus. Inde tamen non omnes omnia intelligunt;

[1]) p. 419—422. Sequitur suppliciorum, quae sunt in legibus, defensio.

sed alius lacte alitur, cibo alius. Scripturas autem penitus cognoscere virorum est, non puerorum. Itaque, quam maxime fieri poterit, dialectice ad ipsas erit accedendum consequentiam divinae doctrinae venantibus.

Attamen Graeci, Platone ipso fatente, semper sunt pueri, pueriles scctantes fabulas, antiquiora autem, i. e. nostra, ignorantes. Hic ergo sunt, quos visionibus egere Hermae dicitur. Potestas enim illa, quae cum Herma loquitur: „Visiones, inquit, et revelationes propter eos, qui sunt duplici corde, qui disputant in cordibus suis, utrum sint ea, nec ne."

Unum addam „Lucerna est praeceptum bonum, lex autem est lumen vitae." Atqui „lex regina est, ait Pindar, omnium mortalium et immortalium." Quid ergo? Equidem per ea, quae lex continet, cum, qui ipsam tulit, audio. Quamvis enim duae leges sint, una naturalis, divinitus revclata altcra, utriusque tamen unus auctor deus, qui certe a Petro in Praedicatione lex vocatur et Logos. Sed primus Gnosticorum secundum veram philosophiam commentariorum Stromateus hactenus[1]). —

§ 7.
De libri II argumento.

Deinceps autem, quaenam Graeci furati sint, ostendendum. Et demonstrabimus quidem, non solum miraculorum nostrorum imita-

[1]) p. 424—427. Qui posteriorem huius libri partem legerit, hic non poterit, quin vehementer miretur, quanta eum eruditione, quantoque litterarum euiusque generis thesauro Clemens Graecam philosophiam ex Hebraicis scriptis, quidquid veritatis habeat, plurimum esse furatam, demonstrare studuerit. At vero magis mirabitur, si hoc Clementis studium ab homine satis erudito, Guil. Muenschero negatum esse viderit. Is enim in tertio dogmatum historiae volumine p. 227 haec non sine confidentia contendit, ut ipse tuis ipsius oculis minime confidas: „Schon in der vorigen Periode war die Vorstellung herrschend geworden, dass die griechischen Philosophen ihre besten Ideen aus den juedischen Religionsschriften geschoepft haetten. Dieselbe Vorstellung wurde nicht nur jetzt (ab anno 320 ad a. 604) wiederholt, sondern Cyrillus von Alexandrien machte auch den Versuch, **Beweise fuer sie zu fuehren,** da man sie vorher blos unbewiesen hingeworfen hatte." Quae si latine ad verbum reddiderimus, ita fere se habebunt. „Superiore iam aetate opinio erat vulgata, Graecos philosophos optima placita sua ex S. S. Hebraeorum scriptis hausisse. Eadem autem opinio tunc (ab anno 320—604) non solum repetita est, sed Cyrillus Alexandrinus etiam **probare eam,** quam antea sine probatione **fecerant** tantum, conatus est." Quid ergo? num Clemens nihil probans iecit tantum hanc opinionem? Nonne potius Cyrillus argumenta sua e Clementis Stromatis mutuatus est, cuius ipse eruditionem in hoc opere depositam saepius effert summis laudibus? Aut non legit Muenscherus, clarissimus in dogmatis historicus, Clementem, aut eorum, quae legit, prorsus oblitus est. Cf. Strom. l. II.

tionem apud ipsos inveniri, sed etiam dogmata eorum maxime principalia, quae ad fidem, sapientiam, cognitionem, scientiam, spem, caritatem, poenitentiam, continentiam, quin etiam dei timorem, universumque omnino veritatis virtutum examen pertinent, surrepta ab ipsis et adulterata esse; deinde, quomodo hoc totum barbarae philosophiae genus aemulati sint. Tum vero de eis, in quibus a Graecis vituperamur, ita erit agendum, ut divinis litteris passim utamur, ecquid Judaeus haec audiens, ex eis, quae credit, possit sensim converti ad eum, in quem nondum credit. Sed quum benedicere didicerimus, qui nos exsecrantur, dum amica nostra est reprehensio, etiam philosophorum ingenuos excipiet, quibus, eis, quorum fures sunt, apertis propriisque refutatis, nimium sui amorem detrahemus. Denique, quam sit ille disciplinarum orbis, de quo maxime gloriantur, inutilis, exponemus. „Qui autem libere reprehendit, est pacificus.“ Ceterum, ut solemus, simplici et aperto utemur sermone, veritatemque passim dispergere, ut, qui legerit, minime supersedeat labore, pergemus [1]).

Iam igitur propter tuam, aiunt Proverbia, ne efferaris sapientiam: „in omnibus autem viis agnosce ipsam, ut recto tramite dirigat vias tuas; pes autem tuus ne offendat.“ Quibus ostendit S. Scriptura, oportere opera rationi esse convenientia, vel cognitioni verae respondere actionem. Qui ergo deum cognoverit, voluntatem eius debebit exsequi. Sed Sapientia sive barbara nostra philosophia, cognitionem praebet duplicem: unam ad ea pertinentem, quae sub sensus cadunt, altera omnia, quae sola mente comprehendi possunt, complectitur. Ipsa autem usque ad huius rerum universitatis principem penetrat, quamvis sit ad apprehendendum difficilis. Namque in hac deus, quum ipse procul sit, accedit quam proxime, qui „deus, inquit, appropinquans ego.“ Essentia procul, proxime est potestate. Quamobrem Moyses: „Ostende te, inquit, mihi.“ Atque in caliginem, ubi dei erat vox, ingredi cogitur, i. e. ad arcanas et ignotas de essentia eius notiones. Caligine enim, quum deus et loco et tempore vacet, minime lucus significatur. Quodsi coelum thronus eius dicitur, ne sic quidem, cum throno quodam contineri concedimus, sed acquievisse iudicamus ipsum perfecta operis coronide delectatum. Atqui ipsa veritate occulta, quid agamus? Haud dubie communicatam divinitus veritatem libenter discemus, accipientes ab eis, qui quum sint repleti spiritu sancto, non mentiuntur. Sed ut, quae sunt vera, ea possideamus mente, cordibus opus est ad credendum paratis. Nam qui sunt invidiosi, perturba-

[1]) p. 428—430.

tionibus fidei contrariis, veritatis inquisitionem fugientes, fontem aquae vivae ac purae turbare solent. „Nisi enim credideritis, non intelligetis.“ Quid autem credere, quid fides? Fides est acceptio voluntaria, assensio propter dei venerationem, „rerum, quae sperantur, substantia, argumentum earum, quae non videntur.“ „Sine fide autem impossibile est deo placere.“ Itaque qui divinis scripturis firmo credit iudicio, is eius qui scripturas donavit, i. e. dei vocem accipit tanquam demonstrationem, cui nequit contradici. Quamobrem neque demonstratione, (quae ex rei evidentia argumentatur), fides fit firmior. Quid ergo? Num igitur fides, quasi Sirenum cantu, sine ulla demonstratione et opera nostra nascitur? [1]).

Basilidis quidem sectatores putant fidem esse naturae donum, ab omni demonstratione semotum, sola comprehensum mente. Quodsi verum esset, tolleretur tam culpa quam meritum, quum naturae eiusdemque necessitati et laus tribuenda esset et vituperatio. Appetitus necessarius vel fidei vel huius recusationis causa esset, minime vero libera electio, in qua sola culpa vertitur et meritum. Sed ubi porro esset eius, qui aliquando non credidisset, poenitentia, qua fit, ut peccata remittantur? Nec baptisma erit rationi conveniens, nec beatum sigillum, nec filius, nec Pater: sed deus, credo, erit illis naturarum distributio illa, quae fidem, salutis fundamentum, voluntariam non habet. At vero nos, ut qui liberam deligendi fugiendique potestatem hominibus a Domino esse datam ex S. S. Scripturis acceperimus, constantissimo iudicio, fide, spiritum ostendentes promptum, acquiescamus, ut vitam eligamus, Logo credentes, qui ipsa est veritas. Sine libero igitur nostro arbitrio fides nasci nequit. Sed quid praeterea requiritur? Subiiciuntur hic quattuor examini: sensus, mens, scientia, opinio. Et sensus quidem gradus est necessarius ad scientiam, adiuvante tamen mente. Nam et mentis comprehensio et sensus perceptio habet propriam evidentiam. Ex eis autem, quae sunt evidentia, demonstratione acquiritur scientia, quae quidem, si ad coelestia pertinet, novum postulat oculum, novam aurem, novum cor, id quod Logas indicat his verbis: „ecce facio nova, quae oculus (vetus, ut esse solet) non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.“ Jam vero scientiam, modo voluerimus, fides sequitur. Est enim, ait Aristoteles, fides illud, quod scientiam consequitur, iudicium, quo aliquid verum esse iudicamus. Itaque fides scientia praestantior evadit ipsiusque κριτήριον. Opinio autem fidei tantum imitatrix

---

[1]) p. 430—433.

est. Quinetiam Epicurus fidem mentis esse perceptionem quandam exsistimat, quam animadversionem definit ad id, quod est evidens. Perceptio autem illa auditus similis est, ut fides in eo constet, quod mens dicta percipiat sive intelligat, rei autem intellectae persuasionem adipiscatur. Quodsi nihil sine perceptione disci potest, nihil ullo modo etiam sine fide. Recte ergo Propheta: „Nisi credideritis, inquit, non intelligetis," id quod quum Heraclitus Ephesius sensisse videtur, tum Plato multis locis indicat[1]).

Sed haec, quae de fide diximus, item quae de sapientia a Platone, atque inprimis a Stoicis disputata sunt, a Moyse, magno illo, ad Graecos pervenerunt. Et ea quidem, quae Stoici sapienti tribuere solent, aperte sapientis esse docet hisce: „quoniam misertus est mei deus, mihi sunt omnia." Hunc etiam deo esse amicum significat, dum „Deus, inquit, Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob," imo unus ex his diserte vocatur amicus. Atqui a Graecis, deum eum Moyse tanquam cum amico locutum esse audientibus, Minos ut Jovis familiaris celebratur. Fuit autem Moyses sapiens, rex, legislator. Iam vero Servator noster superat omnem humanam naturam. Tam quidem pulcher est, ut solus a nobis, pulchrum verum desiderantibus, ametur. Fuit enim lumen verum. Rex a pueris imperitis, a Judaeis ignorantibus neque credentibus appellatus, praedicatus a prophetis. Tantas habuit divitias ut totam terram cum auro et gloria a Diabolo oblatam despiceret. Solus etiam summus pontifex, solus dei cultus tenens scientiam. Rex pacis, Melchisedech, omnium vel maxime idoneus, qui dux sit generis humani. Legislator, ut qui legem dederit in ore prophetarum. Sed quis eo nobilior, qui solum patrem habet deum? Atqui easdem virtutes etiam Plato sapienti suo impertitur. Hunc divitem esse vult, idque eo sensu, quo S. Scriptura divitias intelligit. Idem vero hospitem illum Atheniensem facit sapientem pulchrum appellantem. Regem denique sapientem in Politico nuncupat. Sed revertamur ad disputationem, quam de fide institueramus[2]).

Fidem autem ubique esse necessariam Platoni quoque persuasum est. Fides summa virtus est, qua opus est domi militiaeque, in omnibus temporibus, quippe quae contineat ceteras cunctas. Quod autem fidem demonstratione ex rei evidentia nulla egere ostendimus, hoc non impedit, quominus Pythagoreorum illud: ipse dixit! absurdum esse agnoscamus. Contra autem a deo, fide digno

---

[1]) p. 433—439.
[2]) p. 439—440.

magistro, solo servatore nostro eorum, quae dicit, probationes petere, est absurdissimum. Audiisse deum loquentem, satis est. Quis vero audiet? „Mens, ait Epicharmus, videt, mens audit.“ Quare Heraclitus nonnullos vituperans, quod non credant: „Audire inquit nescientes, nec dicere,“ adiutus utique a Salomone dicente: „Si dilexeris audire, suscipies; et si inclinaveris aurem tuam, eris sapiens.“ Sed fides etiam secundum Apostolum ex auditu; auditus ex praedicatione; praedicatio ex missione, missio a Domino dei filio, ut fides dei verbo nitatur. Nondum autem verbum Domini demonstrationem esse intelligimus. Quid ergo? Num homo fidem nanciscetur nihil agendo? Ad sphaerae lusum et qui mittit sphaeram recte requiritur, et qui recte excipit; bonum semen terram postulat fertilem suscipientem: sic ad doctrinam divinitus missam fides ut ars quaedam optime excipiens accedat oportet, quae quasi e cognatione inter verbum dei et nostram mentem intercedente proficiscitur. Ut autem libero arbitrio ad fidem eligendam uti possimus, ex ignorantia eripiamur necesse est. Quamobrem Logos vocat omnes, quamvis multos non esse venturos sciat ante, ne quis ignorantiam excusationis causam habeat. Postulat enim a nemine, nisi quod praestare possit[1]).

Iam vero, ut hic paullo divertamus, sunt, qui quum velint, tum possint, sunt, qui velint tantum. Sed velle mentis actio est, quare dum iudicabimur, non externo solum factorum eventu metietur deus meritum et culpam, sed etiam voluntatis electione. Et in prave quidem factis vel quae secuta fuerit voluntatis affectio ponderabitur, sit ne poenitentia. Nam si quis aliquid ignorans peccaverit, postea, re cognita, poenitentia afficietur, ut haec appellari possit tarda cognitio, impeccantia (verbo venia) autem cognitio principalis[2]). Sed ut alicuius peccati nos poeniteat, non solum cognoscere peccatum, verum etiam credere opus est. Poenitentia ergo fidei quoque virtus. Similiter autem spes consistit in fide. Sperari enim quidquam sine fide, quomodo possit? Spes enim boni acquirendi exspectatio, quae necessario nititur fide. Ipsa autem fides satis firmo, ut hoc iterum dicamus utitur fundamento. Neque enim credere est opinari; libera enim, demonstratione antegressa,

[1]) p. 440—443.

[2]) Perverse haec interpungunt, quia minus recte intelligunt et Potter et Interpres ita: *βραδεῖα γὰρ γνῶσις, μετάνοια· γνῶσις δὲς ἡ πρώτη ἀναμαρτησία.* Sic interpungendum: *γνῶσις δὲ πρώτη, ἀναμαρτησία*; quod oppositum illud: *βραδεῖα γνῶσις* non minus postulat, quam hoc, quod illinc *γνώσεως* definitio sequeretur, quae Clementinae haud facile responderet.

assensio [1]) minime est opinio, sed alicui firmo assensio ac potenti. Quis autem deo potentior? Sed „infidelitas" opinio est imbecilla, qua id, quod deo oppositum est, verum esse opinantur. Credimus autem ei, cui fidimus ad gloriam divinam salutemque, soli deo, quem nunquam mentiri scimus, qui etiam, ipse nullius rei indigens, summam erga nos, propter nos, habet benevolentiam. Quare ex fide nostra nosmetipsi, quamvis olim gentes, fructus percipiemus eosdem, quos Abraham percepit, cuius nunc semen sumus. Nam et veteris Test. et N. idem auctor deus.

Quae quum ita sint, Graeci immerito fidem tamquam commentum humanum reprehendunt. Namque sive caritate fundamento utitur, sive, ut accusatores dicunt, timore: fidem esse divinum quoddam affirmo. Caritas certe fide facit fideles; fides autem caritatis stabilitas. Fides porro prima ad salutem inclinatio nobis videtur, quam sequitur timor, spes, poenitentia, quae cum continentia et tolerantia proficientes nos ducunt ad caritatem atque ad cognitionem. Fides ergo gnostico non magis necessaria, quam ei, qui in hoc mundo vivit, ad vivendum respiratio [2]).

Atque timorem, ut primum de hoc disseramus, qui accusant, Legem insectantur, cum Lege autem legislatorem, Deum, cum deo omnem veritatem. Nec vero noster quidem timor perturbatio est, sed poenas peccati propter correctionem a nobis iuste repetendas timemus; non repugnans igitur rationi declinatio est, sed conveniens, quam c a u t i o n e m appellaveris. Sunt autem, qui libenter de nominibus pugnent. Quinimo cautio illa, vel Legis timor, initium est sapientiae, neque unquam sine lege sapiens. Iam vero videamus quaenam lex timenda proponat. Si sint egestas, morbus, ignominia, alia id genus: haec pleraeque civitatum leges, dum timenda proponunt, ideo laudantur. Verumenimvero omnia nos fugere iubet lex revera mala, perturbationes, peccata scelera, et quae hinc sequitur, mortem animi. Bona ergo lex. Nam quod Apostolus per

---

[1]) *ἑκούσιος προαποδείξεως συγκατάθεσις.* Sylburg. et Lowthius volunt: *πρὸ ἀποδείξεως,* quod mihi duplici ex causa non placet. Et prior quidem causa est, quod illud *ἰσχυρῷ* flagitat demonstrationem, qua imbecilla opinio tollatur, quae est sine demonstratione *ἀποφαντική.* (Sic enim legendum pro: *ἀποφατικὴ,* quod sensum habet absurdum, ut quod dei oppositionem imbecilla opinione negari indicet!) Deinde autem illud, quod sequitur: *πίστις .... πρόληψις εὐγνώμονος προκαταλήψεως* respondet priori *ἑκούσιος προαποδείξεως συγκατάθεσις.* At qui *πρὸ καταλήψεως* legendum esse nemo considerate contendet. Ergo ne *προαποδείξεως* quidem ad libidinem erit mutandum. —

[2]) p. 443—446.

legem peccati esse cognitionem dicit, id non significat: lex fecit peccata, sed facta ostendit. Mala fugi, eligi bona vult: nonne ergo ipsa bona? Lex Paedagogus ad Christum, non potest non castigare. Castigati enim ad Sapientiam, cuius initium timor dei, pervenimus. De qua sententia quae Basilidis sectatores et Valentinus somniaverunt, ea postea, uno tantum principio agnito, somnia esse apparebit. Nihil sane indicat Scriptura verbis illis, nisi hoc: quos lex non expugnat ratione, eos timore mansuefacit. Sed haeretici isti illud „initium sapientiae" ad deum principem suum referunt, qui Spiritus verbum quum audierit, obstupefactus genera diiudicare, discernere, perficere, restituere inceperit. Atqui obstupescit, qui antea ignoravit. Ergo deus ille initio ignorans, et ignorantia prima totius mundi creationis, restitutionis, electionis causa. Quodsi deus ille honesta ignoravit antea, quid facere cessat? si mala, quomodo malum rerum optimarum causa? Plurima autem hi defendunt repugnantia, quibus una cum Marcionis discipulis minime audientibus S. Scriptura frustra requiem et pacem offerens promittit. Sed Legem, iustitiam a bonitate separantes, iustam, haud tamen bonam esse volunt. At vero Dominus non malum malo liberat, sed contrarium contrario, bono ergo malum. Quodsi timor mala pellit, bonus timor[1]). Etsi enim timor perturbatio esse potest, tamen non omnis timor perturbatio. Sic timor a daemonibus perturbatio, timor autem Dei, τοῦ ἀπαθοῦς, neminem perturbat. Timemus enim non a deo, sed ne a deo deficiamus, neve in mala incidamus. At vero qui ne cadat, timet, is manifesto se sine perturbatione fore voluerit. Nam in timore Domini spes fortitudinis[2]).

Eiusmodi autem timor deducit et ad poenitentiam et ad spem, de qua nunc est agendum. Spes igitur est bonorum exspectatio, quae ad caritatem perducit. Caritas autem est consensio in mente, vita, moribus, sive, ut brevi dicam, vitae communio. Et haec quidem, amicitia perseverante ac tenera pietate, eo proficiscitur, ut unus in altero alterum habeat „ego." Quamobrem fratres appellamus eos, qui eodem verbo sunt regenerati. Caritati vero aliae rursus virtutes multae subiiciuntur: hospitalitas, humanitas, benevolentia, ut per consensionem, quae nititur communium bonorum scientia, fiat hominum ταυτότης quaedam. Obedientia autem, quam

---

[1]) Haud dubie hic loci sensus, quem corruptum esse in promptu habebis. Optima autem coniectura Potteri est, qua pro ἀρχὴν scribatur ἀργήν, i. e. expertem. Nam Clemens suis verbis Scripturae locum modo citatum (Prov. I. 33) repetit.

[2]) p. 446—450.

Legi et Evangelio, legis perfectioni, praestamus, haec omnia efficiet. Sed haec de virtutum consensu atque conspiratione hactenus. Principium omnium enim fides, ἡ γνῶσις finis et corona. Verumenimvero de cognitione nobis loquentibus, solum deum natura sua esse sapientem, animadvertendum est: nos quidem veritatis cognoscendae amore tantum teneri, ut qui simus philosophi [1]).

His igitur tribus adhaerescit philosophus noster: theoriae, mandatorum exsecutioni, virorum bonorum institutioni. Quae quum convenerint, virum Gnosticum perficient; sin quid defuerit, τῆς γνώσεως munera claudicabunt. Haec tria etiam Dominus per Moysem ab Israelitis postulat.

Sed est etiam falsa gnosis eorum, qui se sapientes esse opinantur, quorum „scientia inflat." Vera autem gnosis non opinionem gignit inflantem, sed fidem. Est enim demonstratio eorum, quae in vera philosophia traduntur, scientiam parens, vel raciocinatio dubiis ex certis fidem praebens. Fides vero, quum duplex sit, una, quae scientia, altera, quae opinione nititur, gnosis item et eadem ratione erit duplex. Et nostra quidem, utpote quae ex divinis suppeditetur scripturis atque ex sapientia docta a Deo, sola fuerit vera demonstratio, unde fides nascatur, quae sit potentia quaedam Dei, vis veritatis, cui Dominus miraculorum facultatem tribuit. At vero altera demonstratio, quae opinionem tantum gignit, humana est, in argumentis consistens rhetoricis atque dialecticis syllogismis.

Sed superior illa, quum ex veris concludat — ex divinis scilicet atque propheticis, — gnosis recte a nobis appelletur, ut quae gignat fidem. Gnosis autem summa hominis vi, i. e. mente sive cogitatione acquiritur. Quemadmodum autem per singulas huius mundi partes transgressi ad dei cognitionem, creatura agnita, Creatorem desiderantes pervenimus: sic a sensu per notionem ad cogitationem, qua assequimur fidem, ascendat Gnosticus; in hac acquiescat. In fide consistit, dum ille, qui se sapientem opinatur (οἰησίσοφος), ne attingit quidem veritatem, inconstantibus et instabilibus commotus appetitionibus. Semper ergo fluctuat. Quemadmodum enim cum gnostico cognationem habet tranquillitas, quies, pax: ita cum falso transitio, declinatio, defectio [2]).

Quum autem tempus duplex sit, praeteritum et futurum, fides etiam partim praeterita reapse facta esse, futura factum iri persua-

---

[1]) p. 450—453.
[2]) p. 453—457.

sum habet. Itaque duas virtutes, memoriam et spem complectitur fides. In omnibus autem gnostico caritas evenit, ut qui noverit unum deum. Caritatis vero initium timor, qui per incrementum fides fit, deinde caritas. Nec tamen ut feram timens odi, ita patrem vereor, quem potius timens amo. Et fides quidem virtus est ad salutem, potentia ad vitam aeternam. Sed qualem cognitionem postulet fides, videndum. Eorum igitur, quae praedicta sunt, cognitio tripliccm ostendit eventum, praeteritum, praesentem, futurum. Extrema cadunt sub fidem vel ut perfecta vel ut sperata, quae tamen accipiunt persuasionem praesenti ἐνεργείᾳ. Nam si, quum una sit prophetia, eius aliquid modo perficitur, aliquid autem iam impletum est: hinc certe credibile fit et id, quod adhuc speratur, et id, quod praeteriit. Sin autem praeteritis ut factis, vel speratis ut futuris assentimur, fidem, quae in libera assensione cernitur, habemus. Atque fidem etiam Pastor laudibus effert, quae ecclesiam contineat omniumque virtutum mater sit.

Sed fidem inprimis sequantur bona opera. Reliquisse enim idola, nisi peccatis quoque resputis, haud fuerit satis. Nihil porro perversius, quam continuae poenitentiae sese identidem excipientes. In multis enim poenitentiis verae poenitentiae similitudo conspicitur ac species. Quidquid autem delegerimus, sive peccatum, sive virtutem, id, quum utrumque sit in nostra positum potestate, veniet in iudicium [1]).

Quod vero non est voluntarium, id ne iudicatur quidem. Hoc enim partim fit ignorantia, quae pro obiecto multiplex esse potest, partim necessitate. Deus autem iudicaturus ad animi motus respicit. Voluntarium autem vel appetitione nititur, vel electione, vel sententia, quibus respondent: peccatum, infortunium, iniuria. Et infortunium quidem mentis est peccatum praeter rationem, fit enim, quod non fuit electum; peccatum est iniustitia voluntaria; iniustitia malitia voluntaria. Infortunium ergo solum non est voluntarium. Ubicunque autem in s. s. scripturis de peccatis sermo est, nihil, quod non ex libera electione proficiscitur, unquam in culpam vertitur. Unus enim Deus bonus, qui et retribuit pro meritis, et peccata ignoscit. Sed discrimen inter peccata sacra etiam scriptura docet. At vero cuiuscunque peccati si quem poenitet, Pater, qui in coelis est, gaudet, quamquam semper in via Domini ambulasse, sicut Abrah., pulchrius est. Quamobrem hinc hauriens sapiens quidam ex Graecis sententiam illam protulit:

---

[1]) p. 457—461.

„Sequere Deum!“ Quos autem poenituit peccatorum, velut Henoch, his deus veniam largitur, quae quidem non tam in remissione consistit, quam in medicina. Unde quis ex Graecis sapientibus dixit: „Venia est melior supplicio.“ — Multas enim Graeci sapientes sententias gravissimas ex sacr. Scripturis mutuati sunt. Velut illud: „Sponde, noxa praesto est;“ et alterum: „Nosce te ipsum.“ — Sed purgantur peccata, sive poenitentiae fructus continentur eleemosynis et fide; timore autem Domini quilibet declinat a malo [1]).

Hic autem surgunt accusatores, gaudium et timorem dicentes animi esse perturbationes. Nos ergo, credo, nunquam scripturas σαρκικῶς intelligere deique nullis omnino perturbationibus subiecti, voluntatem nostris affectionibus assimulare desinimus! At enimvero Deus, prout est in se, dici prorsus nequit. Sed quantum fieri potuerit, ut nos intelligamus, tantum, Domino salubriter se ad hominum imbecillitatem accommodante, prophetae nobis edixerunt. Quoniam igitur, ut et is servetur, qui paret praeceptis, isque, qui peccatorum suorum poenitentiam agit, dei voluntas est; nos autem propter nostram salutem gaudemus: hanc nostram laetitiam Dominus, qui locutus est per prophetas, ut propriam sibi attribuit, dicens etiam humane in Evangelio: „Esurivi, et dedistis mihi manducare; sitivi, et dedistis mihi bibere: quod enim uni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.“ Quemadmodum ergo se ali dicit deus, dum egens alitur, quamvis ipse minime altus: sic nihil mutatus gravisus esse creditur, quum is, quem peccatorum poenituerit, gaudio fuerit affectus.

Quoniam autem deus benignus abundanti est misericordia, ut qui praecepta dederit per Legem, per Prophetas, iamque propinquius per filii adventum, quomodo miseratione commoveatur, videndum est. Proprie igitur maiorem miseret minoris; at nullus homo, qua talis, homine maior; neque ergo proprie hominem ullum misericordem esse dicemus. Unusquisque enim, quidquid largitur, id habet a deo acceptum. Nec porro quisquam eadem atque deus, causa communicabit bona. Nam homines aut propter naturalem quandam benevolentiam atque habitum, aut praeceptis divinis obsecutus donant ipsis donata. At vero nemo deum habitu quodam naturali in nos esse misericordem asseverabit, nisi qui nos dei partem esse quandam dicere ausus fuerit, vel eiusdem cum eo essentiae. Sed neque deum cognovit neque hominem, qui rem tam ab-

---

[1]) p. 461—466.

surdam contendit. Quodsi — sed hoc dicere nefas — dei partes essemus, in partibus quibusdam deus peccaret. Verumenimvero, non quod partes eius essemus vel natura filii, sed quia misericordiae divitiarum plenus est deus, propter suam ipsius bonitatem, quamvis natura simus prorsus alieni, opus tamen ipsius voluntatis: nostri habet curam, imo, si non inviti cum exercitatione doctrinaque τὴν γνῶσιν elegerimus, ad adoptionem nos vocat. Sin quis suorum adstringitur peccatorum catenis: deus culpa vacat(ἀναίτιος). Quamquam autem filii adoptati tantum simus, tamen stabilitatem quandam aeternitatemque hic iam adipiscimur veri scientia. Sed imbecillitas nostra et inconstantia in agendo maxime cernitur. Neque enim omnia, quae voluerimus, efficere poterimus; alia nolumus quidem facere, non possumus alia. In quo Domini, qui, quidquid vult, etiam poterit, non sumus similes. „Nam nullus discipulus super magistrum.“ Attamen magistri similitudinem quandam habemus, ut qui, non essentia quidem, sed eo similes simus, quod facti simus sempiterni et ad essentiarum contemplationem admissi appellemur filii Patremque videamus ex eis solum, quae ei sunt coniuncta. Velle igitur superat omnia; nam rationis facultates voluntatis ministrae sunt. In gnostico autem voluntas, iudicium, exercitatio idem; haec enim congruunt inter se omnia. — Sed ceteras quoque virtutes omnes apud Moysem scriptas Graecis praebuisse totius loci moralis principium, fortitudinem dico, temperantiam, prudentiam, iustitiam, tolerantiam porro, patientiam, modestiam, continentiam, quaeque his praestat, pietatem, manifestum est. Hae autem Lege quidem continentur ac diserte praescribuntur, quarum testimonia colligere, quum universa eas laudibus efferat Scriptura, longum est. Rem vero ita sese habere, quum virtutes se excipiant invicem, altera alteram, necesse est. Quamobrem, qui sciens unam habet virtutem, mutuam per consequentiam possidet omnes. Quodsi de virtutibus modo memoratis egerimus, de omnibus certe disseruerimus. Continentia igitur ea est affectio, qua quis nihil eorum, quae rectae rationi consentanea visa fuerint, migrat; continens enim, qui appetitiones, quae sunt praeter rectam rationem, continet. Sit ergo fortis continentia oportet. Neque vero temperantia sine fortitudine, ut quae ex praeceptis oriatur deum secuta praecipientem; neque prudentia, neque iustitia, quae divinam dispositionem imitatur, qua continentes mundique ad pietatem agendique rationem deo convenientem, Domino, quoad mortalibus licuerit, assimulati, tendimus. Id autem est iustum fieri et sanctum cum prudentia. Deum enim, utpote

in quem nulla unquam cadat appetitio, continentem esse proprie dici nequit. Deus nullius rei indiget; ut quam paucissimis rebus egeamus, continentia efficere nostrum est. Ne igitur ullo modo effeminemur! Lex enim virilem esse vult eum, qui veritati operam dat, diem noctem, verbo, actione, in vita, in morte. Madianitarum quidem mulierum pulchritudine Hebraei bellum gerentes allecti, haud multum abfuit, quin, quum a Lege, a Deo vero, defecissent ad idola currentes, prorsus vincerentur; vix timor Domini nonnullos admonens e summo periculo eos eripuit. Sed Legis timor sine ulla perturbatione est, vitam largiens.

De largitione et communicatione, quum multa possint dici, hoc tantum animadvertamus, prohibere legem, quominus fratri, i. e. eiusdem Legi participi, feneremur. Nam sine usuris egentibus plena manu gratificandum. Unus enim usuras percipere debet, solus deus, eiusmodi gratificationis conditor et largitor, qui etiam dignas usuras postulat res in hominibus pretiosissimas: mansuetudinem, benignitatem, magnificentiam, bonam exsistimationem, laudem. Communicari autem eum pauperibus Lex ubique iubet, Dei iustitiam nuncians et bonitatem, qui omnibus alimenta suppeditat abunde. Legas respicio singulas de messe, de uvis excidentibus, de anno septimo, de anno quinquagesimo. Recordere etiam proverbiorum: „Eleemosynae autem et fides custodiae regiae; benedictio in caput eius, qui elargitur; qui miseretur mendicorum, beabitur.“ Idque quoniam caritatem ostendit in sui similem, propter in opificem humani generis caritatem. In largitione autem inimicitiarum nulla sit memoria. Quid vero? Nonne advenas a nobis diligi iubet Dominus, nec solum tanquam amicos et cognatos, sed sicut nosmetipsos, et animo et corpore? Imo hostes, quamvis stantes in moenibus, urbem capere conaturos, tamen nisi legatis ad eos frustra de pace missis hostes ne exsistimemus. Inimicorum autem calamitatibus gaudere nos non solum vetant leges, sed volunt etiam, ut eos adiuvemus et opere et precibus. Quodsi illi bene habent, nobis gratulandum. Iniuriae enim oblivionem sequitur honestas, honestatem inimicitiarum dissolutio; concordia vero quasi manu deducit ad beatitudinem. „Misereminì, ait Dominus, ut misericordiam consequamini;“ remittite, ut remittatur vobis; sicut facitis, fiet ita vobis; ut datis, ita vobis dabitur; ut iudicatis, ita iudicabimini, ut benigni estis, ita vobiscum agetur benigne: „qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.“ Jam quum summam Lex doceat mansuetudinem, quae vel bestiis ut benevolentiam quandam praestemus, hortatur, hanc, qua fuit in ani-

mantes etiam rationis expertes, Pythagoras ab ipsa accepisse videtur. At vero, dum Lex nostra ne bestiarum quidem fetus ante diem septimum a matribus, hae ne nimis lugeant, separari prohibet, Graeci, qui Legem insectantur, proprios exponunt liberos. Lex autem ideo usque ad bruta animantia extendit benignitatem, ut quum hanc in ea, quae sunt dissimilis generis exercuerimus, abundantia humanitatis utamur in eos, qui sunt eiusdem generis. Quin etiam tanta Logi clementia est, ut etiam mites de arboribus non excindendis, de spicis ante messem non tondendis, de aliisque eiusmodi, leges dederit.

Sed quum omnia bona donaque a deo suppeditentur, nos autem ministri divinae gratiae simus facti, dei benificiorum sementem faciamus oportet, proximos reddamus honestos atque bonos, ut quam maxime temperans continentes, fortis generosos, intelligentes prudens, iustus iustos perficiat[1]).

Huiusmodi autem est is, quem Gnosticum, i. e. cognitione excelsiore quadam praeditum vocamus, qui quum sit ad imaginem dei atque ad similitudinem, deum, quoad eius fieri potest, imitatur continens, sustinens, iuste vivens, imperans animi perturbationibus, communicans eorum, quae habet, pro viribus benefaciens et verbo et opere. Et beneficia quidem conferenda sunt ut prius accepta a deo. Nam quidquid fit superbe, quamvis ceterum iuste, dei iram provocat. A superbia avertendum est atque ab omnibus vitiis, e discrepantia transeundum in harmoniam his tribus: ore, corde, manu. Signa enim actionis manus, cor consilii, osque sermonis. De eis autem, quos poenitet, pulchre scriptum est: „Deum elegisti hodie, ut esset deus tuus: et Dominus elegit te hodie, ut esses eius populus. „Quod de populo dictum, valet id quoque ad singulos homines, quos conversos deus suos facit familiares. Nobilitas autem cuiusque in eo consistit, ut honestissima electa exerceat. Eligenda vero sola sapientia, quam qui habet, possidet omnia, ut in scripturis est: „Quoniam deus mei misertus est, sunt mihi omnia.“ Fit, ergo regni haeres, civis coelestis, quisquis invenietur honestus sive ex eis fuerit, qui in Lege fuerunt, sive qui ante Legem, quorum actiones sunt pro legibus. Sed etiam rex erit.

Quodsi Plato beatitudinis finem dei esse similitudinem dixit, sive cum Legis doctrina forte naturae bonitate quadam ductus consentiens, sive divinis quibusdam edoctus oraculis. Lex enim dei

---

[1]) p. 466—480.

virtutes imitandas proponit. Unde Stoici naturae, i. e. ex ipsorum sententia deo convenienter vivere finem esse statuerunt.

Est autem amicitiae genus triplex: praestantissimum, quod virtute conciliatur, philosophi est; alterum remuneratione nititur et est hominis hoc quidem; tertium consuetudine, quod animalis est. Quum hominis igitur alterum amicitiae genus sit, revera deum imitari dicitur ut homo benefaciens. Id tamen in hac re mirum est, quod ipse benefaciens beneficio afficitur; nam sicut gubernator, simul et servat et servatur[1]).

Nec vero beneficentia solum, sed etiam tolerantia ad divinam contendit similitudinem, ut quae patientia liberet a perturbationibus. Danielem quidem Babyloniorum rex deiecit in foveam ferarum plenam: hunc eduxit inviolatum universorum rex, fidelis Dominus. Quam tolerantiam gnosticus ut gnosticus possidebit. Quodsi tentabitur, ut Job, benedicet; si devoratus fuerit a ceto, ut Jonas, precabitur; si inclusus cum leonibus fuerit, feras mansuefaciet; si in ignem fuerit iniectus, recreabitur rore; noctu erit martyr, martyr interdiu; in sermone, in vita, in moribus erit martyr; cum Deo habitans tanquam familiaris, in Spiritu permanet et carne et corde purus. „Mundus, ait Script., ei crucifixus est et ipse mundo.“ Crucem igitur Servatoris circumferens sequitur singula Domini vestigia, quasi deus effectus, sanctorum sanctus. Quamobrem Lex etiam quam maxime hominem ad tolerantiam exercet, velut ad omnium virtutum fundamentum. Itaque animalibus, quae sunt natura pinguia, vesci nos vetat. Cuius rei similitudo in mysteriis reperitur. Quid autem ita indicatur, id, cupiditatis fomitem, voluptatem vere damnantes, plene perficiamus. Recte enim Antisthenes: „Cupido, inquit, naturae vitium est, cui succumbentes miseri, aegrotationem vocant deum.“ Xenophon porro voluptatem appellat malum, quod multo labore acquiritur. „Qui autem perdiderit animam suam, inquit Dominus, servabit eam;“ id e., qui eam vel exponit libenter periculis pro Domino, quemadmodum ipse se nostri causa exposuit, vel qui, spretis libidinibus se separat ab huius vitae consuetudine, vel qui libidines suas affigit cruci. Qua in re etiam mortis consistit meditatio. Sed tolerantia illa vere est virtus; nam vere viro, qui eam consequatur, opus est, qui admirabiliter atque sine confusione eis rebus sit usurus, e quibus appetitiones oriuntur, velut divitiis egestateque, gloria ignominiaque, sanitate morboque, vita morteque,

---

[1]) p. 480—484.

labore atque voluptate. Qui usus, quum ab initio multa imbecillitate male simus affecti, haud erit facilis. Est praeterea nobis luctatio cum Potestatibus spiritalibus, a quibus sunt, qui vincantur. Quotquot autem fortius certamen aggressi omni contentione decertant: hi quidem, Potestatibus illis in multo sudore atque cruore deficientibus victoresque admirantibus, ad coronam perveniunt. Jam quum homo non solum sicut bruta animalia rerum imagines possit effingere, (Begriffe bilden), verum etiam rationis sit particeps (Ideen-Vermögen): minime eodem modo impelli debet, atque animantia ratione carentia, sed discernat oportet vera bona ab eis, quae bonorum speciem tantum gerunt. Quod nisi fecerit: a Potestatibus illis inescatus servituti earum subiicitur, quarum quoque imaginem deinceps circumfert. Quamvis vero Spiritus mali homines inescare studeant voluptatum imaginibus proponendis: illa tamen Basilidis προσαρτήματα minime tuemur, ut animus plurimos habeat appendices spiritus quoad essentiam secum coalitos multarumque bestiarum, quin etiam plantarum naturas adnatas. Huiusmodi enim homo Durii, qui est in fabulis, equi similitudinem prae se ferret, ut qui in uno corpore tot diversorum spirituum exercitum habeat inclusum. Nec porro opinio illa, ut vel ipsius Basilidis filius Isidorus monet, cum hominis libero convenit arbitrio. Sed Valentinus de libidinibus similia docet, quae eo spectant, ut homo natura, non obedientiae conversione salutem consequatur. Quemadmodum enim exhalationes quum e terra, tum e paludibus ortae in caliginem nimbosque conglobantur: ita carnis quoque cupiditatum vapores malo animum afficiunt habitu, voluptatis imagines undique spargentes. Sed quomodo ipsi Diaboli operationes spiritusque immundos in peccatoris animum serere dicamus, Barnabas Apostolicus ille explicet. „Antequam, inquit, deo credidimus, nostra cordis habitatio mortalis erat et imbecilla, vere templum manu aedificatum, utpote plenum idolorum cultus, et, quum omnia deo contraria faceret, domus Daemonum.“ Opera ergo daemonibus convenientia in peccatore sunt, non ipsi Spiritus. Itaque Barnabas similiter dicit contra: „In nostra habitatione vere Deus; habitat; habitat enim quodammodo apud nos Verbum eius fidei, vocatio eius promissionis, sapientia iudiciorum, mandata doctrinae.“

Scio autem, esse haereticos, qui voluptatem voluptate vincendam esse dictitent, quod carne abuti vocant. Sed vir ille nobilis, quem se sequi dicunt, Nicolaus voluptatibus arcendis carnis appetitiones infirmentur oportere docuit; at vero illi bestiarum instar vivunt. Voluptas nunquam propter semetipsam quaerenda est, ut quae ad

usum necessarium accedit tanquam donum. Quodsi bibi posset, ut exemplo utar, sine ulla voluptate, nihilominus ad vitam conservandam esset bibendum. Sed Epicurus vel finem esse philosophi voluptatem opinatur, qui rem divinam esse affirmat, quum corpus bene constitutum sit, et sit exploratum ita futurum. Verum enimvero contra carnis appetitiones perpetuo repugnemus oportet, ut pacem libertatemque adipiscamur. Id quod etiam prudentiores ex philosophis et poetis docuerunt. Sunt quidem, quibus nostra doctrina hac de re nimis severa videatur: sed iniustis semper id, quod est aequum, ius esse videtur summum. Qui peccatum adamaverunt, veritatem habent molestiam, severitatem saevitiam, eum vero, qui non peccat neque cum ipsis trahitur una, immisericordem. Sed pulcherrima libertatis exemplaria nobis proposita sunt ad imitandum. Quotidie enim martyres ante oculos sunt, qui torrentur, torquentur, capite truncantur, omnes Legis metu, qui veluti Paedagogus eos ad Christum deduxit, exerciti. Hi vero sunt, qui merito dii appellantur, ut qui voluptate sint superiores, vincant perturbationes, sciantque eorum, quae faciant, unumquodque, mundo maiores, Gnostici: quemadmodum Apostolus: „in carne cum simus, inquit, non secundum carnem militamus.“ Quae igitur aliis maximi pretii esse videntur, his abstinemus libenter. Nam optimum dei donum est temperantia. Pie autem et caute accedere conantes excipiet nos benignum ac suave iugum Domini a fide in fidem[1]).

Epicurus autem et Cyrenaici finem esse dicunt iucunde vivere, perfectumque bonum voluptatem, quam ille etiam in doloris amotione ponit; idque esse expetendum, quod per semetipsum trahat ad seipsum. Hieronymus Peripateticus sine molestia vivere finem esse contendit. Epicurus autem virtutem propter voluptatem deligendam esse opinatus est. Sed Aristotelei finem esse putaverunt vivere secundum virtutem. Nec vero solam virtutem reddere beatum. Accedant oportere valetudinem, divitias, gloriam, libertatem. Et virtutem quidem, quae in perfecto consistat, haud gigni uno die. Quare non fuerit beatus puer. Tota potius hominis vita ad beatitudinem acquirendam opus esse. Zeno porro Stoicus finem similiter definivit. Cleanthes autem eum esse naturae convenienter vivere docuit. Similiter Antipater et Archedemus. Panaetius autem, naturae appetitionibus convenienter vivere finem esse statuit. Posidonius in eo finem inesse dixit, ut quis in nulla re ab ea animae

---

[1]) p. 484—495.

parte ducatur, quae rationis sit expers. Sed recentiorum Stoicorum, Peripateticorum, Epicureorum, veterumque Physicorum alii alium finem habuerunt[1]. Verumenimvero Plato εὐδαιμονίαν censuit in eo consistere ut bene habeamus Daemonem; et Daemonem quidem vocavit principalem hominis partem. Εὐδαιμονίαν autem, sive beatitudinem perfectissimum esse bonum atque plenissimum. Nonnunquam etiam eam vitam appellat sibi consentientem et convenientem, vel id, quod ex virtute sit perfectissimum et positum in boni scientia atque in ea, quae sit cum Deo, similitudine, hac quidem efficiente, ut quis iustus sit sanctusque cum prudentia. Nonne vero ex nostris nonnulli ita intelligunt, hominem ad imaginem quidem statim esse creatum, similitudinem autem ut perfectionem postea accepturum? Jam vero Plato hanc similitudinem viro virtute praedito cum humilitate esse futuram docens, illud fortasse interpretatur: „Omnis, qui seipsum humiliat, exaltabitur," quod etiam multa alia in Lege indicant. Ille autem ipse hoc dogma vetus esse dicit. Speusippus et Xenocrates virtutem sine bonis corporis atque externis sufficere ad beatitudinem statuerunt. Sed de his omnibus alias. Nobis autem ad finem sine fine pervenire propositum est, mandata, i. e. Deum, sequentibus, secundum horum normam viventibus sine reprehensione atque scienter, divinam voluntatem cognoscentibus. Noster enim finis est Logo, quoad fieri potest, assimilatio et in perfectam adoptionem per Filium restitutio, qua Patrem honoramus gloria per magnum Pontificem, qui fratres nos et cohaeredes appellare voluit. Quamobrem Apostolus brevi finem dixit vitam aeternam, quam etiam spei restitutionem vocat, et requiem nobis propositam. Similia autem docent Ezechiel et Jesaias prophetae; atque de spei restitutione Sapientia loquitur. E quibus fontibus, quae de fine a philosophis bene sunt decreta, fluxerunt[2].

Quoniam autem voluptas cupiditasque cadere videntur in matrimonium, de hoc quoque disserendum. Est igitur matrimonium prima viri cum muliere legitima coniunctio ad legitimorum liberorum procreationem. Nec vero cuique uxor ducenda est, neque semper neque omni modo temereque, neque necessitate. Abraham quidem, sorores ex eadem matre natas non esse ducendas uxores docens, non omnes esse cuilibet ducendas agnovit. Veteres vero philosophi omnes fere matrimonium propter molestias respuentes vel pellicibus

---

1) Singuli enumerantur.
2) p. 495—502.

utebantur, vel meretricibus, vel plurimi adolescentulis. Qui fuerunt brutis animalibus minus continentes, quorum sunt genera, velut columbarum et turturum, quae neque cum multis nec temere iunguntur, sed cum uno eiusdem generis. Sed sunt qui matrimonium ita probant, ut abstineri ab eo omnino vetant. Uxorem enim et patriae causa, et propter liberorum successionem, et ad mundum, quantum sit in nobis, perficiendum, ducendam esse, quae etiam propter eximiam curam perseverantiamque sit necessaria. Et profecto necessariam „adiutricem“ ipsa eam habet scriptura. Praeterea liberi senectutem adiuvant. Legislatores autem ne eis summos magistratus gerere liceret, qui uxores non duxissent, legibus sanxerunt. Et haec quidem omnia, ne respublica, ne genus humanum pereat. At vero Logos vult etiam ut matrimonium, sanctos reddat et ducentem et nubentem. In matrimonio temperantia floreat et verecundia. Vinci enim vitiis atque perturbationibus, utut fit, ubiubi, qua conditione: extrema est servitus; eadem vincere, sola libertas. Custodiendum ergo matrimonium purum ab eis, quae polluunt, tanquam simulacrum quoddam sacrum; experrecti e somnis cum Domino, eamus dormitum cum gratiarum actione orantes, tota nostra vita Dominum testantes, pietatem quidem ac religionem anima possidentes, temperantiam autem etiam usque ad corpus deducentes. Propter rei sanctitatem etiam temperantiamque Scriptura matrimonium perpetuum esse iubet neque ullo modo disiungendum. Et Lex quidem mulierem adulterii convictam iubet de medio tolli; sin fuerit e familia sacerdotis, igni tradi. Obruitur autem adulter quoque lapidibus; nec vero eodem loco, ne vel mors sit eis communis! Nequaquam igitur Lex pugnat cum Evangelio; utrumque enim a Domino profectum. Sed qui poenitentia revertuntur, recipiuntur in novam vitam. Illi autem lapidibus obruuntur propter cordis duritiam, ut qui Legi sint mortui. Sacerdotis porro uxori augetur supplicium, quia „cui plus datum est, plus ab eo exigetur.“

Jam vero secundo Stromatum libro quoque, aucta capitum multitudine, finis imponatur[1]).

§ 8.
De libri III. argumento.

In Valentinianorum doctrinam optime quadrat matrimonium. Basilidis autem sectatorum nonnulli, qui peccandi licentiam omnino sese habere opinantur propter perfectionem et naturae elec-

---

[1]) p. 502—507.

tionem, etiam matrimonium reiiciunt. Principes autem huius sectae sanum hac in re dogma propositum defenderunt. Qui, quum Christi nomen susceperint, hominibus gentium intemperantissimis intemperantius vivunt, nomini maculam inurunt. Continentia autem corporis despicientia ex confessione in Deum. Et ea quidem est et in lingua, et in possessione et in usu et in cupiditate. Non solum temperantem esse docet, sed divina est potestas et gratia. Sed de proposito disseramus. Nos igitur eos, quibus a Deo, ut mente eunuchi permaneant, datum est, beatos praedicamus; monogamiam autem et eam, quae in uno cernitur matrimonio, dignitatem admiramur; de secundis denique nuptiis: „si uraris, ait Apostolus, iungere matrimonio"[1]).

Qui autem Karpocratem sequuntur et Epiphanem, puerum illum decem et septem annorum natum, in deorum numerum relatum, cui Cephalleniae templum aedificatum est; hi igitur quum ceterarum possessionum, tum uxorum communitatem docent. Ipse enim Epiphanes hanc doctrinam libro quodam „de iustitia" inscripto probare conatus est. Quem tanquam Christianum refutare opus haud erit ut qui, Lege destructa Evangelioque sublato, ex nostris amplius non sit. Leges autem ipse tulit, quas quidem egregii Carpocratiani religiose exsequuntur, eiusmodi, ut canum, suum, hircorum libidinibus quam maxime convenienter respondeant. Sed Platonem, in „Republica," esse communes omnium uxores oportere, scribentem minus recte intellexit, qui nihil aliud, nisi ut, quae nondum nupsissent, eae omnium petiturorum essent communes, voluit[2]).

Marcionistae porro, quum malam naturam ex mala materia a iusto factam esse Opifice putent, quia hunc oderunt, continentes esse volunt, nec vero ex animi sententia. Sed hi quidem etsi ex altera parte impium cum deo bellum gerunt uxoribus non utentes, ut mundum destruant, tamen cibis creatis fruuntur et aëre. Contra quos accuratissime disputabimus, quum de Principiis disseremus. Quamquam dogma illud de naturae pravitate, quo gloriantur tanquam suo, a Platone et Pythagoreis mutuati sunt. Qui philosophi generationem quidem malam esse contendunt, non ita tamen, ut sua natura sit mala, sed quod per eam anima quaedam divina in hunc mundum quasi in supplicii locum deducatur, quae deinde rursus migratione ex uno corpore in aliud purgari oporteat. Qua de re dicendi tempus erit postea, quando agemus de anima. Poetae quo-

---

[1]) p. 508—511.
[2]) p. 511—515.

que generationem ut malorum causam vituperant, laudant mortem, id quod etiam de Cleobide et Bitone fabula docet. Plato autem Orpheum, in corpore animam puniri, affirmantem facit, in quo tanquam in monumento sepulta sit. Similia Philolaus Pythogoreus tradit; Pindarus item et Plato, qui homines hic in custodia esse dicunt, in carcere. Attamen hic cum deo nonvult pugnare, a quo mundus nihilominus recte administretur, quamobrem minime seipsum solvere liceat. Nullam igitur Marcioni tam praevae doctrinae occasionem dedit, ut qui de mundo etiam haec docuerit: „Ab eo, qui ipsum construxit, possidet omnia bona." Mala autem materiae principio sine ullo ordine et forma, tribuit. Heraclitus praeterea generationem appellat mortem. Similiter Pythagoras atque Socrates. Sed de his hactenus. Continuemus autem de continentia sermonem[1]).

Poetae igitur Graecorum, natum non esse, optimum dicunt, vel natum extemplo mori. Quamobrem a liberorum procreatione abstinendum esse, sunt, qui opinentur. In his autem Pythagorei numerandi mihi quidem non videntur, ut qui uxores certe ducerent, liberis vero susceptis, se continerent. Quapropter fabis, uxores steriles effecturis, non vescebantur.

Sed Marcion continentiae causam habet ipsum mundi opificem, quocum a materia abstinens tanquam gigas pugnat. Huius igitur et Carpocratis, mulierum communionem statuentis, mentionem fecimus. Jam vero Nicolai dictum illud, „carne nos abuti oportere," explicemus. Et est quidem (id quod comprobatur quum opportunitate, qua illud dixit, tum ipsius liberorumque vita) nihil aliud, nisi carnem ita exercere, ut nihil praeter rationem appetat. At vero qui eum sequuntur, interpretatione huius dicti utuntur impudica. Sunt etiam, qui publicam Venerem appellent mysticam communionem, vocem praeclaram contumelia afficientes. Ex quibus aliquando quidam virgini vultu formosae impudenter dixit: „Scriptum est: Da omni te petenti." O impietatem! Ipsas Domini voces ementiuntur isti intemperantiae communicantes fratresque libidinis, in quorum communione fuerint sues et hirci. „Fornicatio autem, ait Apostolus, et omnis immunditia, vel avaritia, ne nominetur quidem in vobis, sicut decet sanctos." Sed hauriunt dogma illud ex apocrypho quodam libro, quem ipsine composuerint, nescio. Similia placita, qui Prodici sectam sequuntur, falso nomine seipsos vocantes gnosticos, statuunt. Qui seipsos primi Dei quum natura filios

---

[1]) p. 515—520.

dicant, hac nobilitate simulata libertateque abutentes vivunt ut volunt; volunt autem libidinose, tanquam domini sabbati, filii regii. Atque regi, inquiunt, lex scripta est nulla. At vero primo non possunt omnia, quae voluerint, facere, multis rebus prohibentibus, quamvis conentur. Deinde minime, ut reges, agunt, sed mastigiarum modo. Neque enim intemperantia res est libera; „omnis, qui peccat, servus est.“ Hi certe, qui, quaecunque gentes odio habent, quae humani legislatores aeque ac divina Lex vetant, perpetrant, haud soli deum noverint; imo hominibus huius mundi pessimis evadunt similes. Similes enim factis, natura etiam similes. At vero: „nisi abundaverit iustitia vestra, ait Dominus, plusquam Scribarum et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum dei.“ Sed sunt, qui superiorem hominem usque ad umbilicum a diviniore potestate formatum esse dicant, inferiorem autem a minore, Christo quidem, hominem et internum et externum ab eodem deo esse factum affirmanti adversantes. Deum porro omnium Patrem bonum esse concedentes alii, alterum potentem zizania spargentem faciunt eumque mundi opificem esse et V. T. legislatorem. Huic ergo ad Patrem ulciscendum adversemur oportere, qui quum dicat: „non moechaberis!“ moechandum. Ex operibus hi quoque cognoscuntur. Quamquam etiam sibi ipsi non constant. Ceterum qui V. T. legislatori adversantur, Christo quoque, hunc agnoscenti, adversentur necesse est, evertantque non tam bona praecepta, quam semetipsos. Sed utinam essent sibi constantes! Nam legislator ille dixit: „Dedi vobis omnia ad vescendum et fruendum;“ ne ergo ulla re fruantur. Id genus autem plurima ridicula possunt in medium proferri. Deinde si id quod opifex ille voluerit, nec vero quod bonus pater, fieri solet: hic certe imbecillus erit. Ex sacris quidem scripturis placita sua probare conantur, ita sane, ut non solum allegorice, verum etiam interponendo, quidquid eis placuerit, exponant. Velut quum Hebraei morosi querantur: „Deo restiterunt (scil. e gentibus), et salvi facti sunt“ voce impudenti, quae eo loco non exstat, addita deo, hoc dictum pro norma salutis habent[1]).

Sed singulas haereses percurrere et longum est et saepe fieri sine pudore nequit. Itaque in duas partes dividamus omnes, ut deinceps brevi respondeamus. Aut enim sine differentia vivendum esse docent, aut propter impietatem quandam odiumque profitentur continentiam praeter modum. Prioribus igitur haec obiicimus. Si quod libet vitae genus licet eligere, id profecto etiam, quod est

[1]) p. 520—529.

continentiae, idque tutissimum. „Omnia enim licent, ait Apostolus, sed non omnia expediunt.“ Ut porro et qui incontinentiam, elegerit, et qui continentiam, sit uterque aeque securus, haud tamen utrumque ex aequo honestum. Prior enim corpori gratificatur; alter corporis dominam liberat a perturbationibus. Sed si indifferens vitae genus deligendum est, quidquid cupiditas appetierit, largiendum; unde consequitur, ut impudicissima quaeque sint perpetranda et quam maxime nefaria. Quodsi hac lege quis voluptatibus fuerit victus, is quomodo Domino assimulabitur, vel etiam dei habebit cognitionem? Et tamen huius vitae finis esse debet, ut deo assimilemur, quam maxime fieri potuerit. Sin hoc, quam maxime etiam purgetur homo oportet a voluptatibus ac libidinibus. Mens enim quum pura sit, quae vim dei recipiat, divina in ipsa oriente imagine, fit idonea. Namque homines perturbati deum cognoscere nequeunt; ergo ne spem quidem adipiscentur. Dei autem ignorantiae culpa cadit in vivendi rationem; qui ipsum cognoverit, haud peccaverit; qualis cognitio, vita talis, et vita qualis, talis altior illa cognitio. Neve dicant libertatem, voluptatis servitutem; id enim fuerit idem, atque bilem appellare dulcem. Nos vero eam didicimus esse libertatem, qua Dominus nos liberat, a voluptatibus, cupiditatibus reliquisque perturbationibus solvendo. „Qui dicit: novi Dominum, et mandata eius non servat, mendax est.“ Contra alterum autem haereticorum genus, qui ipsa continentia impie se gerunt quum in res creatas tum in sanctum Opificem, deum omnipotentem — dicunt enim non esse recipiendum matrimonium liberorumque procreationem, neque in mundum alios introducendos infelices futuros, neque morti suppeditandum alimentum; — contra hos igitur haereticos haec dicenda. Primo: „Ex nobis exierunt, sed non erant, ex nobis.“ Deinde naturae necessitate ortum sequitur interitus. Lex autem, honesta eligendo matrimonia, liberorum procreationem, vitae institutionem, ab iniustitia ad iustitiam vult deducere. Atqui Dominus „non venit ad solvendam Legem, sed ad implendam.“ Tum vero, qui liberorum procreationem omnino prohibent, tamen ipsi quoque, quia procreati sunt, vivunt. Sed eis, qui sunt sanctitate donati, sanctum etiam erit semen. Sanctus quidem nobis sit non solum spiritus, sed et mores sancti sint, et vita, et corpus. Dominus sane: „Eritis duo, inquit, in carne una.“ „Sed post resurrectionem, ait alias, nec uxorem ducunt, nec nubunt.“ Nisi forte ergo isti iam resurrexerunt, matrimonium agnoscant oportet. At vero esuriunt et sitiunt, quae appetitiones post resurrectionem et ipsae haud reperientur. Neque vero quaevis abstinentia virtus est,

quae dei veri filios probat; abstinent a multis saepenumero quum ei, qui idola colunt, tum Magi. Sunt porro, qui se quidem inprimis Dominum imitari dictitantes; matrimonium a diabolo esse aperte doceant. Quibus Scriptura: „Deus, inquit, superbis resistit.“ Dominus autem uxorem non duxit, quia propriam habuit sponsam ecclesiam, cui etiam, ut qui maneat in aeternum et natus sit solus dei filius, filios procreare, minime erat necesse. Ipse autem hominibus, ut genus humanum usque ad mundi finem permaneat, matrimonium necessarium esse docet. Castitatem vero, quam nonnullis suadet, neque ad omnes referre licet neque quavis ex causa adamare. Nam athletae et citharoedi si abstinent, non ideo virtute excellunt. Sed ea sola castitas bona est, quae nititur dei caritate. Doctrinam igitur de abstinentia illa, ad omnes pertinente, Apostolus Diaboli esse dicit. Veteres quidem iusti rebus utebantur creatis cum gratiarum actione et versabantur in matrimonio continenter. Petrus et Philippus filios procrearunt; et hic quidem filias suas viris dedit. Paulus uxoris secum ducendae se habere potestatem scribit. Sed Apostoli propter praedicandi munus uxores tanquam sorores possident. Attamen „regnum dei, ait Paulus, non est esca et potus,“ neque ergo abstinentia a vino et carnibus, „sed iustitia et pax et gaudium in spiritu sancto“[1]).

Humana igitur continentia, qualem Graeci philosophi statuunt, se pugnare profitetur cum cupiditate neque unquam ei factis inservire; nostra autem ne concupiscere quidem, non ita, ut quis concupiscens fortem se praebeat, sed ut vel a concupiscendo se contineat, quae continentia non acquiritur nisi gratia dei. Quemadmodum autem melius est sanum esse, quam aegrotantem disserere de sanitate: ita lucem esse, quam loqui de luce, et melior etiam vera continentia, quam ea, quae a philosophis docetur. In concupiscendo iam cernitur peccatum, quamvis concupiscatur sine facto. Quod ad matrimonium, alimentum, cetera id genus pertinet, horum omnium necessaria tantum velle debemus, nihil vero facere concupiscentes. Neque enim sumus cupiditatis filii, sed voluntatis. Haec vero continentia non ad solam castitatem attinet, quinimo in omnibus, quae appetimus, et in pecunia despicienda, voluptate, possessione, contemnendoque spectaculo, continendoque ore atque omnibus malis cernitur vincendis, quam propter caritatem erga Deum et propter ipsam honestatem amplectimur.

---

[1]) p. 529—537. Adnectit sub huius capitis finem nonnulla adversus Carpocratis de omnium possessionum communione placitum.

Qui autem propter odium adversus carnem continentes sunt, indocti atque impii mihi videntur. Qui porro indifferentia omnia esse docent, hi nonnullis scripturarum locis, libidinose sensum verum detorquentes, abutuntur. Illi denique, qui continentiam praeclaram istam, creatione quasi mala calumnia affecta, iactitant, Evangelio, ni fallor, secundum Aegyptios nituntur, in quo haec habentur pro Domini verbis: „Veni ad dissolvendum opera feminae," feminae quidem cupiditatis, opera autem esse generationem et interitum. Sed hoc si verum esset, mundus interiret. Opera autem, quae Dominus dissolvit, cupiditatis, sunt avaritia, contentio, gloria, insanus mulierum amor, similia. Generatio enim atque interitus a rerum creatarum natura, dum electionis restitutio fuerit facta, separari nequeunt. Nascimur ad cognitionem; morimur ad restitutionem. Quodsi mulier pariens dicetur causa mortis, haud minus recte etiam causa vitae. Sed utrumque cuique licet, vel continentiam deligere, vel matrimonium. Utrumvis autem adamaveris: ne quid sanctae cognitioni non convenienter agas!

At vero cum pluribus i. e. cum eis, qui liberos procreant, Creator est, ut generationis deus; nam ubi duo et tres, inquit, congregantur in nomine meo, in horum medio sum ego; virum autem, mulierem et filium tres vocat. Contraque cum uno electo, i. e. cum eo, qui est continens, Servator est, alterius, boni quidem, Dei filius. Minime ita! Cum eis, qui honeste ac temperanter in matrimonio vivunt, Deus bonus est per Filium; idem autem Deus eodem modo cum eo, qui continentiae rationi convenientis studiosus est. Sunt autem in homine tria: ira, cupiditas, ratio, vel caro et anima quae corpus constituunt, et mens. Si quis igitur ira et cupiditate superior factus, res creatas propter Deum tantum amat, habitu temperantiae acquisito, Salvatoris similis evadens, vere spiritalis, ad Domini imaginem ab ipso artifice efficitur homo perfectus: is profecto dignus iam erit, qui frater a Domino nominetur, amicus simul et filius. Sic ergo duo et tres in eodem congregantur, in homine gnostico. Atque aliter etiam illi duo et tres intelligi possunt. Sed qui propter odium uxorem non ducunt, vel sine differentia carne abutuntur concupiscentes, hi minime sunt in numero eorum electorum, cum quibus est Dominus [1]).

Jam vero Sacris scripturis adiuti, veram exponamus continentiam. Et Lex quidem, quum dicit: „Non concupisces uxorem proximi tui!" non omnino vetat, viros uxoribus temperanter uti, id

[1]) p. 537- 543.

quod ex aliis mandatis de legitima liberorum procreatione colligitur, quae sane etiam eiusmodi sunt, ut ad continentiam rationi consentaneam deducant. Quod autem ab immundis et impiis segregari nos iubet eadem Lex cum Domino: immundi et impii non sunt matrimonio iuncti qua tales, sed gentes et haeretici. Et Legis autem, et Prophetarum et Evangelii doctrinae in hoc, sicut in omnibus, consentiunt; nam horum trium unus est auctor, Deus idem, ut Apostolus Paulus disertis verbis docet multis locis [1]). Quemadmodum Lex, ita etiam Paulus continentiam exercendam esse in matrimonio quoque vult, semoto tamen peccandi periculo. Uterque autem, et qui castitatem delegerit, et qui matrimonium, in proposito debet perseverare. Propria vero munera et castitas habet et matrimonium. Unusquisque ergo, in quo vocatus est opere, munere suo fungatur, ut liber fiat in Christo debitamque ministerio mercedem accipiat. Sunt autem haeretici, inter quos Tatianus, qui ex nonnullis Apostoli locis, quos pervertunt, matrimonium a Diabolo inventum esse, demonstrare conantur. Sed intemperantia a diabolo inventa est, et impudens libido. In matrimonio autem tum continentiae, quae est ex consensu, tempus est ad orandum, tum honestae liberorum procreationis, quod utrumque s. s. scripturis probatur. Quod si Apostolus, precibus absolutis, „rursus, inquit, simul convenite propter Satanam": minime dicit: convenite Satana impellente, sed ut peccandi occasio a Satana parata amoveatur.

Utriusque autem Testamenti unus auctor Dominus, qui olim ad augendum genus humanum polygamiam concessit; nunc monogamiam suadet etiam post primae uxoris mortem ad perfectionem. Matrimonium vero et olim et nunc probat idem Legislator atque Evangelista. Verum quidem est, Legi nos esse mortuos ab Apostolo doceri. At vero quomodo mortui Legi? mortui peccato, quod Lege significatur et apparet. Non quod iubet Lex, peccatum est, sed quod vetat; agnoscit matrimonium, quod tam sanctum est, quam sancta Lex ipsa! Discrimen est enim fornicationem inter et matrimonium. Utendum autem omnibus cum gratiarum actione; multis quoque conducit continentia. Neque est ulla epistolarum Apostoli, quae, quum saepissime de matrimonio ac liberorum procreatione agatur, honestum moderatumque matrimonium prohibeat vel abroget. Ceterum, qui matrimonium insectantur, nihil probant, nisi forte scripturis abutuntur. Paulus enim Apostolus

---

[1]) Ex epist. Pauli ad Romanos multa allata explicantur adversus eos, qui malum Creatorem Legis auctorem esse dicunt.

secundas inprimis nuptias non probavit. Deo autem placere possunt et qui in matrimonio sunt, et virgines. Qui vero matrimonium vocant fornicationem, Legem atque Dominum maledictis afficiunt. Ambiguam fornicationis vocis vim apud Paulum in malam suam partem vertunt. Paulus quidem unius uxoris virum aperte laudat, sive est presbyter, sive diaconus, sive laicus. At vero, eum, qui matrimonio propter voluptates se impediri patiatur, quominus divinis mandatis obsequatur, peccare, nemo infitiabitur. Et haec rei summa est: si matrimonium peccatum est, ipsa quoque generatio peccatum, et peccatum generationis creator.

Sed opinionem illam pravam defendit etiam Julius Cassianus, Docetarum sectae princeps, qui eam verbis tanquam divinis tueri studet, quae non in quattuor Evangeliis nobis traditis leguntur, sed in eo, quod est secundum Aegytios. Accedit autem, quod suo loco verba ipsa interpretatione egent allegorica[1]). Nec porro generatio tanquam peccatum respuenda est, quasi mens cupiditate quadam in hanc materiam delata esset. Nam si Paulus Apost., Christum ad eos, qui aberravissent, venisse dixit: homines aberraverunt quidem, non mente ex alto delapsa, sed a deo, ut qui cogitationibus et actionibus voluptatem ipsi praeponant. Est enim generatio Dei omnipotentis creatio, qui nunquam ex melioribus ad deteriora deduxerit mentem. Quodsi Apostolus. „Induite, inquit, novum hominem, qui secundum Deum creatur,“ novum intelligit, qui ita se habet, quemadmodum creatus est initio; vetus enim homo est in vita inobedientiae, non in generatione. Praeterea autem Cassianus illud pervertit: „Nostra autem conversatio est in coelo, ex quo etiam Salvatorem exspectamus.“ Sed recte haec quoque dicta esse scimus, quoniam tanquam hospites et advenae peregrinantes hic vitam instituere debemus: qui uxorem habent, ut non habentes; qui possident, ut non possidentes; qui liberos procreant, ut mortales gignentes, ut relicturi possessiones, ut etiam, si opus fuerit, sine uxore victuri: non immodico affectu possessione utentes, sed cum gratiarum actione et animo excelso.

Simili modo ceteros Scriptt. locos ambiguos, quos leviter tantum attingunt intelligentia, eis, qui aperte loquuntur, neglectis, sibi vindicant[2]). Sin autem malum est generatio, in malo fuisse dicant Dominum generationis participem, in malo etiam virginem, quae genuit. Dei igitur voluntatem maledictis insectantur creationisque

[1]) p. 543—553.

[2]) p. 554—558. Singuli loci explicantur.

mysterium. Sed haec causa est, cur τὴν δόκησιν Cassianus fuerit commentus. Hinc porro Marcioni et Valentino corpus fit animale; quoniam inquiunt, homo, in concubitu assimilatus est iumentis. In hoc etiam Adami peccatum ponunt, quasi sine peccato generatio non fuisset. Itaque creatio rursus vituperatur. Quod si in concubitu peccatum primum sit collocandum, id ita fieri potuit solum, ut ante Dei voluntatem concubarent. Generatio vero per se sancta est, per quam mundus consistit, per quam essentiae, per quam naturae, per quam Angeli, per quam Potestates, per quam animae, per quam mandata, per quam Lex, per quam Evangelium, per quam Dei cognitio. Sed ecclesia quoque non permanet nisi generatione.

Omnia vero, quae contra matrimonium in s. script. dicta esse videntur: dicta sunt contra malum et libidinosum eius usum. Servator enim noster non solum mentem, verum etiam corpus perturbationibus liberavit. Justitiam ergo et salutis harmoniam, venerandam illam firmamque, alii quidem, sicut ostendimus, continentiam omni cum impietate nefarie atque maledice suscipientes, nimium intenderunt. Licet autem pie eligere castitatem, gratias agendo propter gratiam datam, nec vero habenda odio creatura, vel eos, qui in matrimonio sunt, aspernando; utrique potius agant in eis gratias, in quibus sunt collocati. At vero alii, quavis continentia spreta, effrenati petulanter se gesserunt et insolenter, revera „effecti equi in feminas insanientes et ad proximorum suorum uxores hinnientes," quippe qui, quum ipsi nequeant contineri, proximis suis quoque persuadere studeant, ut dent operam voluptati. Quos S. S. Scriptt. notant ignominiae nominibus; cum quibus versari nos vetant; quibus terribiles poenas minantur, ita tamen, ut matrimonium ubique agnoscant[1]).

§ 9.

Libri IV. argumentum exponatur.

Jam vero, ut de martyrio deinceps disseramus, et quisnam sit perfectus, sequi videtur. Cum quibus una comprehendentur quaecunque, ut postulabunt dicenda, erunt consequenter coniuncta; velut pari modo philosophandum esse et servo et libero, sive mari sive feminae. De fide porro et de inquisitione quum expositum fuerit, genus symbolicum adducemus, ut, sermone ad mores pertinente cursim concluso, quanta utilitas allata sit Graecis a philosophia bar-

[1]) p. 558–562.

bara summatim ostendamus. Deinde autem et adversus Graecos et adversus Judaeos brevis scripturarum tradetur expositio. Praeterea adnectentur ea, quae propter rerum multitudinem in libris antecedentibus omissa sunt. Quibus ex proposito absolutis, quae de naturalibus principiis quum a Graecis tum ab aliis barbaris dicta sunt, prout ad nos pervenerunt opiniones, narrare oportebit, et praecipua eorum, quae a philosophis sunt excogitata, aggredi; philosophia [1]) vero percursa, illa, quae de prophetia tradita sunt, deinceps tractabimus, ut, quum etiam scripturas, quibus credidimus, validas ac ratas esse omnipotenti auctoritate demonstraverimus, progredi per ipsas seric possimus omnibusque hinc haeresibus ostendere deum unum, et Dominum omnipotentem, et per Legem et per Prophetas et pcr beatum Evangelium vere praedicatum. Sed, quod consequens etiam fuerit, eos, qui scripturis falso argumentantur, ex ipsis quoque convincemus. Denique ad gnosticam naturae contemplationem transibimus, parvis antc magna initiati mysteria, ut nihil sit impedimento divinae vere sacrorum interprctationi. Ac naturae quidem disciplina secundum veritatis regulam instituta, vel inspectio potius, quae gnostica traditione acquiritur, facto ab ortu mundi initio, inde ad rerum divinarum contemplationem ascendet. Undc traditionis principium a creatione, per Prophetas cdocta, ducemus, contra ponentes partim ea, quae ab heterodoxis contenduntur, et, quoad a nobis fieri poterit, diluere conati. Sed haec quidem, quum deus volucrit et quemadmodum ipse inspiraverit, scribentur; nunc autem aggrediendum est id, quod fuit propositum, et absolvenda de moribus disputatio.

Haec ad verbum fere libri IV prooemio continentur, cuius conclusio, non omnia eo promissa in hoc libro iri tractatum, ostendit. Pollicetur potius ea, quae erat quidem in Stromatis praestaturus, ncc tamen libris, qui exstant, praestavit. Sed antequam ipsum libri IV argumentum orditur, itcrum Stromatum indolem ac finem exponit, cuius expositionis haec verba inprimis animadvertenda sunt.,, Est ergo in exiguo spatio multa seminum genitalis copia eorum dogmatum, quae comprehenduntur hoc opere, quod simile est agro omnibus herbis pleno, ut ait Scriptura. Quibus monitis, ita incipit.

Iam igitur non credere quidem veritati, affert mortem, sicut credere vitam. Contra autem mendacio credere, non credere vero

[1]) Hoc loco *θεολογίας* haud dubie pro *φιλοσοφίας* irrepsit, quod apertc postulat orationis consequentia.

veritati: trahit in exitium. Atque eadem quidem ratio est de continentia et de incontinentia. Continentia autem iudicatur ex obiecto; nam se continere a bonis agendis, malitiae opus est; sed abstinere ab iniuria, salutis initium. Quanam re differt a bestiis homo, Angeli autem dei homine sunt sapientiores? Sapientiam nihil aliud dico nisi scientiam. Quare Pythagoras solum deum quum sapientem esse diceret, se ipsum, propter illam, quae ei cum deo intercedebat, amicitiam, philosophum vocavit. Est enim verum deo manifestum; verum autem generat veritatem, quam amat gnosticus. Sed ut ad rem propius accedam, est uniuscuiusque animalis munus proprium, et bovis et equi et ceterorum; quale ergo hominis maxime proprium? Videtur equidem, ut opinor, similis esse centauro, Thessalico figmento illi, compositus ex parte rationis participe et ex parte rationis experte, anima et corpore. Corpus, de terra sollicitum tendit ad terram; anima autem ad deum extollitur, quae quidem per veram erudita philosophiam contendit ad suos, qui supra sunt, cognatos, corporis cupiditatibus liberata, quin etiam labore metuque. Quamquam est metus quidam, qui in malis minime est numerandus, et hic quidem a Lege praecipitur. Ducit enim ad servandum mandatum illud praeclarum, quod continet omnia: „Diliges Dominum, deum tuum, ex toto corde tuo; et diliges proximum tuum sicut teipsum.“ Hic ergo metus id, quod vere est metuendum, expellit, peccatum. Mors enim, metuendorum ultimum, quam metuamus oportet, est ea animae cum corpore coniunctio, quae peccato servit; vita autem amanda est separatio a peccato. Nec tam metuenda mors naturalis, i. e. animae a corpore disiunctio, quam quidem toto vitae huius tempore philosophus meditatur. Quae meditatio gnosticam quandam parit ei animi alacritatem, ut possit facile ferre mortem naturae [1]).

Is certe, ita quidem comparatus, testimonium fert sibi ipsi, se esse in deum sincere fidelem; tentatori autem, hunc frustra in ipsum aemulatione esse percitum, quum sit caritate fidelis; Domino denique, ipsius in doctrina divinam persuadendi vim inesse, a qua ne metu quidem mortis deficiat. Quinetiam facto veritatem praedicationis confirmat, potentem eum esse, ad quem contendat, ostendens. Hic ergo metu propter praeceptum a Christi negatione declinat, ut metui fiat testis. Nec vero propter bonorum paratorum spem vendit fidem, sed propter suam in Dominum caritatem libentissime hac vita exsolvetur, imo gratiam habens quum ei, qui hinc ex-

---

[1]) p. 563—569.

eundi causam praebuit, tum ei qui ipsi molitus est insidias, quod ab his honestam accepit opportunitatem, quam ipse non praebuit, seipsum, quisnam sit, ostendendi, illi quidem tolerantia, Domino vero caritate, qua etiam, antequam natus fuerat, Domino, qui tunc propositum eius martyrium patiendi noverat, manifestus fuit. Bono igitur animo venit ad amicum Dominum, pro quo et corpus atque etiam, ut iudices sperabant, animam tradidit; veniens autem a Servatore nostro: O frater dilecte! ut dicam poetice, propter vitae similitudinem audit salutationem. Nos autem perfectionem vocamus martyrium, non quod vitae finem acceperit homo, sed quod perfectum opus ostenderit caritatis. Quod autem martyrium laudibus efferimus, ne Graeci nos vituperent, qui et ipsi mortem in bello fortiter susceptam praedicant. Sed est quoddam martyrium iam in deo confitendo. Anima enim, quae, deo agnito, praeceptis eius paret, et vita et sermone est martyr, quomodocunque liberatur a corpore, ut quae fidem tanquam sanguinem per totam vitam et in ipso exitu profundat. Qui omnia, quae possidet, sive res, sive homines, ita relinquit, ut ea sine nimia affectione habeat, is est martyr, certe etiam ad sanguinem reapse profundendum paratus. Sed sunt haeretici, qui nimis timidi et huius vitae aviditate commoti, in sola dei cognitione martyrium consistere dictitantes, eum sui ipsius interfectorem appellant, qui morte deum confessus est. Adversus quos dicetur a nobis tempore; dissident enim a nobis de principiis. Nec vero, qui de industria odio in Creatorem quaerant mortem, eos sine ullo martyrio publice quovis supplicio cruciari, negamus. Fidelis enim hi martyrii non servant proprietatem, utpote qui deum verum non cognoscant; vanae igitur morti se ipsos tradunt, sicut temere in ignem se coniiciunt Indorum Gymnosophistae. Falsa autem de materia tanquam mala per se opinio illos decipit. Sed ipse Plato, quem de materia mala testem luculentissimum habere sibi videntur, eiusmodi opinionem in libro De republica respuit. Hic vivimus, ut probemur. Quapropter corpus non temere perdendum. Vivendo enim fieri potest, ut bene vivatur; ad immortalitatis autem habitum transmittitur, qui per corpus ad bene vivendum se exercuerit[1]).

Stoicorum quoque ei sunt admiratione digni, qui animam a corpore nihil affici dicunt, neque ad vitium a morbo, neque ad virtutem a sanitate; sed haec utraque esse indifferentia. Cuius rei Job propter insignem continentiam fidemque eximiam praeclarum exemplum nobis propositus est. Pauper enim factus ex divite, ex illustri

[1]) p. 569—572.

abiectus, deformis ex pulchro, ex sano infirmus: pudore afficit eum, qui tentaverat, benedicit ei, qui formaverat; secunda ita fert, ut prima, virum gnosticum casibus omnibus recte uti posse, probe docens. Sunt autem veterum martyria conversionis exemplaria gloriose sacrata. Corpus igitur, quamvis sit sustentandum propter bene vivendum, tamen non debet animae ullo modo esse impedimento; ipso enim dolorem patiente, anima sit impatiens. Virtus enim neque pati potest neque aegrotare. Qui autem utriusque est particeps simul, et morbi in corpore, et virtutis in anima, huic forti opus est continentia. In omnibus igitur, quaecunque ad corpus pertinent, cura corporis habenda est propter animam. Quapropter nulla voluptas per se et propter se est appetenda, imo est, quae omnino fugienda sit. Similiter dolores alios toleramus, fugimus alios. Fit autem electio et fuga scienter. Bonum est ergo non voluptas sed scientia. Iamque martyr praesenti dolore voluptatem spe capiendam eligit. Non igitur malum martyrium. Nam siquidem in siti dolor consideretur, voluptas autem in potu: dolor, qui praecesserit, efficiens erit voluptatis; nec vero malum boni erit efficiens: neutrum ergo est malum. Cui sententiae assentiuntur etiam et poetae et philosophi [1]).

„Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam,“ dum ait Servator noster ille sanctus, in omni casu quaerere martyrem aperte nos docet; qui, si fuerit pauper propter iustitiam, bonum esse testatur, quam dilexit, iustitiam; et si esuriat et sitiat propter iustitiam, iustitiam testatur esse optimum. Neque igitur absolute pauperes, sed eos, qui propter iustitiam voluerint fieri pauperes, beatos esse dicit. Id quod non ad paupertatem solum spectat, verum etiam omnino ad Dominicam exercitationem, quae animam abducit a corpore, modo se ipsa transferendo avellit, ita, ut nostram fragilitatem applicemus ad dei incorruptionem. Dei autem voluntas est, ut deum cognoscamus, cuius cognitio ipsa est incorruptionis eius communicatio. Dei autem cognitio illa redit ad nostri ipsius cognitionem, quam sequitur ad divina conversio. Sed martyrium, quod in huius cognitionis et conversionis doloribus cernitur ad ipsam mortem usque valet. Philosophi etiam, nulla agendi spe relicta, mortem voluntariam admittunt. At vero nostra martyrii mors ne voluntaria quidem est. Iudex enim, qui vi urget, ut Dilectum negemus, quisnam deo sit amicus, quis non sit, detegere tantum videtur. Hic ne delectus quidem inter minas hominum et dei

[1]) p. 572—575.

caritatem. In martyrio non solum malorum diminutio et distinctio, sed tollitur omnis vis eorum cessando ab actione. Sed ut ad paupertatem propter Christi iustitiam revertar, etiam hoc martyrium postulat Dominus, ut possessionibus benefaciendo renuntiemus. Nam illa erga Deum caritas, quae ne mortem quidem metuit, ab hominum amore non est seiuncta, qui exigit, ut terrae bonis moriamur. Caritas enim beneficentiam profitetur, quae vel Sabbato dominatur per gnosticam superiorem potestatem. Nec vero propter metum neque propter doni spem, sed propter ipsum bonum ad verbum salutare accedere nos oportet; qui ita accedent, a dextris sanctuarii stabunt, neque erunt mercenariorum in parabola de filio prodigo similes. Potest porro eligi bonum vel imitatione vel cognitione. Qui imitatur differt ab eo, qui cognoscens eligit, sicut ignitum ab illuminato. Iam qui bonum beneficentiae neutra de causa eligit, ut qui paupertatem ferre nequeat, huic omnia innumerabiles sollicitudines afferunt, non solum divitiae, gloria, matrimonium, sed etiam paupertas; id quod in parabola de semine Verbi expositum est. Omnibus autem, quae accidunt, ita utamur oportet, ut per vitam bene ac gnostice actam ad habitum vitae aeternae exerceamur. Quod ut fiat, corde credere debemus et actione, non labiis tantum et simulatione. Et eorum quidem via, qui pauci beneficentia thesaurum suum in coelo non deficientem abscondunt, nec facilis est nec lata. Sed l a t a e s t e t s p a t i o s a v i a, q u a e d u c i t a d i n t e r i t u m, e t m u l t i s u n t, q u i p e r e a m t r a n s e u n t. In hac ambulant, qui luxu capiuntur, mulierum amore, cupiditate gloriae et imperii, similibusque animi perturbationibus. At vero q u a e r i t e p r i m u m r e g n u m c o e l o r u m e t i u s t i t i a m: e a e n i m m a g n a s u n t; p a r v a autem et quae ad victum pertinent, ea a d i i c i e n t u r v o b i s. Beneficum autem divitem Christus non ex abundantia donationis aestimat, sed ex animi benevolentia. Iam quum ad animi sententiam respiciat Dominus: B e a t i etiam, inquit, m i t e s, q u o n i a m i p s i p o s s i d e b u n t t e r r a m. Et mites quidem sunt, qui pugnam irae et cupiditatis in anima sedaverunt sponte ac libere. Praemium vero conveniens erit animi intentioni. Temporis longitudo nihil iuvat. Praemium est salus in coelo, ad quod etiam lugentes, i. e. poenitentes vocantur. Quorum duo sunt ordines: alter, qui multo frequentior est, timore poenae factis suis debitae ducitur; alter vero magis singularis ex conscientia factorum afficitur interna animae verecundia. Misericordia autem utrique parata. B e a t i m i s e r i c o r d e s, q u o n i a m i p s i m i s e r i c o r d i a m c o n s e q u e n t u r. Misericordia autem non est, ut philosophis quibusdam placet,

dolor propter alienas calamitates, sed est urbanum quid et humanum, quod non tam in actione externa cernitur, quam in interiore benignitate, in proposito quamvis impedito. Valet enim voluntatis, non facultatis vel aequalitas vel inaequalitas. Quoniam autem interni hominis affectio in omnibus consideratur, duae vero ad perfectionem ducunt viae: Beati, ait porro, mundi corde, quoniam ipsi deum videbunt. Cognitio autem principalis animae partis purgatio est bonaque vis agens. Animae igitur principali nullo obstante corporis perturbati impedimento, gnosticus contemplationi deditus puramque cum deo habens consuetudinem ita proxime accedit ad habitum impatibilis identitatis, ut non habeat amplius scientiam vel possideat cognitionem, sed sit ipsa scientia et cognitio. In his étiam pax requiescit. Et beati pacifici, qui in omni vitae casu pacificum illud, quod est immutabile servant, Providentiam agnoscentes in rerum humanarum divinarumque scientia, qua eas, quae sunt in mundo, repugnantias creationis pulcherrimam exsistimant harmoniam ac concordiam. Pacificant etiam, qui monitis suis ad fidem pacemque docent transire eos, quos peccati strategemata hic oppugnaverant. Totius autem virtutis summa in morte propter caritatem contemnenda versatur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsi filii dei vocabuntur, qui quidem patiuntur sine odio persecutorum[1]).

At vero qui, fide negata, ad diaboli exercitum transfugerit, in quali hunc malo versari putabimus? Mentitur quidem Domino, vel potius spei suae; se ipsum igitur negat Dominum negans; vitam suam negat. Quare si quis se ipsum diligit, diligit Dominum. Qui patitur propter suam in deum caritatem, patitur propter propriam salutem. Quicunque etiam Servatoris mandata exsequuntur, in unaquaque actione sunt martyres. Miseris autem hominibus martyrium, quod per sanguinem Domino datur, mors esse videtur violentissima, nescientibus quidem, hanc mortis ianuam verae vitae esse principium. Ignorant enim et praemia et poenas post mortem. Sed Theano et Plato animorum immortalitatem agnoverunt. At vero diversae viae ad diversam deducunt immortalitatem. Viam autem martyrii, caritate patefacta, docent Apostoli. Et gratia quidem dei adversamur non sine victoria gloriosa Principatibus tenebrarum et morti. Adhuc te loquente (gratiam petente), dicet: Ecce adsum! En habes adiutorem invictum, qui nos defendit. Non enim nostra virtute freti, ut poetae adhortantur, mortem sub-

---

[1]) p. 575—582.

imus. Quare nec timemus mortem velut servi. Valet etiam illud Platonis: „Etiamsi torqueatur iustus, etiamsi effodiatur utroque oculo, fore eum beatum." Gnosticus ergo nunquam finem in vita positum habebit, sed in eo, ut sit semper felix, beatus, regius dei amicus; et licet quis ei inurat ignominiam, eumque et exsilio et facultatum publicatione et morte postremo afficiat: nunquam a libertate avelletur vel a summa in deum caritate. Quum enim, omnia recte administrari divina providentia, persuasum habeat, omnia sustinet et omnia suffert caritas. Quacum coniuncta est ἡ γνῶσις ἡ λογική, cuius fundamentum est sancta illa trias: Fides, spes, caritas; maior autem horum caritas. Quaeris autem arma, quibus caritate commoti pugnamus? Arma militiae nostrae non sunt carnalia, sed potentia deo (per deum) ad destructionem munimentorum, cogitationes destruentes et omnem altitudinem se extollentem adversus cognitionem Domini. Quibus armis munitus gnosticus: o Domine, inquit, da occasionem et accipe ostensionem; accedat hoc grave ac formidolosum: pericula ego despicio propter meam in te caritatem [1]).

Fortitudinis autem exempla in tormentis et cruciatibus praebuerunt etiam e gentibus et milites et philosophi. Et hos quidem spes commovit felicitatis; sic neque illa in deum caritas aegre fert ea, quae accidunt; manet autem, quidquid patitur, libera. Nec vero in ecclesia singula fortitudinis exempla; plena potius tota est eorum, qui per omnem vitam mortem meditati sunt ad Christum excitantem, sicut virorum, ita etiam mulierum temperantium. Nam licet apud nos omnibus similiter, etiam eis, qui non sunt litterati, philosophari, et barbaro et Graeco, et servo et seni, et puerulo et mulieri. Temperantia enim communis est omnium hominum, qui eam delegerint. Est enim apud nos extra controversiam, eandem in unoquoque genere naturam eandem etiam habere virtutem. Atqui eadem natura humana in femina atque in mare. Quodsi virum esse temperantem et vincere voluptatem oportere dicimus, haud aliter mulierem arbitramur temperantem esse debere atque in pugna adversus voluptates exercitatam. Quamobrem minime mulieres aliquas tanquam Amazones exercemus ad bellicam virtutem, quum vel viros velimus esse pacificos. Est ergo philosophandum mulieribus similiter ac viris, quamvis praestantiores masculi primas in omnibus partes ferant, nisi evaserint molles et effeminati. Quamquam philosophi gentiles, evangelica luce destituti, mulierem natura viro

---

1) p. 582—588.

deteriorem esse somniant. Caput rei hoc tantum est, quod vir obtinet principatum. Dominus viri caput est, mulieris autem vir; vir est dominus uxoris, ut qui sit imago et gloria dei. Philosophandum ergo utrique; sed etiam et libero et servo et cuivis homini. Neque igitur unquam deficiet mulier, quae habitat cum marito malo; vel filius, si habeat patrem malum, vel improbum dominum servus: omnes simul virtutem persequentes forti animo sint ac generoso. Et senex ergo et iuvenis, et mulier et servus, mandatis obedientes fideliter vivent, et, si fuerit opus, morientur, quod quidem fuerit per mortem vivificari. Scimus quidem certe et pueros et mulieres et servos saepenumero invitis parentibus, maritis, dominis evasisse optimos. Maior tentatio maiore gratia et voluntate vincenda. Quod bonum, id eligendum, sive multis placet, sive paucis. Nos quidem nostro sensu Epicuri verba agnoscimus: „Nec si sit aliquis iuvenis, inquit, differat philosophari, nec si sit senex, philosophando defatigetur; neque enim aliquis immaturus, neque nimis provectae et exhaustae aetatis, ad adipiscendam animi sanitatem. Qui autem, nondum esse, vel praeteriisse philosophandi tempus, dicit, ei similis est, qui ad beatitudinem vel nondum adesse tempus, vel tempus praeteriisse dixerit. Quare et iuniori philosophandum est et seni: huic quidem, ut senescens iuvenescat bonis per gratiam eorum, quae fuerint facta; illi autem, ut sit iuvenis simul et senex, per futurorum metus vacuitatem.“ [1])

De martyrio autem, quid sit iudicandum, apertissime docuit Dominus multis locis, quorum expositione consentit nobiscum Heracleon, cuius in schola Valentini maxima fuit exsistimatio. Unum tantum haud satis intelligit, multos, quamvis non actione aliqua et vita confessi fuerint Christum coram hominibus, eo tamen, quod voce confiteantur in iudiciis et usque ad mortem cruciati minime negent, ex animi proposito credidisse videri. Propositum autem, quod confitetur, praesertim quum ne morte quidem mutetur, omnia ad unum vitia, quae cupiditate corporis genita sunt, prorsus rescindit plena ac tota poenitentia. Martyrio enim omnis tollitur offensio, quo confirmantur, qui sunt in ecclesia; admirantur, qui e gentibus salutem curiose quaesierint; reliqui afficiuntur pudore. Videtur igitur martyrium esse peccatorum purgatio cum gloria. Cum gloria aliorum purgandorum causa passus est Dominus, quem imitati Apostoli, ut qui vere essent gnostici et perfecti, pro ecclesiis, quas fundarunt, passi sunt; et quicunque nunc est vel

[1]) p. 588—595.

erit in posterum gnosticus, similiter confitebitur propter dei proximorumque caritatem [1]).

Iam quum Dominus dixerit: Quando vos persecuti fuerint in hac civitate, fugite in aliam: non quidem hortatur ut fugiamus persecutionem, quasi malum esset, nec tanquam mortem extimescentes fuga hanc declinare nos iubet; sed vult nulli homini nos esse auctores mali vel adiutores, neque nobis ipsis, neque ei, qui persequitur, neque interimenti. Qui autem non obedit, temerarius est. Qui se audacter offert capiendum, is, quantum est in ipso, adiuvat improbitatem eius, qui persequitur. Quodsi etiam irritaverit, plane causa est, ut qui provocet feram. Similiter si quis aliquam pugnae praebeat causam, vel damni, vel iudicii, vel inimicitiarum, is occasionem peperit persecutionis. Itaque nihil retinere iussi sumus, quae ad hanc vitam pertinent, sed ei, qui tollit pallium, praeterea etiam dare tunicam.

At, inquiunt, si deus vestri curam gerit, cur patimini persecutionem et morte afficimini? an ipse vos eis tradit? Haec dei voluntas non est; quae eventura essent, praedixit tantum. Nec vero iudicis iniustitia dei providentiam attingit; oportet enim iudicem in sua potestate habere suam sententiam, nec, instrumentorum instar inanimorum, nervis quodammodo trahi et ab externa solum causa vim recipere agendi. Judex autem neque novit nostra neque vult scire, sed inani quodam praeoccupatus abripitur praeiudicio, unde etiam ipse iudicio fit obnoxius. Sed nos persequuntur, quod vitae humanae, eo quod simus christiani, iniuriam nos inferre exsistimant. Cur autem, inquiunt, quum vos persequantur, nihil vobis affertur auxilii? Quid enim? nobisne fit iniuria, dum morte soluti tendimus ad Dominum, neque aliter vitae mutatione afficimur, quam qui ex una aetate ad aliam transeunt? Quodsi sapiamus, gratias eis, qui celeris migrationis opportunitatem nobis praebuerint, modo propter caritatem martyres fiamus, habebimus.

Basilides vero, ceterum pulcherrime de martyrio disserens, in hoc tamen non laudandus, quod animam, quae prius peccaverit in alia vita, hic pati supplicium dicit; electam quidem, ut puniatur honorifice martyrio, aliam autem, ut debito purgetur supplicio. Quomodo enim, quum confiteri et puniri, aut contrarium eligere, in nostra potestate situm sit, illud verum esse potest? Sin verum, quomodo in coelis merces ei reponetur gloriosissima, qui martyrium

---

[1]) p. 595—597.

passus fuerit, propter id ipsum, quod fuerit martyr! Ubi nulla libertas, ibi ne merces quidem. Nec vero cogit Providentia, sed tentat diabolus, qui, quales simus, scit nesciens quales et utrum perseveraturi simus. Tentat autem partim, quod nos ex nobismetipsis salvos fieri oportet; partim, ut tentator spe sua deceptus pudore confundatur; partim propter eorum, qui sunt in ecclesia, confirmationem; denique propter eorum conscientiam, qui martyrum constantiam admirati sunt. Sed ubi erit fides, si pro luendis poenis eorum, quae prius peccata sunt, subeatur martyrium? Ubi caritas in deum? Ubi laus eius, qui confessus est, et vituperatio eius, qui negavit? Nec vero martyria ex dei voluntate sunt. Nam neque Dominus passus est voluntate Patris, nec, qui patiuntur persecutionem, eam dei voluntate patiuntur. E duobus enim alterum: aut bonum quid erit persecutio propter dei voluntatem, aut erunt insontes, qui decernunt et affligunt. Attamen nihil fit sine voluntate dei. Restat igitur, ut breviter dicamus, huiusmodi omnia accidere deo non prohibente. Namque hoc solum conservat et providentiam et bonitatem dei. Sed malum, quod homines perpetrant, deus suis vertit in bonum. Dei voluntas enim sanctificatio nostra, et propter hanc sanctificationem nostram Dominus, quominus pateretur, non est prohibitus.

Sed Valentinus quoque, genus quoddam immortale natura venisse desuper docet ad mortem tollendam, cuius auctor sit [1] huius mundi creator. Quodsi ad dissolvendam mortem venit genus differens (ab hoc mortali), Christus mortem non abolevit, nisi ipse eiusdem cum eis esse dicatur essentiae. Hic igitur, si ita se habet, — nam Valentinianos superiore illa essentia praeditos Creatore meliores videri in promptu est, — sed Christus quoque deo Creatore melior ac praestantior: at vero nunquam filius cum patre contenderit, idque inter deos. Hunc autem filii esse patrem, Creatorem universorum, Dominum omnipotentem, postea, quum adversus haereses disputabimus, ostendemus. Unus deus, una etiam eademque natura humana, quam creavit, nec vero alii animales, meliores ut spirituales alii. Sed quivis homo perfectus caritatem oportet exerceat, hinc autem tendeat ad dei amicitiam caritate mandata exsequendo. Haec autem caritas omnes complectitur, nemine quasi animali excepto. Quodsi inimicos a nobis diligi iubet deus, nos quidem diligendo non reddimur deteriores tanquam ab animalibus macula

---

[1]) p. 597—605.

aspersi. Neque enim in peccatoribus peccatum diligimus, sed naturam humanam, hominem. Sunt vero alii peccatores, alii iusti libero ipsorum arbitrio. Minime enim ipsa generatio est mala et exsecranda; quapropter in hoc mundo non ita sumus in loco alieno, quasi a summo deo hic non esset creatus, sed quod saepenumero a deo nos facit alienos, alienum eum appellamus. (Quae quum ita sint, Valentinus quidem de martyrio subeundo nobiscum consentit, de causa autem, cur sit subeundum, non item).

Adversarius autem non est corpus sive materia, sed diabolus cum sociis suis similibus, qui una nobiscum in via ingreditur per homines, qui in hac vita terrena facta eius imitantur. Fieri autem nequit, quin inimicissima patienda declinent, qui se in Christi quidem operibus esse confitentur, in diaboli operibus autem versantur. Scriptum est enim: Ne forte te tradat Judici, Judex autem ministro imperii diaboli. Persuasum enim habeo, quod neque mors, quam afferunt ei, qui persequuntur; neque vita, quae hic agitur; neque angeli, qui defecerunt, neque principatus (Satanae autem principatus est vita, quam eligit: tales enim sunt, qui sunt ex eo principatus et potestates tenebrarum), neque praesentia, in quibus sumus tempore huius vitae, ut spes quidem militis, lucrum mercatoris; neque altitudo, neque profunditas, neque aliqua alia creatura, secundum vim agentem homini propriam resistit fidei eius, qui suo agit arbitrio. Creaturae autem nomen tribuitur cognominatum operationi, ut quae opus sit nostrum; talis igitur operatio non poterit nos separare a caritate dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro. En habes summam martyris gnostici.

Scimus autem, quod omnes habemus cognitionem communem, quae in communibus cernitur, et illam, unum esse deum. Scripsit autem Apostolus ad fideles, quamobrem adiicit: Sed non est in omnibus cognitio, quae traditur in paucis. Hanc quidem, quae in paucis est, cognitionem recte oportet intelligamus. Pertinet enim ad eorum continentiam, quos quum summa eis credita sit dispensatio, purum decet et nulla labe pollutum praebere exemplar discentibus. Qui enim perfectus est, habet duplicem iustitiae fructum, qui quum actione tum contemplatione complectur. Uterque autem ita describitur: Benedicite eis, qui persequuntur, benedicite et nolite exsecrari! Gloriatio enim nostra haec est: testimonium conscientiae nostrae, quod in sanctitate et sinceritate deum cognovimus; hac parva occasione opus ostendentes caritatis, quod non in sapientia

carnali, sed in gratia dei conversati sumus in mundo. Communem autem fidei doctrinam Apostolus odorem cognitionis vocavit. Sed sunt etiam quibus in hodiernum usque diem idem velum in lectione veteris Testamenti manet, non revelatum conversione ad Dominum, qui vivunt adhuc libidinose. Manifestum est autem multis ex locis, ab Apostolo et iustorum Veteris Test., et nostram salutem intelligi in Christo unam eandemque. Quapropter in V. T. etiam eadem, atque nostra, de martyrio doctrina occurrit. Et praemium quidem ita laudatur: Visi sunt in oculis insipientium mori, et reputata est vexatio eorum exitus, et a nobis discessus, contritio: illi vero sunt in pace. Etenim si in oculis hominum suppliciis affecti fuerint, spes eorum plena est immortalitatis. Deinde vero gloriosam martyrium esse purgationem ita docet. Et in paucis castigati magnis afficientur beneficiis, quoniam deus tentavit eos, h. e. ut eos probaret, pudore autem afficeretur Tentator, eos tentari sivit. Atque martyres quidem Vet. Test. et eiusdem dei martyres esse, et eiusdem perfectionis et eiusdem praemii, praeclare etiam docet Clemens Apostolus (Apostolorum discipulus). Itemque gnosticum nostrum, cuius tota vita est martyrium, nostro prorsus modo describit, duplex illud gnostici et docendi et faciendi, quae sunt Domini, munus exponens. Significat etiam cognitionem cum abstinentia a malis et cum bonorum operatione, quae perficiatur opere ac sermone. Martyrii porro utilitatem non esse privatam ostendit atque separatam, sed communem. „Decora et casta vis nostrae benignitatis ex sententia Clementis (Romani) quaerit id, quod est communiter utile,“ sive martyrium patitur, sive docet opere et sermone eoque duplici: non scripto, et scripto. Haec est caritas: diligere deum et proximum. Et profecto caritas debet esse martyrii causa efficiens, movens minime vero odium in Creatorem. Quamobrem Apostolus Paulus: Si corpus meum, inquit, tradidero, caritatem autem non habeam, sum aes resonans et cymbalum tinniens. Nisi affectione electa, inquit, caritate gnostica martyrium passus fuero, sed propter metum forte et spe exspectatae mercedis labra movens ad testimonium fuero confessus Dominum: homo sum communis, Dominum resonans, non cognoscens. Caritas enim iam prioris Test. metus locum obtinet. Differt igitur id quod metu factum est quam maxime ab eo, quod fit caritate. Itaque praemia etiam diversa: gnosticum quidem, qui caritate agit, ea manent, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis as-

cenderunt; ei autem, qui solummodo credidit agitque metu, parata sunt centum partibus plura, quam quae reliquit[1]).

Sed huius perfectionis, quae est caritatis, et marem et feminam participes esse posse etiam Clemens (Romanus) censet, qui ex veteri Test. exempla inducit et viros et mulieres dei caritatis plenos. Sunt vero e gentibus multae mulieres et castitate et fortitudine admirabiles, quarum historiam accuratissime novimus[2]). Atqui fieri non potest, quin vel vir vel mulier docti sint de ulla re, nisi fuerint disciplina usi, meditatione, exercitatione. Virtutem autem non in aliis, sed vel maxime sitam esse in nobismetipsis dicimus. Itaque alia quidem arcere quis potest bello gerendo, quod autem in nobis est positum id nequaquam, nec si maxime quidem institerit. Est enim donum divinitus datum, quod nulli cuipiam alii subiicitur. Unde intemperantia quidem non alterius videri queat malum, quam eius, qui se gerit intemperanter; contraque temperantia eius bonum, qui sibi temperare potest.

Jam vero in matrimonio quoque, quod neque divitiis neque pulchritudine unquam erit felix, sed virtute, et mulieris et viri, uxoris, mariti idem summus finis: ipsorum sanctificatio et salus. Itaque alteruter, si fieri potuerit, libentissime erit cum Apostolo in laboribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.

Perfici autem possunt singuli singulis virtutibus. At vero omnibus simul absolutus ac perfectus nescio an ullus sit, quamdiu est homo, nisi is solum, qui propter nos induit hominem. Quamquam secundum nudam Legem, qui a malis abstinet, is iam erit perfectus. Sed haec quidem via est duntaxat ad Evangelium et ad bene faciendum. Legalis autem hominis perfectio gnostica est Evangelii susceptio. Ita enim praedixit is, qui erat ex Lege, Moyses, audiendum esse, ut accipiamus ex Apostoli sententia, Christum Legis plenitudinem. In Evangelio autem Lex omnino intelligitur. Attamen qui vitam ad Evangelii mandata conformaverit, rectissime confessus caritate martyr fiat: neque hic quidem, quamdiu in carne versatur, perfectus vocetur; sed perfecto caritatis opere ostenso, quum hinc migraverit beatus, iure perfectus dicatur, ut sublimitas potestatis sit dei, et non ex nobis. Sunt autem ad beatum hunc finem assequendum gnosticae exercitationis instituenda praeexer-

---

[1]) p. 605—617.

[2]) Narrantur deinceps res gestae omnium mulierum e gentibus, quae aliquanta apud veteres fama ac gloria fruuntur.

citamenta, quae vocant, in omnibus vitae temporibus. Sed secundum Apostolum prophetac quidem perfecti sunt in prophetia, iusti in iustitia, martyres in confcssione, alii in praedicatione, non expertes quidem virtutum communium, sed praeterea eis, ad quae sunt ordinati, excellentes. Quis enim sanac mentis, prophetam non esse iustum dixerit? Sed unusquisque habet proprium donum a deo; hic quidem sic, ille vero sic: Apostoli autem fuere pleni ac perfecti in omnibus. Sciendum est autem, Pauli epistolas, quamvis ipse Apostolorum sit novissimus, tamen ex vet. Test. prorsus pendere, hinc spirantes ac loquentes. Nam fides in Christum et Evangelii cognitio Legis est expositio ut adimplctio. Ideoque dictum cst Hebraeis: Nisi credideritis, non intelligetis: hoc est, nisi ei credideritis, qui per Legem praedictus est et a Legis oraculo significatus, non intelligetis vetus Testamentum, quod ipse propria exposuit praesentia[1]).

Intelligens autcm et perspicax, his est gnosticus. Est ergo opus eius non quidem abstinentia a malis, (haec enim gradus est ad summum profcctum); neque bonum propter mctum factum, neque propter spem promissi honoris: sed sola beneficentia propter caritatem et propter ipsum honestum a viro gnostico expedenta est. Utilitatis causa nihil petit gnosticus; contemplationis causa sufficit ei sola cognitio. Quinetiam dicere ausim, non eo, quod salvus vclit esse, cognitionem ab eo iri electum. Intelligentia autem continua exercitatione fit perpetua intelligentia. Semper autem intelligere gnostici essentia cst; perpetua contemplatio manet viva substantia. Quamobcausam si quis κατ' ὑπόθεσιν gnostico proposuerit, utrum dei cognitionem, an salutem aeternam maluerit, — sint autem ea, quae omnino sunt coniuncta, separata: — nihil prorsus dubitans elegerit dei cognitionem, proptcr se iudicans expetendam esse illam, quae fidem transcendit caritate ad cognitionem, proprictatem. Nec vero gnosticus nunc honeste agit propter honestum, alias aliter, sed honcste faciendi habitu ornatus est. Erga iustos et iniustos iustus est et bonus. Huismodi autem hominibus dicit Dominus: Estote perfecti, sicut pater vester perfectus est. Gnostico autem mortua est caro, vivit ipse solus, ut qui sepulchrum (corpus) in sanctum templum Domino consecraverit. Jam non est continens tantum, sed, divinam formam induturus, ad habitum pervenit τῆς ἀπαθείας. Qui habitus mox fit altera natura. Tum

[1]) p. 617—625.

vero nihil odit eorum, quae sunt. Gnosis enim etiam eos diligit, qui ignorant; docet et erudit omnem honorare dei omnipotentis creaturam. Virtutem autem parit, quae nullo potest modo amitti, nec vigilando, nec somniando, nec ulla visione. Propterea certe Dominus praecipit, ut vigilemus, ut anima nostra ne in somnis quidem unquam perturbetur; vitam etiam nocturnam puram nos tueri iubet et sine macula. Sic enim nosmetipsos pro viribus deo assimilabimus, si mentem in sua eadem ad easdem res affectione constanter servaverimus, ut mentis et operum et cogitationum et sermonum sit sinceritas. Est autem sufficiens, ut equidem opinor, homini purgatio: perfecta ac stabilis poenitentia, qua postea intelligentes mentem tollimus tam ab eis, quae sensibus nos delectant, quam prioribus delictis. Quodsi vocis ἐπιστήμης (scientiae) danda est etymologia, ἀπὸ τῆς στάσεως (ex statione, i. e. quiete) repetenda est explicatio, quoniam mentem nostram, quae antea alias aliter ferebatur, in rebus sistit. Similiter πίστεως etymologia significat animae nostrae περὶ τὸ ὂν στάσιν. Hac quiete iustus stat in omnibus et periculis et persecutionibus, nihil extimescens, nihil sperans; quamquam spes, quae bona post mortem exspectat, a philosophis quoque agnita, non est improbanda. Nec vero gnosticus unquam considerat, lucrumne aliquod utile consequatur delectationemve, sed caritate tractus in eum, qui vere est amabilis, et ad id, quod fieri oportet adductus, pius est dei cultor. Nihil igitur unquam inhoneste ageret, quamvis sine poena fieri posset, quamvis etiam cum praemio, quamvis deum lateret[1]).

Sed, ut hoc iterum dicam, res creatae per se non sunt malae, quibus gnosticus utitur cum temperantia; melius est autem, ut quis per dei assimilationem evadat impatibilis et virtute praeditus. Qui vero prorsus a rebus creatis abstinere volunt, hi nondum ideo amplectuntur immortalia; nam declinatio a rebus, quae sub sensus cadunt, haud quidem simul est coniunctio cum eis, quae mente percipiuntur; at contra, coniunctio cum his statim fit declinatio ab illis; sed ita, ut homo gnosticus admiretur quidem generationem et creatorem sanctificet, una tamen sanctificet eam, quae fit deo, assimilationem. Sed ego me liberabo, inquiet, a cupiditate, o Domine, ut mihi tecum intercedat coniunctio; pulchra enim est, quae utique creata est, dispensatio, omnia recte administrantur, nihil fit sine causa. In tuis me esse oportet, Omnipotens, et licet hic fuerim, sum apud te;

---

[1]) p. 625—630.

sed volo expers esse metus, ut ad te possim appropinquare, et paucis etiam contentus, tuam imitans iustam electionem, quae bonos a similibus discernit, non quidem bona, reiectis malis, eligens, sed omissis bonis, meliora. Et sic quidem fieri potest, ut vir gnosticus iam deus evaserit. Ego dixi: dii estis et filii altissimi. Sed est duplex hominis perfectio, altera naturae, liberi arbitrii (et gratiae) altera. Et prior quidem est in quovis homine ut homine, alteram assequi debet virtute. Quodsi vetitum elegerit ideoque ad alteram perfectionem beatam non pervenit: huius rei culpa non cadit in deum, sed in ipsum eligentem. Moralis autem hominis perfectio — nam haec est altera, — differt a dei perfectione, qui omnino nequit pati, neque etiam erit vel metuens, vel temperans, vel ullis perturbationibus imperans, quarum nullo modo ne ut tentationum quidem particeps esse potest. Deus non liberatur a perturbationibus, ut qui nullas habeat; nos vero ut liberemur, enitendum. Patibilitas est autem in quovis genere perturbationis sive cupiditatis, qua quodammodo distrahitur homo. Quodsi patiendi natura magis magisque solvitur, deus fit et unicus. Quemadmodum ergo qui in mari ab ancora stabiliuntur, trahunt quidem ancoram, nec vero ipsam attrahunt, sed seipsos ad ancoram: ita qui vita gnostica deum attrahunt, quamvis non advertant, seipsos ad deum adducunt. Qui enim deum colit, seipsum colit.

Jam vero illud in nostra est potestate: philosophari, aut non philosophari; credere, aut non credere. Attamen alterum laus sequitur, alterum vituperatio. Remittuntur autem a Domino, quae facta sunt ante fidem, non ut facta non sint, sed ut sint tanquam non facta. Quamquam Basilides sola remitti dicit involuntaria et inscienter facta, perinde quasi homo aliquis, non deus, tantum praeberet donum! Exsistimasti, ait Scriptura, o impie, quod ero tui similis! Poena autem iuvat peccatorem, ut non peccet amplius. Sed bonus deus castigat propter has tres causas: primum quidem, ut castigatus seipso melior evadat; deinde, ut ei, qui possunt fieri salvi, exemplis praeparentur admoniti; tertio, ne is, qui iniuria afficitur, contemptui habeatur aptusque ad iniuriam accipiendam. Modi autem correctionis sunt duo: docendi alter, alter castigandi. Qui post lavacrum in peccata incidunt, hi castigantur. Quae antea facta sunt, remittuntur. Eum autem, qui deum invisibilem contempletur, ipsum deum quendam esse viventem inter homines, Plato quoque agnovit. Quod autem attinet ad deum contemplandum, deus pater, ut qui (quoad essentiam) demonstrari nequeat, sciri non potest. Filius autem est et sapientia et scientia

et veritas; habet igitur demonstrationem et argumentationem. Atque omnes quidem facultates, quas spiritui tribuimus, simul unum quiddam efficientes, ad idem conficiendum, ad Filinm, conferunt. Infinitus est autem unaquaque facultatum suarum notione. At vero haud prorsus unum est ut unum Filius, neque multa ut partes, sed ut omnia unum, unde etiam omnia. Est enim idem omnium facultatum circulus, ut quae in unum volvantur et nectantur. Itaque Logos etiam dictus est Alpha et Omega, cuius solius finis sit principium, et desinit rursus in id, quod est antea principium, nusquam accipiens distantiam. Quamobrem et in ipsum et per ipsum credere, est unicum fieri, in ipso sine separatione unum factum; contraque non credere, est distare, disiungi et dividi. Et hi quidem, qui non credunt, sunt, qui a proxima cum deo communione arcentur, alienigenae, qui non ingredientur in sancta. Soli enim, qui vitam agunt puram, vere sunt dei sacerdotes. Qua de causa quum omnes tribus circumciderentur, sanctiores reputatae sunt eae, quae in Pontifices, Reges Prophetas ungebantur, quibus etiam multae purgationis leges latae sunt. Munditiam autem et corporis et animae, quam gnosticus persequitur, Moyses, repetitione usus, pulchre significavit corporis et animae incorruptionem, quum de Rebecca dicat: „Virgo autem erat pulchra, vir non cognovit ipsam.“ Rebecca enim exponitur: dei gloria. Atqui dei gloria est incorruptio. Haec est vera iustitia, nolle rei alterius plus quam par sit habere, sed totum esse templum domini sanctificatum. Justitia igitur est vitae pax atque bona stabilitas, ad quam Dominus ablegavit, dum: Abi, inquit, in pacem. Salem porro pax explicatur, cuius pacis Servator noster rex describitur. Melchisedech autem secundum Moysem rex Salem, sacerdos dei altissimi, qui vinum et panem sanctificatum dedit alimentum in typum Eucharistiae. Quinetiam Melchisedech exponitur rex iustus. Eodem autem nomine gaudent iustitia et pax. Et his quidem mysteriis vere nos initiat Servator. Deus autem expers principii, perfectum universorum principium, principii efficiens, quatenus quidem essentia est, principium est loci efficientis; quatenus autem bonum, moralis; quatenus rursus mens, ratiocinantis loci et iudicantis. Unde etiam solus est doctor, solus altissimi Patris Filius, erudiens hominem. Sed a dogmatis ad locum moralem apertiorem quidem revertamur.

Haud igitur recte agunt, qui creaturam insectantur, corpus vituperant, factum illud quidem ad coelum contemplandum, cuius sensus ita sunt comparati, ut ad honestum, non ad voluptatem

vocent. Quare suscipit haec habitatio animam deo pretiosissimam, et Spiritu sancto digna censetur per animae et corporis sanctificationem, ut quae Servatoris perfectione perficiatur. Quinetiam mutua trium virtutum consequentia invenitur in homine gnostico, qui moraliter, naturaliter, logice, quod ad deum attinet, versatur. Quae virtutes sunt: sapientia, rerum divinarum humanarumque scientia; iustitia, partium animae concentus; sanctitas, dei cultus. Sed si s. scriptura de hominibus carnalibus loquitur, hi quidem non sunt, qui corpus conservant, sed qui in peccatis volutantur. Praestantiorem quidem hominis partem animam esse, deteriorem autem corpus, constat. Nec vero anima bonum est natura, neque corpus natura malum. Ex diversis consistit homo, non ex contrariis. Semper ergo bonae actiones, ut meliores, attribuuntur ei, quod est praestantius, spiritui principali; voluptariae autem et peccantes ei, quod est deterius, spiritui peccanti. Jam vero sapientis et gnostici anima, ut quae in corpore peregrinetur, hoc quidem, nullam nimiam affectionem unquam admittens, severe utitur et austere; nec tamen ideo peregrina dicitur anima, quasi natura sit ὑπερκόσμιος, uti Basilidi placet; namque unius dei sunt omnia, et haec quidem natura una sunt essentia (quoad creationem), unus autem deus (solus ὑπερκόσμιος). Sed electus vitam agit tanquam hospes, et corpore velut deversorio in via utitur; et habitationem autem et possessionem et usum statim relinquit, prompto et alacri animo eum sequens, qui e vita abducit, de habitatione quidem gratias agens, benedicens autem propter exitum, coelestem amplectens mansionem. Magis enim, ait Apostolus, volumus peregrinari a corpore et apud deum versari. Imo hoc ipsum probant poetae. Neque igitur huc de coelis anima ad ea, quae sunt deteriora, demittitur; deus enim omnia agit ad meliora; sed ea, quae vitam elegit optimam ex deo et iustitia, cum terra commutat coelum. Deus etiam ut veteris Testamenti auctor a prophetis praedicatur omnipotens ac bonus, qui nihil facit absurdum; non est enim apud deum iniustitia. Deum igitur imitari oportet gnosticum. Quare poetae etiam mihi quidem videntur electos appellare: deiformes, et dios, et deo aequales, et consilio Jovi pares et quorum similis prudentia divis, et deo similes, illud: ad imaginem et similitudinem, quasi arrodentes.

Ego autem Christi spiritum oraverim, ut me in mea evolantem faciat Hierosolyma. Dicunt enim Stoici quoque, coelum quidem proprie esse civitatem, quae autem hic sint in terra, eas non esse civitates. Res enim bona est civitas, et populus urbanus aliquis

coetus et hominum multitudo, quae regitur lege, sicut ecclesia a Logo, quae quidem civitas est, quae nec circumsederi potest nec opprimi tyrannide, divina in terra voluntas, sicut in coelo. Huiusce autem civitatis imagines poetae quoque scriptis suis condunt. Hyperboreae enim et Arimaspiae civitates et campi Elysii sunt iustorum respublicae. Scimus autem Platonis quoque civitatem esse propositam in coelo ut exemplar[1]).

§ 10.

De libri V. argumento.

De gnostico quidem haec hactenus veluti cursim; iam vero fides rursus consideranda. Sunt enim, qui ita distinguant, ut fidem quidem nostram esse de Filio, cognitionem autem de Spiritu dicant. Sed utraque ad idem referuntur alio modo. Fugit enim illos, vere credendum esse Filio, ipsum esse Filium, qui venerit, et quomodo, et propter quid, et de passione; cognoscere autem necesse est, quis sit Filius dei. Nec profecto cognitio sine fide, neque fides sine cognitione. Neque etiam Pater est sine Filio; simul enim cum eo, quod Pater est, Filii est Pater. Filius autem verus est de Patre doctor, et ut credat quis Filio, Patrem noverit oportet, ad quem refertur etiam Filius. Et rursus, ut antea cognoscamus Patrem, Filio credere opus est, quoniam docet illum dei Filius. Ex fide enim in cognitionem venit per Filium Pater. Cognitio autem Filii et Patris secundum veram regulam gnosticam animadversio est et comprehensio veritatis per veritatem. Sed pauci tantum credunt atque cognoscunt. Gnostici vero non sermone opera describunt, sed ipsa contemplatione. Et fides quidem aures sunt animae. Qui habet, ait Dominus, aures audiendi, audiat, ut scilicet, quum crediderit, intelligat ea, quae dicit, ut dicit. Apostolus autem, si, Iustitia, inquit, dei in ipso revelatur ex fide in fidem, duplicem fidem nuntiare videtur, vel unam potius, quae augeri potest ac perfici. Nam communis fides alteri subiicitur tanquam fundamentum. Illa est, de qua dixit Dominus: Fides tua te salvum fecit; altera autem, quae accedit ex disciplina et ratione mandata exsequendi, Apostoli erant praediti, de quibus dictum est: fidem (eorum) montes transmovere et arbores transplantare. Est autem fides animae libero arbitrio utentis rationalis assensio. At vero Basilides naturae donum cognitionem et fidem esse contendit. Quodsi

[1]) p. 630—642.

verum est, supervacanea sunt praecepta et veteris et novi Testamenti, quum natura fiat salvus homo, ut vult Valentinus, et natura sit fidelis et electus, id quod Basilides opinatur. Potuit scilicet ita, credo, sine Domini adventu natura aliquando splendescere. Sin Domini adventus necessarius, evanescit naturae privilegium propter doctrinae, purgationis operumque bonorum necessitatem. Sed Abrahae quoque fides, ut liberi arbitrii fructus, ad iustitiam reputata est. Sin veteris Testamenti iustos secundum Marcionem servari dixeris a Creatore, haereticorum illo, boni dei potestatem obscurabis, ut qui sero atque imitatione salutem praebeat, idque vel vi vel dolo, qua re tollitur ipsa dei bonitas. Sed haeretici manifesto amentes ostensi. Semitae enim eorum sunt perversae et nesciunt pacem. Stultas autem et ineruditas quaestiones vitare, divinitus hortatus docuit Paulus, quoniam generent pugnas. Nam eam quidem, quae una cum fide convenit, quaestionem, quae supra fundamentum fidei aedificat magnificam veritatis cognitionem, optimam esse scimus. Quaestiones autem vel nimis manifestae, vel de eis, quae semper manebunt incertae, vel probabiles aeque ex utraque parte, vel minus certae de fide non admittuntur; sed si quaerendi causa omnibus modis de medio sublata erit, fides stabilitur. Illud autem, contra quod dici non potest, deus est, qui et de unoquoque eorum, de quibus quaero, tradit in scriptis. Quis est ergo adeo a deo alienus, ut deo non credat et, tanquam ab hominibus, a deo demonstrationes postulet? Sunt etiam quaestiones absurdae, aliae quidem sensu prorsus carentes, aliae in animadversionem incurrentes, aliae, quae castigentur, dignae, veluti si quaeratur, num sit Providentia, quae ubique deprehenditur manifesta. Rationis enim sumus participes, ut rationi convenienter etiam vivamus. Neque autem fieri potest, ut sine nostro animi proposito boni perfectionem consequamur, neque totum in nostra positum est potestate; gratia enim servamur, nec vero sine bonis operibus. Oportet autem mentem quoque habere sanam, quae nulla retardetur poenitentia a pulchri venatione, ad quod quidem venandum maxime divina opus est gratia rectaque doctrina, castaque animi affectione atque Patris ad ipsum attractione. Atque terreno corpore illigati, ea, quae sensibus percipiuntur, corpore apprehendimus; quae intelligentia, ipsa vi rationis. Quodsi quis, fore ut omnia sensibus comprehendat, exspectaverit, longe is quidem veritate excidit. Spiritaliter quidem certe Apostolus de dei cognitione scripsit: Videmus enim nunc tanquam per speculum, tunc autem facie ad faciem. Similia dixit Plato. Et Moyses de deo:

Nemo, inquit, videbit faciem meam, et vivet. Manifestum est enim, neminem unquam vitae tempore deum evidenter comprehendere posse. Qui sunt autem mundi corde, deum videbunt, postquam ad extremam pervenerunt perfectionem. Quum autem doctore egeremus divino, demittitur Servator, boni possessionis et doctor et suppeditans, arcanum magnae Providentiae sanctumque signum. Ab hoc igitur sine contentione discendum. Viam deinde veritatis edocti, recta ingrediamur, minime nos convertentes retro, donec, quod desideramus, simus consecuti. Veritatem autem nactis atque credentibus nobis suasit Apostolus, ut fides nostra non sit in sapientia hominum, qui se persuasuros esse profitentur, sed in dei virtute, quae sola et sine demonstrationibus nuda fide salutem dare potest. Attamen nihilominus dicemus, fidem non esse otiosam et solam, sed cum inquisitione ostendere oportere. Neque enim hoc dicimus, quaerere omnino non oportere; Quaere enim, inquit, et invenies. Quam sententiam approbant Plato et Menander. Perspicax enim animae facultas ad inventionem dirigatur necesse est, et impedimenta, maxime moralia, de quibus Timon Phliasius pulcherrime loquitur, removeantur. De deo igitur quaerere, nisi ad litem, sed ad inventionem tendit quaestio, est salutare. Laudabunt Dominum, qui quaerunt ipsum, vivet cor ipsorum in seculum seculi. Qui enim quaerunt vera inquisitione, laudantes Dominum, implebuntur dono a deo, i. e. cognitione, et vivet anima eorum, quoniam Pater per Filium cognoscitur. Nec vero omnibus, qui impudenter ac temere loquuntur atque scribunt, aures praebeamus oportet. Deus autem est caritas, qui cognoscendum se eis largitur, qui diligunt; et deus est fidelis, qui fidelibus traditur disciplina. Cui coniungi ac familiares fieri debemus caritate divina, ut simile contemplemur simili, sine fraude ac pure, puerorum instar, qui nobis obediunt, verbum audientes veritatis. Hoc autem tacite indicabat, quicunque fuit ille, qui inscripsit in aditu templi in Epidauro:

Esse decet castum, sancti qui limina templi ingreditur. —

Castitas autem est: cogitare sancta. Quodsi non facti, ait Dominus, fueritis ut hi puelli, non intrabitis in regnum coelorum. Hic (in terra) enim dei templum tribus cernitur fundatum fundamentis, fide, spe, caritate[1]).

[1]) p. 643–652.

Quum de fide satis expositum sit, iam brevi spem et caritatem percurramus. Socrates igitur in Critone, ipsi vitae praeponens honestam et vitam et mortem, spem aliquam alterius vitae post mortem sese habere exsistimat. Similiter Parmenides. Et profecto, quae mente tantum possunt comprehendi et sunt futura, ea acquirere non valemus, nisi spe. Si quid ergo dicimus esse iustum, si quid honestum, si quid denique veritatem esse dicimus: ex his nihil oculis unquam vidimus, sed sola mente. Logos autem dei, Ego sum, inquit, veritas; est ergo Logos mente contemplandus. In Phaedro autem Plato veritatem declaravit esse ideam. Idea autem dei cogitatio est, quam barbari dixerunt dei Logon. Logos autem progressus, opificii causa est et creationis; deinde autem seipsum generat quando Logos caro factus est, ut etiam cadat sub adspectum. Justus ergo quaeret inventionem, quae oritur e caritate, ad quam prospere contendit. Pulsanti enim aperietur. Qui regnum rapiunt sunt violenti, non contentiosis sermonibus, sed rectae vitae assiduitate, et precibus, quae fiunt sine intermissione. Sed ignorationis animadversio prima est disciplina ei, qui secundum Logon ambulat. Quum ignorasset aliquis, quaesivit; quum quaesiisset, invenit doctorem; quum invenisset, credidit; quum credidisset, speravit, quumque hinc dilexisset, dilecti similis efficitur, quod prius dilexit, hoc esse, studens. Hanc rationem Socrates secutus est; ad hanc spectant prudentium virginum lampades, quae noctu sunt accensae in densis tenebris, quas per noctem innuit scriptura. Prudentes animae, mundae ut virgines, quum se in huius mundi inscitia positas esse intelligant, lumen accendunt, mentem excitant, ignorantiam expellunt, quaerunt veritatem adventumque doctoris exspectant. Verumenimvero neque cognitionem neque fidem omnium esse et Apostolus dicit et indicant philosophi. Est enim vulgus quoddam, quod demonstrationem postulat tanquam veritatis pignus, nuda, quae est ex fide, salute non contenti. Nostra autem esse probabilia et, quae credantur, digna, si sequentem sermonem diligenter perpenderint, Graeci cognoscent. Responde stulto, ait Salomon, secundum stultitiam eius. Graecorum sapientiam et nos exhibebimus, ut familiaribus ad fidem ducantur. Non Judaeorum solum deus est, sed etiam gentium; imber divinae gratiae super iustos et iniustos demittitur [1]).

---

[1]) p. 652—656.

Quae igitur Graeci habent, ea sunt nostra, a bono deo, cuius sunt omnia bona, profecta. Et primum quidem sapientiam, vel iustitiam, non veritate, sed delectatione vulgus plerumque metitur. Maxime autem eis delectatur, quibus ipsum est simile. Itaque arcetur etiam apud Aegyptios ab adytis, apud Hebraeos a velo, ubique a mysteriis. Non mundo mundum tangere Platoni quoque videbatur nefarium. Expiatione igitur opus et purgatione. Apud Aegyptios hac de causa multis ac variis disciplinis demum ad mysteria pervenitur[1]). Omnes ergo, ut brevi dicam, tam barbari, quam Graeci, rerum quidem principia occultaverunt; veritatem autem aenigmatibus, symbolis, allegoriis, metaphoris, talibusque quibusdam tropis tradiderunt, qualia sunt apud Graecos oracula. Quapropter Apollo Pythius appellatur Λοξίας, i. e. obliquus. Quo pertinent etiam septem sapientium brevia dicta, quae continent significatione multa. Velut illud: Nosce teipsum! plurima indicat: te esse mortalem, hominem natum, divitiis gloriaque te haud fieri meliorem; vel etiam: ad quid, inquit, natus sis, cognosce, et cuius sis imago, et quaenam tua sit essentia, et qualis creatura, et quaenam cum deo communio et affinitas, similiaque. Quid ergo? Per Jesaiam prophetam Spiritus: Dabo tibi, inquit, thesauros tenebrosos, occultos; dei autem thesauri et divitiae non deficientes sunt sapientia, venatu ea difficilis. Sed poetae etiam multa philosophantur modo arcano, Orpheus, Linus, Musaeus, Homerus, Hesiodus, quibus velum est poetica delectatio. Somnia et symbola a deo quidem hominibus data sunt, nec vero invidia, quod dicere nefas, sed ut aenigmatis ad veritatem inveniendam recurrant. Verumenimvero totam s. scripturam in parabola esse dictam, aperte in Psalmis scriptum est: Audite, populus meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum, loquar propostitiones ab initio. Et Apostolus: Loquimur, inquit, dei sapientiam in mysterio absconditam, quam praefiniit deus ante secula in gloriam nostram, quam nullus ex principibus huius seculi cognovit. Et alio loco: Praedicamus, ut scriptum est, quae oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis non ascenderunt, quae praeparavit deus eis, qui ipsum diligunt. Nobis enim revelavit deus per Spiritum. Spiritus enim

[1]) Hoc loco singulae disciplinae, quibus apud Aegyptios ad arcana veniebatur, enumerantur exemplisque illustrantur.

omnia scrutatur, etiam profunda dei. Spiritalem enim et gnosticum novit esse sancti Spiritus discipulum, cui deus suppeditat, quid sit Christi sensus. Animalis autem homo non suscipit ea, quae sunt spiritus; sunt enim ei stultitia. Ab hoc vero cognitionis fastigio, ab hac gnostica perfectione, Apostolus distinguit fidem communem, quam alias vocat fundamentum, alias etiam lac, quo tantum fruantur, qui sint carnales. Sed qui divina cogitant, hi sunt gnostici cibi participes. Fides est fundamentum, supra quod aedificantur gnostici thesauri: aurum, argentum, lapides pretiosi. Haereses autem huic fundamento imponunt stipula, ligna, foenum. Illa igitur cognitionis dona aperte litteris scribi non poterant.

Jam vero symbola Pythagorica ac similitudines pendent ex barbara philosophia. Huiusmodi sunt: Domi ne habeas hirundinem! Qui surgunt e cubili, conturbent stragula! Super terram non est navigandum! Ne gestentur annuli, neve deorum imagines eis insculpantur. Quae omnia ex sacra scriptura optime explicantur[1]). Ad ultimum quidem quod attinet, Moyses multis ante seculis lege sanxit aperte, ne quis sibi faciat imaginem vel sculptilem, vel fusilem, vel fictam, vel pictam, ut, quae sensibus percipiuntur, ea minime attenderemus, sed transiremus ad ea, quae intelligentia comprehendi possunt. Ut enim dei maiestas vilis fiat et contempta, efficit frequens videndi consuetudo; essentiam autem, quae mente intelligitur, materia colere, idem est, atque dedecore eam afficere. At vero sunt, qui deum colentes, facta coeli effigie, quae astra complectitur, eum adorant. Sed dei effigiem habemus in homine. Faciamus, ait Scriptura nostra, hominem ad imaginem et similitudinem nostram; quam sententiam Eurysus Pythagoreus manifesto pluribus verbis exponit in opere De fortuna. Ad summam autem Pythagoras cum discipulis suis et Plato maxime ex philosophis usi sunt legislatore (Moyse). Unde Graeca quidem philosophia similis est splendori ex lampade, quam homines, lucem artificiose a sole furati, accendunt. Logo autem praedicato, universa lux illa sancta eluxit, qua tota nox illuminatur tanto sole lucis, quae mente comprehenditur. Summam etiam eorum, quae a Moyse dicta sunt de iustitia, Pythagoras, Stateram non esse transiliendam, dicens fecit. Quae summa est: non praetergrediendam esse aequalitatem, id quod

---

[1]) Nonnulla reapse explicantur, quae tamen, quum nihil habeant cogitationum incrementi, omit timus. —

Apostolus probat, nullum esse in Christo servum, vel liberum, vel Graecum, vel Judaeum, scribens. Nova est enim creatura, quae est in Christo, contentione et avaritia vacua, et iusta aequalitas. Prodici Cei porro fabula de virtute et vitio manavit sine dubio a s. scripturae doctrina de duabus viis, una arta et angusta, contracta praeceptis et vetitis; altera lata et spatiosa, in quam voluptatibus et irae liber est aditus. Itaque Pythagoras, discipulos ingredi via regia iubet. Sed multa praeterea a philosophis et poetis symbolis et similitudinibus, sacram Scripturam secutis, dicuntur[1]).

Aenigmatum autem modus universarum proprius et quasi privatus Scripturarum s. s. est. Pauca quaedam exempla sufficiant. — Afferuntur igitur exempla, quae tamen referre supervacaneum esse arbitror. Clemens enim interpretatur allegorice, ut dicimus, symbola et ornamenta templi veteris ac sacerdotii. E paucis pauca eligam. — Candelabrum in australibus partibus thuribuli situm erat, quo declarati sunt motus septem luminarium, quae australes faciunt conversiones. Ex utraque enim parte candelabri tres inserti sunt rami et in ipsis lucernae, quoniam sol quoque, tanquam candelabrum, collocatus in medio aliarum errantium, et eis, quae sunt super ipsum, et eis, quae sunt sub ipso, divina quadam musica lucem indit. Habet autem aliud quoque aenigma aureum candelabrum, signi Christi, non figura sola, sed eo etiam, quod lucem immittit multifariam multisque modis in eos, qui in ipsum credunt, sperant, respiciunt, eorum ministerio, quae sunt primo creata. Dicunt autem esse septem oculos Domini septem spiritus, requiescentes in virga, quae floret ex radice Jesse. Quae autem de sancta arca narrantur, significabant mundum, qui, vulgo occultus et occlusus, mente percipitur, ad quem etiam Cherubim spectare videntur. Utrum autem ogdoas et mundus, qui mente comprehenditur, an etiam ipse, qui superat omnia et complectitur, estque expers figurae neque cadit sub adspectum, deus sit, in praesentia differatur iudicium. Ceterum Cherubim non sunt effigies compositi alicuius in coelo animalis, quod ita se habeat. Est autem facies eorum symbolum animae ratione praeditae; alae sunt ministeria et operationes sublimes, dexterarum simul et sinistrarum potestatum. Vox porro gratae mentis est gloria in contemplatione sine fine. Pileus aureus autem Pontificis significat regalem Domini potestatem, siquidem caput ecclesiae est Ser

[1]) p. 656—664.

vator. Signum certe principalis imperii est pileus capiti impositus; et alioqui audivimus: Et Christi caput est deus et pater Domini nostri Jesu Christi. Quemadmodum autem Dominus est supra mundum universum, atque adeo ultra mundum, qui mente percipitur, ita etiam nomen, quod inscriptum est in lamina, dignum fuit habitum, quod esset super omnem principatum et potestatem. Inscriptum est autem, ut significaret praecepta mandata litteris et praesentiam sensibus subiectam. Et nomen quidem dei dictum est, quoniam, sicut Filius adspicit bonitatem Patris, ita agit Deus Servator, universorum vocatus principium, quod ex deo quidem, qui videri non potest, imago effectum est primum et ante secula. Formavit autem omnia, quae post ipsum facta sunt[1]).

Similiter igitur Aegyptii mysteria mystice tradunt. Variis enim bestiis et signis dei indicant virtutes et hominum. Nec vero Aegyptii solum, sed etiam alii barbari symbolicum genus aemulati sunt. Idanthuram certe, Scytharum regem, Pherecyde Syrio teste, Dario, qui Istrum traiecerat, bellum minaturum, pro litteris misisse symbolum narrant, murem, ranam, avem, iaculum, aratrum. Id quod recte interpretatus est Xiphodes hoc modo: nisi tanquam aves evolaverimus, vel tanquam mures terram, vel ranae aquam subierimus; tela eorum non effugiemus; non sumus enim regionis Domini. De Anacharsi quoque symbola memoriae prodita sunt. Sed ipsi Graeci et philosophi et poetae usi sunt eiusmodi occultatione, et hoc quidem quum verborum ope tum signorum[2]). Genus autem symbolicae interpretationis ad multa est utilissimum, ut quod et conferat ad rectam theologiam, et ad pietatem, et ad iudicandam ingenii solertiam, et ad brevitatis exercitationem, et ad sapientiam ostendendam. Qnamobrem apposite dicit Didymus Grammaticus: Sapientis esse dictione symbolica uti et declarare id, quod eadem significetur. Iam puerorum doctrina, quae versatur in elementis, complectitur quattuor elementorum interpretationem, ut ex poetis et aliis scriptoribus abundanter potest dici[3]). Sed innumerabilia inveniemus tam apud philosophos, quam apud poetas dicta per aenigmata, siquidem toti libri indicant abditam scriptoris voluntatem, cuiusmodi est liber Heracliti de natura, qui etiam propterea appellatus est obscurus. Huic autem libro similis est quoque Pherecydis Syrii theologia. Euphorion enim poeta et

---

[1]) p. 664—670.

[2]) Hoc quidem multis exemplis illustratur.

[3]) Demonstratur id etiam multa addita eruditione.

Callimachi Causae et Lycophronis Alexandra horumque similia sunt quasi exercitationis causa ad explicandum proposita omnibus Grammaticis. Nihil ergo est praeter consuetudinem convenientem, si barbara philosophia, qua de nunc agimus, occulte praedicat et per symbola. — Hoc loco sequuntur nonnulla allegorice exposita a S. Barnaba. Deinde pergit ipse s. scripturam isto modo interpretari, velut illum locum, quem iam transscribam. — Gloriose magnificatus est, equum et ascensorem deiecit in mare; concupiscentiam multiplicem et beluinum atque impetuosum affectum una cum eius auriga, qui habenas voluptatibus remiserat, in mare proiecit, in mundi scilicet deiiciens perturbationes. Ita etiam Plato in libro De anima et aurigam et equum, qui defecerat, i. e. partem rationis expertem, quae dipartito dividitur, in iram et cupiditatem, dicit decidere. Huc etiam pertinet illa de Phaëthonte fabula. Allegorice etiam narratio de Joseph, filio Jacob, explicari potest. Sed iam illud consideremus: Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui, Israel autem me non intellexit. Ne quis igitur ex eis (e populo Dominum non intelligente), quum inciderit in cognitionem a te doctam nec possit continere veritatem, non obediat, néve excidat: sis cautus in usu verbi; coram eis, qui praeter rationem accedunt, occlude fontem in profundo viventem, potum autem praebe eis, qui sitierint veritatem. His vero, qui cognitionis altitudinem accipere nequeunt, tege lacum. Dominus autem lacus, ipse quidem gnosticus, mulctabitur, ut in quem culpa conferatur, quod ille fuerit offensus et verbi magnitudine absorptus, parvi verbi adhuc capax, vel quod operarium hominem traduxerit ad contemplationem, qua occasione eum a fide sponte suscepta abduxerit[1]).

Sed nimio quodam demonstrandi studio, plusquam par sit, progressus esse videor. Vita enim me deficiet, eos omnes, qui symbolice philosophantur, recensentem. Memoriae igitur causa et brevitatis, et ut homines ad veritatem se intenderent, talia barbaricae philosophiae sunt scripta. Accedit autem, quod omnia, quae velamento quodam ostenduntur, maiorem et augustiorem exhibent veritatem, quaemadmodum fructus, qui in aqua pellucent, et formae, quae per tegumenta concedunt aliquam sui evidentiam. Quodsi pluribus modis scripta licet accipere, sicut certe accipimus, fallitur quidem indoctus et imperitus, comprehendit autem gnosticus. Jam igitur nec quibuslibet volunt omnia exponi temere, nec communicari bona

---

[1]) p. 670—679.

sapientiae, eis, qui ne in somniis quidem sunt anima purgati (neque enim, quibusvis obviis ea, quae tot certaminibus parata fuere, exponere fas est), neque profanis narrare Logi mysteria. Hiparchum Pythagoreum, eo quod aperte scripsisset Pythagorae decreta, expulsum fuisse aiunt e schola, et ob id ipsum columnam ei tanquam mortuo impositam. Quapropter etiam in barbara philosophia vocant mortuos illos, qui exiderunt a dogmatis mentemque subiecerunt animae perturbationibus. Praeter Pythagoreos autem et Platonem Epicurei etiam, quinimo Stoici habent arcana quaedam. Aristotelei quoque ex scriptis suis alia dicunt esse ἐσωτερικά, i. e. interna, alia vero communia et ἐξωτερικά, i. e. externa. Quinetiam ei, qui mysteria instituerunt, quum essent philosophi, dogmata sua obscuraverunt fabulis, ut non essent manifesta omnibus. Nec vero singula allegorice erunt exponenda, sed ea tantum, quae ad generalem spectant sententiam. Atque haec certe inveniemus significari symbolis sub velo allegoriae. Huc spectant duo Pythagoreorum ordines; huc etiam fortasse Peripateticorum duplex orationis genus, quod dicunt ἔνδοξον et ἐπιστημονικόν.

Est autem perfectis quoque aliqua discenda doctrina, de qua scribit Apostolus ad Colossenses: N o n c e s s a m u s p r o v o b i s o r a r e, u t i m p l e a m i n i a g n i t i o n e v o l u n t a t i s e i u s, i n o m n i s a p i e n t i a e t i n t e l l e c t u s p i r i t u a l i, u t a m b u l e t i s d i g n e d e o, p e r o m n i a p l a c e n t e s, i n o m n i o p e r e b o n o f r u c t i f i c a n t e s e t c r e s c e n t e s i n c o g n i t i o n e d e i, o m n i v i r t u t e c o n f i r m a t i s e c u n d u m p o t e n t i a m g l o r i a e e i u s. Et alio loco d e m y s t e r i o loquitur a b s c o n d i t o a s e c u l i s, q u o d i a m m a n i f e s t a t u m s i t s a n c t i s. Itaque alia mysteria abscondita fuerunt in vet. Testamento usque ad Apostolos et tradita ab ipsis ut a Domino acceperunt. Aliud vero sunt d i v i t i a e e t g l o r i a e m y s t e r i i i n g e n t i b u s, fides et spes in Christum, quem etiam f u n d a m e n t u m appellat; aliud cognitio, quam aperire cupiens Apostolus scribit: A d m o n e n t e s o m n e m h o m i n e m i n o m n i s a p i e n t i a, u t e x h i b e a m u s o m n e m h o m i n e m p e r f e c t u m i n C h r i s t o. Non omnem hominem absolute, quoniam, si ita se haberet, nemo iam esset infidelis; imo ne omnem quidem, qui credit, p e r f e c t u m vocat i n C h r i s t o; sed o m n e m dicit h o m i n e m, perinde ac si diceret, t o t u m hominem, utpote purgatum corpore et anima. Docet autem multis locis aperte, c o g n i t i o n e m n o n e s s e o m n i u m. P e r f e c t o r u m enim e s t s o l i d u s c i b u s, q u i p r o p t e r h a b i t u m h a b e n t s e n s u s e x e r c i t a t o s a d d i s c r e t i o n e m b o n i e t m a l i. Quocirca d i m i t t e n t e s i n i t i i

Christi sermonem, ad perfectionem feramur. Similiter, Barnabas, Apostoli socius: Simplicius, inquit, vobis scribo, ut intelligatis. Et alias: Benedictus Dominus noster, qui sapientiam et intelligentiam posuit in nobis occultorum suorum. Dicit enim Propheta: Parabolam Domini quis intelliget, nisi sapiens et sciens, et diligens Dominum suum? Quae capere paucorum est. Qui autem non habet boni cognitionem, est malus, quoniam unus est bonus, Pater; Patrem vero ignorare, mors est, ut nosse, vita aeterna, eius potestatis participatione, in quam non cadit interitus; non interire autem est participem esse divinitatis. Sed Prophetae quoque de absconditis et occultis loquuntur, quae olim fuerint, iam vero sint manifesta. Propterea disciplina nominata est illuminatio, ut quae occulta et tenebricosa illuminaverit et manifesta fecerit, solo Domino nostro doctore arcae operculum aperiente, dum Iovem bonorum dolium obturasse, malorum autem aperuisse narrant poetae. Scio quod veniens ad vos, ait Apostolus, veniam in plenitudine benedictionis Christi. Spiritale donum (traditionem gnosticam eis praesentibus praesens, quae epistola significari non poterat, cupit impertire), plenitudinem Christi vocans, per revelationem mysterii, quod aeternis temporibus fuerat tacitum, nunc autem fuit manifestatum etc. Quae quum ita sint Plato quoque: Dicendum est, inquit, tibi per aenigmata, ut si quid huic tabellae vel mari vel terra acciderit, qui legit non intelligat. Maxima autem huius rei custodia est: nihil scribere, sed addiscere. Sapientiam, ait Apostolus, loquimur inter perfectos. Quodsi etiam de lacte et cibo loquitur, illo infantium, hoc vero perfectorum alimento: lac quidem intelligetur catechesis, cibus autem contemplatio ἐποπτική, quae est ipsa caro et sanguis Domini, h. e. comprehensio divinae potentiae et essentiae. Hoc mysterium Plato etiam indicat. Apostolus autem: Et pascha, inquit, nostrum immolatus est Christus; rarum vere sacrificium est Filius dei, qui pro nobis sanctificatur[1]).

Sacrificium autem deo acceptum est separatio a corpore eiusque perturbationibus, quam non sequitur poenitentia. Qui enim, sensibus res percipientibus, pura mente manet, is veram persequitur philosophiam. Huc spectat Pythagoreorum silentium. Hoc didicerunt etiam Graeci a Moyse. Homines autem, in sensuum percep-

---

[1]) p. 679—686.

tionibus solis volutati, de deo talia, qualia de semetipsis, cogitant. Deus vero nobis innumerabilia, quorum ipse non est particeps, dedit: generationem, ipse ingenitus; alimentum, quo non eget; augmentum, qui idem manet; senectutis et mortis facultatem, quae in ipsum non cadit. Quapropter manus, pedes, os, oculos, ingressus, egressus, iras, minas nemo apud Haebracos dici dei affectiones existimet; sunt enim allegorice explicanda. Sed illam a perturbationibus separationem, in qua vita gnostica cernitur, Graeci, velut Callimachus, Isocrates, alii ab Hebraeis acceperunt. Quaenam sit autem cognitio ne somniando quidem norunt. Si ergo convenit inter nos quidem, cognitionem cibum esse rationalem, revera sunt beati, ut aiunt divinae scripturae, qui esuriunt et sitiunt veritatem, quoniam implebuntur alimento aeterno. Quibus nesciens mirabiliter consentit Euripides, et Patrem, et Filium, et sacrificium, et cognitionem indicans. Quae quum ita se habeant, merito etiam in mysteriis, quae fiunt apud Graecos, primum locum tenent lustrationes, sicut etiam apud barbaros lavacrum. Post haec autem sunt parva mysteria, quae habent aliquod doctrinae et praeparationis futurorum fundamentum. In magnis vero de universis non restat ut amplius discatur, sed contemplari incipiant et mente comprehendere et naturam et res ipsas. Nos vero expiati, confessi, a corpore magis magisque abstracti, ab eis, quae sub sensus cadunt, transimus ad contemplationem, quae fit sola mente et nosmetipsos quasi proiicimus in Christi magnitudinem. Quodsi inde in eius immensitatem sanctitate processerimus, ad intelligentiam omnipotentis utcunque perveniemus, non ita tamen, ut quod est cognoscamus, sed quod non est. Figura enim vel motus vel status vel sedes vel locus vel dextra vel sinistra de Patre universorum ne sunt quidem cogitanda; quamvis haec de ipso scripta sint; quid vero significet eorum unumquodque ostendetur suo loco. Neque est igitur prima causa in loco, sed supra locum et tempus et nomen et intelligentiam. Quamobrem Moyses quoque dicit: Ostende mihi teipsum, evidentissime deum non posse doceri indicans, nec verbis exprimi ab hominibus, sed ea sola, quae ab ipso proficiscitur, potestate posse cognosci. Inquisitio enim obscura et caeca, gratia autem cognitionis est ab ipso per Filium. Itaque Salomon: Prudentia, inquit, hominis non est in me, deus autem dat mihi sapientiam.

Jam vero divinam Providentiam lignum vitae appellavit Moyses, quod plantatum fuit in Paradiso: qui quidem Paradisus potest etiam esse mundus, in quo orta sunt omnia, quae processere

e creatione; in hoc et Logos floruit et fructum tulit caro factus, et eos, qui benignitatem eius gustarunt, vivificavit, quoniam neque sine ligno venit nobis in cognitionem. Suspensa est enim vita nostra ad fidem nostram. Vita autem et mors propositae sunt delectui nostro. Sed Abraham quum venisset in locum, quem dixit ei deus; tertio die suspiciens videt locum eminus. Nam primus quidem dies est, qui fit adspectu rerum pulchrarum; secundus est optimae animae desiderium; tertio vero mens perspicit spiritalia, apertis oculis eius a doctore, qui die tertio resurrexit. Eminus autem videt locum, quia dei regio difficilis est captu, quam Plato quidem, quum a Moyse, locum eum esse, qui omnia et universa contineret, accepisset, appellavit idearum regionem. Hinc Apostolus: Videmus, inquit, nunc tanquam per speculum, i. e. per solas illas puras et sine corpore mentis applicationes. Ad deum autem transcendentem ea, quae sub sensus cadunt, pervenire tandem posse Plato exsistimat. Simulacrum dei gnosticus ille Moyses fecit nequaquam, ut deum neque sub adspectum cadere neque describi posse significaret. „Quam domum aedificabitis mihi, inquit Dominus? Coelum mihi est sedes. Quibus item egregie assentitur Euripides; sed Plato quoque et Zeno, Stoicae sectae auctor.

Sed haec similiter dixit egregie veri amicus Plato: Patrem enim et effectorem huius universi et invenire est difficile, et quum inveneris, quin apud omnes eloquaris, fieri nequit. Verbis enim minime explicari potest, ut aliae disciplinae. Sapientissimum quidem Moysem, sancta contemplatione montem ascendentem, ad fastigium eorum, quae mente percipiuntur, necessario prohibuisse, ne totus populus secum ascenderet, recte audierat. Sin deus in caligine esse dicitur, haec caligo nihil est aliud, nisi multitudinis incredulitas et ignoratio, quae veritatis splendori officit. His rursus Orpheus assentitur. Testis est etiam Apostolus, qui: Novi, inquit, hominem in Christo raptum usque ad tertium coelum et illinc in Paradisum, qui audivit verba arcana, quae non licet homini loqui; ita, deum verbis non posse explicari, significans: non propter Legem et metum illud: non licet, adiiciens, sed sancta potestate deum verbis nunciari non posse indicans. Sed multos coelos Plato quoque agnoscere videtur, certe mundum et coelum; multos autem mundos Romanorum epistola ad Corinthios. Sed de mystica traditione non solum Apostoli et Prophetae agunt, verum etiam Dominus aperte: Vobis, inquit, datum est nosse

mysterium regni coelorum. Iam vero hunc Ioannis Apostoli locum consideremus: Deum nemo vidit unquam: unigenitus deus, qui est in sinu Patris, ille exposuit. Quum enim id quod neque adspici neque narrari potest dei sinum nominasset, hinc quidam eum profundum vocaverunt, ut qui omnia comprehenderet et veluti sinu complecteretur, nec posset quis assequi eum ut infinitum. Sed, de deo disputationem difficillimam esse, fatendum. Quum enim cuiusvis rei principium ad inveniendum sit difficillimum: primum certe et antiquissimum principium, quod quidem aliis, ut fiant et facta sint, causa est, ad demonstrandum erit difficile. Neque genus est, neque differentia, neque species, neque individuum, neque numerus, neque accidens, neque tale, cui accidere quidquam potest, neque totum, neque pars. Quinetiam ideo est infinitum, non quod tantus esset deus, ut pervadi non posset, sed quatenus nullam omnino suscipit dimensionem sine fine, sine figura, sine nomine. Quodsi eum minus proprie nominamus unum, bonum, mentem, ipsum quod est, Patrem, deum, creatorem, Dominum: huiusmodi non dicimus tanquam nomen eius, sed propter veri nominis defectum pulchris utimur nominibus, ut, de aliis non aberrans, his inniti possit cogitatio. Nec vero demonstratione sciri potest; demonstratio enim ex prioribus et notioribus: at vero nihil ante ingenitum. Restat igitur, ut divina gratia et solo, qui apud ipsum est, Logo ignotum intelligamus[1]).

Quidquid ergo cadit sub nomen, genitum est, velint, nolint. Sive igitur ipse Pater ad se trahit quemlibet, qui pure vixerit et processerit ad beatae naturae cogitationem, in quam non cadit interitus; sive liberum arbitrium, quod est in nobis, veniens ad boni cognitionem, septa, ut dicitur in gymnasiis, transilit: non tamen sine eximia gratia alis donatur anima et exsurgit et extollitur supra ea, quae eminent, quidquid grave est, deponens et reddens ei, quod est cognatum. Huius autem divinae gratiae necessitatem approbat etiam Plato. Itaque sapientia divinitus data, virtus Patris, excitat quidem liberum arbitrium nostrum, fidem suscipit curamque et attentionem remuneratur electionis suprema communicatione. Dei autem Filio cum Prophetis beatae Patris essentiae cognitionem aperienti credendum esse manifesto docet Plato. Et merito quidem. Nam fide dignus est, qui sua nunciat. Nemo autem, ait Dominus, novit Patrem, nisi Filius et cui Filius revelaverit. Qui igitur credit, habet vitam aeternam. Beati ergo sunt omnes, qui fiduciam habent in ipso; fiduciam

[1]) p. 686—696.

autem habere est quid fide amplius. Si quis enim doctorem nostrum esse dei Filium sciverit, is, doctrinam eius esse veram, concipit fiduciam, quae auget fidem. Jam vero fides, etsi est voluntaria animae assensio (haec eius natura!), est tamen bonorum efficiens et iustae fundamentum actionis (fructus). Boni autem a malis maxime differunt propositis honestisque desideriis. Ad hanc autem fidem, honestos ferentem fructus, non pervenitur nisi per Christum, qui: Ego, inquit, sum ostium ovium. Oportet igitur etiam eos, qui Graecam philosophati sunt philosophiam, per Christum discere veritatem, ut fiant salvi. Iam ergo apertum est mysterium olim absconditum. Nam dei quidem unius omnipotentis ἔμφασις et quasi pelluciditas apud omnes, qui recte sapiunt, omnino erat naturalis; aeternumque ex divina providentia beneficium percipiebant plurimi, qui non omnem plane pudorem adversus veritatem exuerunt. Atque, ut summatim dicam, Xenocrates Carthaginiensis non penitus desperat, quin dei notitia sit in animantibus rationis expertibus. Democritus per consequentiam similia dicit. Multum igitur abest, quin homo, purioris essentiae particeps, divinae notionis sit expers. Et donum quidem est Spiritus sancti. Verum non ut pars dei est in unoquoque nostrum spiritus. Sed de his rebus in libris de Anima agemus.

Nunc rursus videamus, quae Graeci ex barbara philosophia furati sint. Ac primum quidem Stoici, perinde ut animam, deum corpus et spiritum κατ' οὐσίαν esse dicunt. Quod utrumque in Scripturis manifesto reperies. At deum illi naturam omnem permeare volunt, quem nos opificem tantum esse, et per Logum quidem opificem, dicimus. Sed in errorem induxit eos illud Sapientiae: Pervadit autem ac subit omnia propter suam munditiam, id quod de illa, quam deus omnium principem creavit, Sapientia dictum esse non animadverterunt. At vero Plato quoque, Pythagoras, Aristoteles materiam in principiis numerant. Sane quidem; sed Plato hanc materiam omni et qualitate et figura carentem appellavit „id quod non est," ut apertissime illud indicet: Terra autem erat invisibilis et indigesta. Epicurus autem, quum illud: Vanitas vanitatum, omnia vanitas, non comprehenderet, omnia casu ac fortuito fieri contendit. Similiter Aristoteles, ut lunari orbe providentiam definiret, ex illo Psalmo hausit: Domine in coelo misericordia tua et veritas tua usque ad nubes. Ante Domini enim adventum mysteria Prophetica abscondita. Supplicia porro post mortem luenda illosque ignium cruciatus non solum universa Musa poetica,

verum etiam Graeca philosophia compilavit. Ita quidem Plato in opere de Republica, ubi homines ignei, i. e. Angeli punientes, ignis fluvii inveniuntur terraeque altitudo, quam ipse poetice Tartarum nominavit, barbari autem geennam. Agnovit etiam Angelos praesides ac tutelares, ad quos nescio an Socratis daemonium quoque spectaverit. Praeterea autem generatum esse mundum ostendit, idque ab ipso deo, tanquam a patre filium, sed ex nihilo generatum. Diabolum deinde, quem barbara philosophia appellat daemonum principem, Plato maleficum animum vocat. Similiter mundum agnoscit barbara philosophia duplicem, alterum mente comprehendendum, sensibus percipiendum alterum, e quibus ille sit ἀρχέτυπος, hic vero praeclari exemplaris imago. In quos Platonis quadrat mundus idearum cum hoc, quem cernimus, mundo. Tum vero Moyses corpus e terra concretum esse docet, quod terrenum a Platone nuncupatur tabernaculum; animum autem ratione praeditum coelitus a deo in faciem inspiratum. Caput igitur animi sedem esse dicit Plato. Est autem ad imaginem et similitudinem dei factus. Imago enim dei Logos est divinus ac regius, homo ἀπαθής; imaginis autem imago mens humana, cuius similitudinem ponimus in affectione quadam, qua mandata eius custodimus. Quapropter Stoici philosophiae finem esse dixerunt: convenienter naturae (i. e. deo ex ipsorum sententia) vivere; Plato autem ipsam cum deo similitudinem. Unde etiam consequenter omnes bonos, quum simile simili gaudeat, amicos esse affirmat. Et finis illius beatitudinem indicat in Timaeo. Non cessabit enim, qui quaerit, donec invenerit; quum autem invenerit, admirabitur, admirans autem regnabit, regnans requiescet. Thales porro deum omnia, etiam hominum cogitationes scire docuit. Sed illud quoque, ad felicitatem sufficere virtutem, probat s. scriptura, bonum apellando vitam, mortem malum. Boni autem et vitae unus est finis: amantem esse dei. Virtutem autem ad felicitatem sufficere Stoicos inter et Platonem constat. Sed ab Aristobulo, Ptolemaeo Philadelpho regnante multi libri, quibus philosophiam Peripateticam ex Lege Moyseïa aliisque pependisse Prophetis, probat, conscripti sunt. Quinctiam fratres esse nos, tanquam unius dei filios discipulosque doctoris unius Plato in opere de Rep. disertis verbis exposuit. In quo etiam indicat triplicem rempublicam, unam argenteam Iudaeorum, ferream alteram Graecorum, tertiam Christianorum auream. In Theaeteto autem Christianorum vitam descripsit. Et Pythagoras quidem, Socrates atque Plato, qui dei se vocem audire confirmant, dum huius rerum universitatis fabricam, quam manus

divina et perfecte elaboravit et conservat, contemplantur, illud omnino Moysis: Dixit, et factum est, quo dei vocem declarat ipsum esse opus, audierunt. Corpus autem esse terrenum, ut in Genesi narratur, non philosophi solum, sed etiam poetae approbant, Homerus, Callimachus, Hesiodus. Similiter singularum universitatis rerum creationem a Moyse traditam Graeci poetae transscripserunt. Et haud quidem aliter se habet doctrina de deo Patre; imo Plato in epistola ad Erastum et Coriscum, nescio quo pacto, ex Hebraicis litteris palam ac manifesto Patrem et Filium nunciat. In Timaeo autem trinitatem indicat; Patrem enim parentem opificemque appellat, Filium regem, propter quem omnia, Spiritum s. bonorum omnium principium. Praeterea in Reipublicae decimo Eris cuiusdam, Armenii filii, genere Pamphyli meminit, qui quidem est Zoroastres. Hunc igitur Plato die ab interitu duodecimo, rogo iam impositum revixisse memorat, id quod Zoroastres de se ipso narrat. Qua re forte Resurrectionem, forte alterum illud, animos, dum in coelum recipiantur, per signa Zodiaci duodecim viam inire, significat. Huc etiam spectare videntur Herculis duodecim certamina, quibus exhaustis, ab universis huius mundi angustiis animus liberetur.

Nec praetereundus Empedocles, qui ita rerum omnium instaurationis meminit, ut ignis in naturam cuncta olim iri mutatum pronuntiet. Cui assentitur Heraclitus Ephesius. Quibus affinia docentur a Stoicorum eruditissimis, quum ab eis de conflagratione, de gubernatione mundi, de hoc, qui talis propric est, mundo et homine deque animorum nostrorum permansione disputetur. Porro etiam diem Dominicum in Reip. decimo vaticinatur Plato his verbis: Postquam eo in prato singuli dies septem constiterunt, octavo demum inde proficisci oportet eoque quatridui itinere pervenire. Equidem enim pratum illud sphaeram stabilem et immotam accipio, qui locus est suavis admodum et placidus Sanctorumque sedes. At illo dierum septenario singulos septem Planetarum motus atque omnem efficiendi artem intelligo, quae ad requietis finem contendit ac properat. Quod autem post errantes illos orbes iter suscipitur, recta perducit in coelum; is enim octavus est motus atque dies. Denique animos quatriduo proficisci dum ait, iter illud, quod per quattuor Elementa conficitur, declarat. Sed septimum diem sacrum esse, non Hebraei modo, verum ceteri etiam Graeci agnoscunt, cuius conversione animantium omnium atque plantarum universitas continetur, inprimis poetae: Hesiodus, Homerus, Callimachus, Solon in elegiis. De Servatore

autem nostro vel illa improborum vox: Tollamus iustum a nobis, quoniam molestus est nobis, a Platone in secundo de Rep. describitur ita: Iusto illi, qui sic animo comparatus erit, verbera imponentur, iniicientur vincula, oculi eruentur. Idem postremo, haec omnia perpessus, agetur in crucem[1]). —

Iam vero deinceps mirabili eruditione et philosophorum et poetarum placita de deo, de iudicio, de poenis ac praemiis, narrantur et ad sacras Scripturas partim in universum, partim singula referuntur, quae tamen hic exponere supervacaneum esse videtur[2]). Pergit autem, ad libri finem festinans, hoc modo. —

Quae quum ita sint, Parentis ac rerum omnium Effectoris sensum aliquem ex omnibus omnia vi quadam nativa et sine ulla disciplina haurire videntur. Et hominum quidem genus universum in Graecos dividitur barbarosque, quorum e numero nulla prorsus unquam vel agricolarum vel pastorum vel urbanorum natio est, quae vitam, nisi antea melioris naturae fidem receperit, degere possit ac tueri. Itaque omnes populi, sive orientem colunt, sive litora occidentis tenent ultima, sive ad septentrionem, sive ad meridiem habitant: unam atque eandem eius, a quo constitutum est hoc imperium, habent anticipationem, quum generales potentiae illius effectricis actiones pervadant pariter per omnia. Attamen, quamvis curiosi illi e Graecis philosophi, barbarorum incitati philosophia, magis quam reliqui omnes ei, qui oculis non cernitur, soli eidem ac praepotenti, sapientissimo artifici, summoque rerum pulcherrimarum auctori providentiam tribuerint, non possunt, quae sint ex istis consequentia, pervidere, imo ne rationem quidem, quam ad deum cognoscendum natura ipsa praescribit, cognoscere, nisi fuerint a nobis edocti. Sed pluribus verbis eam describunt tantum. Quamquam hinc iam perspicitur, deum non Iudaeorum solum, sed etiam Graecorum esse, potestate Dominum, potestate deum omnium et revera omnipotentem; cognitione autem non omnium. Neque enim id, quod est, neque quomodo Dominus et Pater et creator, neque

---

[1]) p. 699—714. Haec ultima Platonis verba iam a Clemente tanquam praesensionem passionis ac mortis Servatoris nostri et filii dei habita esse ipsius diserta verba declarant. Quamobrem nescio quomodo factum sit, ut Nourrius locum apertum ita intelligat: Ex sacra adhuc scriptura delibavit Plato iustum **hominem** in hac scilicet vita (unumquemque igitur) poenis et afflictionibus cruciandum.

[2]) p. 714—729.

reliquam veritatis norunt οἰκονομίαν, nisi haec omnia ab ipsa didicerint veritate. Dei autem notitiam inter gentes prophetae quoque indicant, velut Malachias aperte inducit Dominum dicentem: Sacrificium non accipiam ex manibus vestris, quoniam abortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus et in omni loco mihi offertur sacrificium. Et alias: Quoniam rex magnus ego sum, ait Dominus omnipotens et nomen meum clarum est in gentibus. Cuiusmodi nomen? Apud eos, qui crediderunt, Filius quidem Patrem significans, apud Graecos autem deus ostenditur creator. Cur cognitio non ubique perfecta? Hoc in hominis libero positum est arbitrio, quod etiam Plato agnoscit; nam deus nunquam est causa malorum. Quam sententiam et lyrici poetae agnoscunt et scenici, imo addunt gravissimum illud, cum, qui non credat veritati, humana autem doctrina sit inflatus, miserum esse et infelicem. Quod autem eos manet, qui credunt, Metrodorus, quamvis Epicureus, divine dixit: Memento, inquit, Menestrate, quum sis mortalis, te et vitam accepisse terminatam et animâ ascendere, donec seculum et rerum videris infinitatem, tam quae futura sunt, quam quae fuerunt; quando cum choro felici, ex Platonis sententia, beatam visionem spectaculumque contemplabimur: nos quidem Jovem sequentes, alii autem cum diis aliis, et beatissima si fas est dicere, mysteria peragemus ac celebrabimus, ipsi quidem integri nullique malorum perpessioni obnoxii, quaecunque posteriori tempore nos manserunt; integra autem et quieta visa adspicientes et contemplantes in luce pura ipsi puri et nequaquam hoc obsignati, quod nunc circumferentes nominamus corpus, quo ostrei instar sumus alligati. Pythagorei autem oelum appellant ἀντίχθονα, i. e. terram ex adverso sitam. In qua terra, ait Dominus per Hieremiam, collocabo te in filios et dabo tibi terram electam, haereditatem dei omnipotentis, cuius qui fuerint haeredes, erunt reges terrae. Qualia quum mihi innumerabilia alia affluant, ut dicendi modus sit, finem iam imponam huic disputationi, ne id nobis quoque accidat, quod dicit Agatho Tragicus:

Qui ceteras res ut potissimas habent,
Et negligenter quod potissimum est agunt.

Quodsi aperte, ut arbitror, quomodo, quod fures a Domino dicti fuerint Graeci, intelligendum sit, demonstratum est, libenter dogmata philosophorum praetermitto. Nam si eorum quoque verba persequeremur, mox commentariorum innumerabilem colligeremus

12*

multitudinem, omnem, quae est apud Graecos, sapientiam esse a barbara sumptam philosophia ostendentes. Quam dissertationem nihilo secius, ut res postulabit, quando colligemus opiniones Graecorum de principiis, attingemus. Sed ex his, quae dicta sunt, iam est nobis perspicuum, aeternam dei esse beneficentiam et vere aequalem iustitiam naturalem, a principii experte principio pro uniuscuiusque generis dignitate, ad omnes, quae nunquam esse incepit, processisse. Neque enim huius, quod est, esse Dominum et bonum, principium accepit deus, qui est semper id, quod est. Sed neque cessabit unquam benefacere, etiamsi singula ad fidem perduxerit. Est autem unusquisque nostrum beneficentiae particeps, quatenus voluerit. Differentiam enim fecit electionis animae si fuerit digna optio et exercitatio. Sic ergo quintus quoque liber monumentorum secundum veram philosophiam gnosticorum, qui nominatur Stromaleus, finiatur[1]).

§ 10.
De libri VI argumento.

Hic igitur sextus simul et septimus noster monumentorum secundum veram philosophiam gnosticorum Stromateus, quum moralem disputationem, quam maxime potuerit fieri, descripserit, ostenderitque, qualis fuerit vita gnosticus: pergit philosophis demonstrare, hunc minime esse sine deo, imo solum vere dei cultorem; deinde vero Gnostici religionis modum exponere. E quibus dicendis Graeci, seipsos, quum verum illum dei cultorum nefarie persequantur, impie agere evidenter didicerint. Procedentibus autem κατὰ τὸν τῶν Στρωματέων χαρακτῆρα monumentis, solvendae erunt et illae, quae a Graecis, et illae, quae a barbaris in nos moventur, dubitationes de adventu Domini. Atque in hoc quidem prato, qui varie florent, flores, et in hoc horto arborum plantatio, non sunt iuxta singulorum species a plantis alterius cuiusvis generis separata; sed qaue pro opportunitate data mihi venerunt in mentem, haec sine ordine et dictione purgata promiscue Stromatis mandabuntur. Erunt igitur haec monumenta mihi quidem memoriae causa, viris autem ad cognitionem recipiendam idoneis ad inquisitionem cum sudore. Cognitio autem nostra hortusque spiritalis est ipse noster Servator, in quem plantamur, transpositi et transformati in terram bonam ex vita veteri. Et mutatio quidem plantationis confert ad fertilitatem fructuum et bonitatem. Lux igitur Dominus est et vera cognitio,

---

[1]) p. 729—734.

in quem sumus transpositi. Cognitio est vero duplex, una, cuius omnia animantia, etiam rationis expertia, sunt participia, quam non cognitionem nominaverim, quum fiat per sensus tantum et sit horum perceptio; altera autem, quae excellenter cognitio dicitur, mente comprehenditur ab eis tantum potestatibus, quae rationis sunt participes. Sed bonus vir, ait David, qui miseretur eorum, qui errore pereunt, et commodat impertiendo verbum veritatis, nec vero temere, sed enim dispensabit sermones suos in iudicio, ratiocinatione alta: is dispersit, dedit pauperibus[1]).

Priusquam autem propositum aggrediemur, prooemii loco, quae libri V Stromatum fini desunt, addenda sunt. Nec vero mysteria, quae huc pertinere videntur, tractabimus; sunt enim cum principiis, de quibus alias quaeremus, coniuncta. Sed furti, quo Graeci veritatis aliquantulum nacti sunt, testes iam ipsos adducamus. Qui enim, quae sunt ipsorum propria, tam manifesto alteri ab alteris furantur, hi certe, se fures esse, confirmant. Sed inviti etiam veritatem se a nobis accepisse, ostendunt. Furandi autem studium eorum probabo in eis scriptoribus, qui magna apud Graecos fruuntur aexistimatione. Velut Homerus furatur ab Orpheo et Musaeo, ab Homero rursus et Archilochus et Cratinus et Euripides; hic autem etiam a Theognide et ab Epicharmo. Et sic quidem plurimi, Euripides, Sophocles, Solon, Theognis, Thucidides, Philistus, Critias, Pherecydes Syrus, Eumelus, Panyasis, Hesiodus, Callias, Menander, Antimachus Teius, Augias, Simonides, Epicharmus, Diphilus, Posidipus, Plato, Theodectes, Bacchylides, Moschion, Aristophanes, Anacreon: hi igitur omnes alter alterius verba transscribunt et describunt[2]). Sed Hippias, Sophista Eleus, se orationem componere ex eis, quae ab Orpheo, Musaeo, Hesiodo, Homero aliis poetis et scriptoribus tam barbaris quam Graecis scripta sint, ingenue fatetur. Ut autem nec philosophiam, neque historiam, neque ipsam dicendi facultatem ab hac reprehensione vacuam esse ostendam, ex his quoque pauca adducamus oportet. — Ad hanc igitur criminationem probandam conferuntur inter se multi loci horum scriptorum, quorum nomina sunt: Alcmaeon Crotoniata, Sophocles, Xenophon, Euripides, Thrasymachus, Orpheus, Heraclitus, Athamas Pythagoricus, Empedocles Agrigentinus, Plato, Menander, Hyperides, Isocrates, Andocides, Theognis, Stasinus, Herodotus, Theopompus, Antipho, Thucidides, Demosthenes, Cratinus, Nicias, Aeschines,

---

[1]) p. 735—737.

[2]) Singula singulorum exempla conferuntur.

Philinus, Lysias, Homerus, Chilo, Epicharmus, Hippocrates, Archinus, Aristophanes, Parmenides Eleates, Philemon, Phanocles. — Sed haec singularum sententiarum, quas alii aliis furati sunt, exempla sufficiant. Sed furta eiusmodi ad integros etiam libros pertinent. Eugamon enim Cyrenaeus ex Musaeo librum integrûm de Thesprotis sibi vindicavit; Pisander Camireus Pisini Lindii Heracleam; Panyasis Halicarnasseus Cleophili Samii Oechaliae captivitatem. Homerus quoque fabulas de Baccho et de Saturno (quam ad Cyclopem transfert) ad verbum ex Orpheo transscripsit; similiter Hesiodus de Melampode ex Musaeo, aliique multa ex aliis[1]). Atque haec quidem ita se habeant; vita enim me deficeret, si singulatim persequi vellem Graecorum furta, a nimio ea sui amore profecta, qui etiam pulcherrimorum, quae sunt apud ipsos, decretorum sibi vindicant inventionem, quam acceperunt a nobis[2]).

Nec vero surripiunt solum nostra dogmata sed imitantur quoque admirabilia nostra, quae tanquam Graecas fabulas prodigiorum instar narrant. Itaque rogabimus eos, verane ea, quae scribunt, esse dicant, an falsa. Vera certe dicent. Quodsi vera, quomodo incredibilia eis videntur, quae per Moysem aliosque Prophetas facta sunt miracula? Omnium enim hominum curam gerens deus omnipotens, alios quidem praeceptis, alios vero minis, nonnullos quidem signis mirabilibus, aliquos benignis convertit ad salutem promissis. Sed narratio de Aeaci precibus quibus imbres vehementes Graeciae fertilitatem reddiderint, ad illud spectat: Et invocavit Samuel Dominum, et dedit Dominus voces et pluviam in die messis. Vides unum esse deum, qui per subiectas potestates pluit super iustos et iniustos. Sexcenties autem scriptura nostra, Deum exaudientem iustorum preces unamquamque implere petitionem, testatur. Similiter multa a Graecis traduntur de ventis vel sedatis vel evocatis per homines iustos. Atque iustos quidem et curationes et signa et miracula efficere ex nostris credidere scripturis. Est enim deus noster Dominus virtutum, Dominus Dominorum, deus deorum, deus magnus et fortis. Porro autem sunt, qui pestilentias, grandines, procellas, quaeque sunt his similia, non ex sola perturbatione materiali, sed etiam ex daemonum perturbantium opere, vel angelorum non bonorum ira fieri solere dicant. Hanc iram a magis depelli aiunt canticis et

[1]) Adduntur nonnulla exempla, quae tamen cum ceteris singulis merito hic tacere mihi videor.

[2]) p. 737—752.

sacrificiis. Fatidica Diotima, Atheniensibus ante pestilentiam sacrificantibus, effecit, ut morbus decem annos differretur. Epimenidis Cretensis similia de bello Persico impetrarunt. Iam vero iustorum loculos in templis posuerunt, daemones quidem vocantes eorum animas, quas colerent homines, ut quae propter vitae integritatem ac sanctitatem divina providentia accepissent potestatem, ut ad hominum ministerium locum, qui est circa terram, obirent. Sciebant enim aliquas animas natura teneri corpore, de quibus, quum de angelis agemus, mox tempore disseremus. Democritus autem, quod ex coeli et rerum sublimium observatione multa praedicebat, inprimis imbrem magnum, cognomen sapientiae invenit. Cur igitur Graeci adhuc non sunt credituri, deum apparuisse in monte Sina, igni ardente nihil consumente, tubarum sonitu audito sine tubis? Ille enim dei in montem descensus divinae potestatis adventus est, quae pervadit omnem mundum praedicatque lucem, ad quam aditus non datur. Talis enim est Scripturae conveniens allegoria. Ceterum visus est ignis, narrante Aristobulo, dum universus populus, qui erat centum myriadum praeter pueros et aetate minores, circa montem est congregatus; montis autem ambitus non minor quam quinque dierum. Descensus igitur non terminatus; deus enim ubique. Multi autem et mirabiles ventorum sonitus et in Britannia insula et in Perside locorum levitate et concavitate per ventos redditi audiuntur. Reiectus enim, qui ingressus erat, spiritus, in eundem locum procedens sonat vehementius. Quid ergo, quominus deus eiusmodi naturae affectionibus utatur in hominum salutem, impedit? Sed deus omnipotens, quamvis huismodi nihil sit ei subiectum, potest tamen vocem auditui, visionem visui ingenerare, ut suam indicans maiestatem praeter consuetum naturae ordinem ad convertendam animam nondum credentem. Vocem verborum, ait Propheta, vos audiistis, et similitudinem non vidistis. En Vox Dominica, Verbum expers figurae, Verbi virtus, Verbum Domini lucidum, veritas, quae de coelo desuper ad congregationem venit ecclesiae, per lucidum ac propinquum operabatur ministerium[1]).

Sed illud quoque, quod Graeci ex aliis quoque barbaris dogmatis surreptis gloriantur tanquam suis, testimonium est furti ex nostris. Et ab Aegyptiis quidem placitum de animae migratione in corpora mutuati sunt. Suam enim quandam ac peculiarem exercent Aegyptii

[1]) p. 752—756.

philosophiam, ut sacrae probant ceremoniae[1]). Indorum autem philosophia fuit ipsa quoque valde celebrata. Quorum quum Alexander Macedo ex Gymnosophista quodam quaesiisset, utros exsistimaret esse plures, vivosne an mortuos: vivos, inquit, non sunt enim mortui. Et sic quidem decem obscurissimas quaestiones optime id est obscurissime solverunt, Alexandro mirante ac vera, quae dicerentur, agnoscente, nec tamen intelligente. Sed haec hactenus.

Deum autem a Graecis probatissimis, non dilucida quidem cognitione, sed quasi indicio quodam aenigmatis[2]) agnitum esse Petrus dicit in Praedicatione. Cognoscite ergo unum esse deum, qui fecit omnium principium finisque habet potestatem et qui, dum ipse videri nequit, videt omnia; quum capi non possit, capit omnia; nullius quum rei indigeat, ipso indigent omnia, per quem sunt omnia, qui non potest comprehendi, aeternus, ab interitu alienus, non factus, qui omnia fecit verbo virtutis suae, i. e. Filii. Deinde vero addit: Hunc deum colite, non ut Graeci, quoniam Graeci eundem quidem, quem nos, deum colunt, nec vero perfecta cognitione, ut qui traditionem a Filio donatam non didicerint. Ne colatis igitur, inquit, non dicit: deum, quem Graeci; sed ne colatis **ut Graeci**; cultus dei mutans modum, non alium autem deum nuncians. Modum autem perversum illum Petrus deinceps describit. Deinde pergit ita, ut nulla subdubitatio interpretationis nostrae relinquatur. Neve colite ut Judaei; quorum modum etiam quum explicaverit: Quare vos, inquit, quoque sancte et iuste, quae vobis tradimus discentes, servate, **novo modo** deum per Christum colentes. Novum enim dedit nobis Testamentum, quae enim sunt Iudaeorum et Graecorum, sunt vetera. Aperte enim, ut arbitror, ostendit unum et solum deum a Graecis quidem gentiliter, a Judaeis autem Judaice, novo autem modo a nobis cognosci et spiritaliter; praeterea autem ab eodem deo suppeditatum esse utrumque testamentum, qui etiam Graecis dederit philosophiam, qua etiam a Graecis gloria afficitur omnipotens. Nec vero hi tres populi tres diversae naturae, sed diversis eruditi testamentis unius sunt Domini, unius eruditi Domini verbo. Quoniam quemadmodum Iudaeos deus salvos esse voluit per Prophetas, ita Graecorum quoque spectatissimos in lingua pro-

---

[1] Hae omnes brevi sed plene et grate narrantur.

[2]) cf. Strom. I. p. 372.

pria prophetas excitatos, prout capere possent divinam beneficentiam, a vulgo segregavit, id quod praeter Petrum Paulus Apostolus declarabit: Libros quoque, inquit, sumite Graecos, agnoscite Sibyllam, quomodo unum significet deum, cet. Deinde brevi nos interrogat: Totus autem mundus et quae sunt in mundo, cuius sunt? nonne dei?[1])

Quemadmodum autem tempore nunc venit praedicatio, ita tempore quidem data est Lex, dati sunt Prophetae barbaris, philosophia autem Graecis. Tempore accepto, ait Dominus, exaudivi te, et in die salutis tibi dedi auxilium. Dedi te in testamentum gentium, ut inhabitares terram et possideres haereditatem, dicens eis, qui sunt in vinculis: egredimini; et ut revelentur eis, qui sunt in tenebris. Vincti sunt Iudaei; in tenebris autem gentes. Nam eis, qui erant iusti ex Lege, fides deerat; quapropter Dominus eos curans: Fides, inquit, tua te salvum fecit. At vero eis, qui iusti erant ex philosophia, non solum fide in Dominum opus erat, sed etiam ut discederent a simulacrorum cultu. Iam vero, revelata eis veritate, factorum eos poenituit. Quamobrem praedicavit Dominus eis quoque, qui iam erant apud inferos. Est certe quidem in Scriptura: Dicit infernus perditioni: Eius quidem speciem non vidimus, eius autem vocem audivimus. Sed locus profecto non audivit; homines enim ibi collocati divinam audierunt virtutem et vocem. Neque enim iusti e gentibus cum iniustis tanquam eorum similes damnati sunt. Quinetiam Dominus eis, qui in Diluvio perierant vel potius fuerant vincti, Evangelium nunciavit. Apostolos autem, ut Dominum apud inferos Evangelium nunciasse in Strom. l. II. demonstratum est. Hoc enim divinum decebat consilium, ut, qui in iustitia maiorem habuere dignitatem et prae ceteris egregie vixerunt, quosque eorum, quae peccaverant, poenituerat, hi, etiamsi alio loco, quum sine controversia essent in eorum numero, qui sunt dei omnipotentis, salvi fierent propria uniuscuiusque cognitione. Operatur igitur Servator, ubicunque homines sunt bonae voluntatis. Quodsi Dominus nulla alia de causa descendit ad inferos, quam ut nunciaret Evangelium, sicut certe descendit: aut descendit, ut nunciaret omnibus, aut solis Hebraeis. Si omnibus, salvi erunt omnes, qui crediderint, quamvis e gentibus; id quod deus mavult, quam mortem eorum; credunt autem facilius sine coporis perturbationibus. Sin Iudaeis solis, Apostoli certe, qui hic gentibus

---

[1]) p. 756—762.

Evangelium praedicarunt, id illic non minus fecerint. Quare Pastor dicit: Illi, qui prius dormierunt, mortui descenderunt (in aquam), vivi autem ascenderunt. Iam vero narrat etiam Evangelium, multa, quae dormiissent, surrexisse corpora, ut qui scilicet translata essent ad meliorem locum. Fuit ergo (Domino moriente) generalis quidam motus et translatio per Servatoris dispensationem. Iustus igitur non differt a iusto, quatenus est iustus, sive ex Lege, sive Graecus; non enim Judaeorum solum, sed etiam omnium hominum deus est Dominus, propinquius autem pater eorum, qui cognoverunt. Honeste vivere est vivere legitime, rationi convenienter, ex Lege. Qui autem recte vixerunt ante Legem, in fidem sunt reputati, iusti iudicati. Manifestum est igitur eos, qui extra Legem recte vixerunt, etiamsi in inferis et in custodia, audita Domini voce, sive ipsa per se, sive per Apostolos, mox conversos credidisse. Dominus est deus virtutum; virtus autem nunquam imbecilla. Bonus Dominus, potens Dominus, salutem dat cum iustitia et aequalitate in eos qui convertuntur, sive hic, sive alibi. Virtus eius efficax ubique. Dominus Apostolos electos misit in universum mundum ad Evangelium nuntiandum, ut nemo non credens se posset excusare: Non audivi. Et hoc pertinet ad inferos quoque, ut omnes ubique fateri cogantur, iustum esse supplicium. Qui reapse sine culpa non audierunt, hi neque puniri possunt merito neque salute donari. Dicit autem Dominus omnibus: Ecce posui ante faciem vestram mortem et vitam, ut eligatis vitam, ut, facta comparatione, delectum facerent. Et alio loco: Si me audieritis et volueritis, bona terrae comedetis; sin autem me non audieritis neque volueritis, gladius comedet vos: os enim Domini haec locutum est. David autem: Laetatum, inquit, est cor meum..... Quoniam non derelinques animam meam in inferno neque dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas fecisti mihi vias vitae. Iam igitur omnis populus sanctus cum Iudaeo, quamobrem merito, bovem et ursam simul futuros, dicit Scriptura. Bos enim Iudaeus, gentilis autem ursa. Unde Propheta: Sirenes, inquit, mihi benedicent et filiae passerum et omnes bestiae agri. Sin autem in terra Dominus idem et Iudaeorum et Graecorum, etiam in inferno[1]).

---

[1]) Hoc iterum ex s. s. scripturis probatur. Deinde Valentini et Isidori testimonia sequuntur, quibus Graecos e Lege et Prophetis furatos esse approbant. Haec autem ad superiorem locum quendam pertinere videntur.

Iam vero de eo, quod est vere philosophia, de sapientia artificiosa dicamus. Sapientia autem est solida rerum divinarum humanarumque cognitio, firma et stabilis quaedam comprehensio nunquam excidens, quae continet ea, quae sunt, et praeterita et futura, quam nos docuit et sua praesentia et per Prophetas Dominus. Partim quidem aeterna est, partim autem tempori utilis; partim una et eadem, partim multae et indifferentes; partim sine ullo motu patibili, partim patibili cum appetitione; partim perfecta, partim indigens. Hanc igitur sapientiam, quae est omnium opifex et magistra, i. e. Filii cognitionem qui amant, hi philosophi dicuntur apud nos; apud Graecos autem, qui de virtute disputationes suscipiunt. Philosophiae autem nomine dicuntur certa decreta cum vita congruente in unam coacta electionem, quae divinitus data barbaris gratia surrepta sunt et Graeca ornata eloquentia. Constant enim ex partim surreptis, partim male intellectis, partim ratiocinatione inventis. Perfectam veritatem non habent; nihil cognoscunt praeter hunc mundum. Quemadmodum enim in geometria mensuras, magnitudines, figuras linearum usu imitamur: ita philosophi seipsos decipientes veritatem imitantur. Nimius autem sui amor quibuslibet causa est peccatorum omnium. Non nostri amantibus nobis gloria ab hominibus expetenda, sed deum diligamus oportet sancti cum prudentia. Illi autem singularibus pro generalibus utentes et rebus servientibus pro Domino a veritate abhorrent. Est autem ex disciplina cognitio et scientia; sin hoc, quaeramus magistrum. Si philosophorum magistros quaesiero, veniam ad Pythagoram, Pherecydem, Thaletem; horum autem inveniam Aegyptios, Indos, Babylonios, Magos. Horum porro ipsorum quis doctor, et primi hominis quisnam? Homo certe nullus; nec vero ex angelis quisquam; angelorum enim comunicandi ratio, qua angelorum, minime est hominum. Quinetiam angelos quoque veritatem didicisse accepimus; sunt enim et ipsi creati. Ascendamus igitur oportet ad eorum quoque doctorem non genitum. Hic est deus omnipotens, qui habet Filium praegenitum, per quem omnia facta sunt, universorum principium. Is vero ab omnibus prophetis dictus est Sapientia, magister omnium creatorum, dei consiliarius, qui praescivit omnia. Ab hoc vera philosophia accepit omnia; quamquam Lex est imago et veritatis umbra. Ad deum Patrem omnis recurrit πατρία, ad Dominum Filium omnis doctrina. Veritas autem in hominibus haud necessario pullulat; itaque Pharisaei a Lege potuerunt declinare. Qui autem crediderunt, Legis cognitionem attingunt, sicut etiam philosophi Domini doctrina perducuntur ad

verae philosophiae agnitionem. Haec autem sanctificat animam; sed corpus quoque, in quo habitat, quod dedicatur in sancti templi munditiam et sinceritatem. Prima autem primae animae purgatio est abstinentia a malis; haec est vero perfectio communis fidelis et Iudaei et Graeci, supra quam gnostici iustitia procedit ad bonorum operum effectionem, qua tandem ad immutabilem bene agendi habitum pervenit, ad dei similitudinem. A Filio igitur dei discenda sapientia illa, quae est scientia et comprehensio eorum, quae et sunt et futura sunt et praeterita, stabilis ea ac firma, a Filio dei tradita et revelata. Philosophi ergo discant ab hoc. Cognitio autem ipsa (quam vocamus obiectivam) est, quae per successionem ad paucos ex Apostolis sine scriptis pervenit tradita. Cognitio sive sapientia exerceatur oportet, donec perveniat ad contemplationis habitum aeternum, in quem non cadit mutatio [1]).

Etenim Paulus quoque in epistolis non videtur reprehendere philosophiam; sed eum, qui ad gnosticum fastigium pervenit, non vult amplius ad Graecam philosophiam recurrere, allegorice eam vocans mundi elementa, ut quae elementa quodammodo doceat et sit veluti disciplina praecedens veritatem. Similiter etiam Legem elementa initii eloquiorum dei dicit. Ad neutra autem elementa revertendum. Quodsi quis intelligentia hominum inventam esse philosophiam contenderit, Scripturae intelligentiam ipsam a deo esse missam respondebunt. Servus tuus ego sum, ait Psalmographus, fac ut sim intelligens. Testamenta autem solis dantur praestantioribus. Dicit enim Psalmus: Nulli genti sic fecit et iudicia sua non manifestavit eis. Illud autem: Non sic fecit, fecisse quidem eum significat, at non sic. Hoc ergo Sic positum est, ut fiat comparatio cum nostra excellentia. Fecit autem quocunque modo. Beneficentia enim dei aeterna, neque circumscribitur certis vel locis vel hominibus. Erat igitur obscura quaedam dei cognitio etiam apud gentes. Sed quum Graeci, duce Protagora, disputandi rationem inventam fuisse dicant, qua omni argumento aliud opponeretur, dictitent, aliquid contra est dicendum. Parabolam igitur Domini, quis intelliget, nisi sapiens sciensque, qui diligit Dominum suum? Sit ergo, ait Clemens Romanus, qui talis est, fidelis: sit eiusmodi, ut possit explicare cognitionem, sit sapiens in sermonibus discernendis, sit in factis admirabilis, sit castus et

---

[1]) p. 762—771.

mundus. Est autem homo maxime factus ad deum cognoscendum; sed est etiam geometra, agricola, philosophus. E quibus unum quidem conducit ad vivendum, alterum ad bene vivendum, tertium ad ea meditanda, quae demonstrationi subiiciuntur. Philosophia autem, quamvis a diabolo esset inventa, tamen partim vera esse posset. Scriptura enim, diabolum transfigurari in angelum lucis dicit. Qui digitur? Etiamsi vera communicaret ad decipiendum in aliis, tamen illa quidem vera essent. Veritatis autem aliquid scire potest diabolus, non quidem ut eam comprehendat, sed ut eius non sit ignarus. Quamvis ergo fur et mendax auctor, philosophia vera esse poterit. Non quis dixerit, sed quae dicantur, considerandum est. Sed Graecis philosophia data est veluti proprium Testamentum, ut christianae philosophiae fundamentum. Quemadmodum in barbara philosophia, ita etiam in Graeca a solito zizaniorum agricola seminata sunt zizania. Eiusmodi herba inutilis est Epicuri impietas et voluptas. Hanc quidem Apostolus dicit sapientiam huius seculi, quae est voluptaria nimioque tenetur sui ipsius amore totaque pertinet ad hunc mundum. In elementis igitur versatur haec philosophia, quum perfecta scientia in eis cernatur, quae sunt ultra mundum solaque percipiuntur mente, quae oculus non vidit, dum doctor noster nobis aperiret sancta sanctorum. Cuius discipuli fiunt haeredes Dominicae adoptionis. Iam enim dicere audemus, vere gnosticum omnia scire et firma comprehensione comprehendere ea etiam, quae nobis sunt dubia nec possunt explicari; huiusmodi fuit Iacobus, Petrus, Ioannes, Paulus, ceteri Apostoli. Numquid porro cognitionis finis animae rationalis immortalitas? Sed animae duae sunt facultates: cognoscendi et appetendi. Cognitio autem ex doctrina; cognitionem sequitur appetitio; ex appetitione agere: omnis ergo actionis principium et opifex cognitio. Ex hac igitur anima χαρακτῆρα suscipit. Cognitio autem et appetitio moventur in eis, quae sunt, quorum vel alicuius vel aliquorum vel omnium perfecta illa est contemplatio. Falso autem nonnulli dicunt, esse quae comprehendi non possint. Gnosticus enim comprehendit ea, quae aliis videntur non posse comprehendi. Dei enim Filius quum omnia comprehendat, potest etiam omnia docere. Qui propter suam in nos caritatem passus est, eum quidquam subducere non est verisimile. Fit ergo ipsa fides firma et stabilis demonstratio, quoniam ea, quae a deo sunt profecta, sequitur veritas. Credens autem novit antiqua et coniectat futura, scit strophas orationum et solu-

tiones aenigmatum. Praescit signa et prodigia et temporum eventus[1]).

Talis est enim gnosticus, ut eae solae in eum cadant perpessiones, quae ad corpus conservandum sunt necessariae, velut fames, sitis, similia. Servatoris autem corpus vivens omnino sine necessariis, ut quod sancta virtute contineretur. Comedebat propter eos tantum, quibuscum versabatur, ne corpus eius pro phantasmate haberent, id quod postea factum est. Neque voluptas neque dolor in Servatorem cadit. Apostoli autem Dominica doctrina eo perfectionis progressi sunt, ut nihil prorsus mutarentur perpessionibus, post Domini id quidem resurrectionem. Etsi enim animus, aemulatio, gaudium, si rationi sunt convenientia, bona esse possunt: at vero in perfecto non sunt ullo modo. Nihil molesti potest eum abducere a dei caritate. Nunquam, quoniam deo benigno omnia recte fieri persuasum habet, incidit in dolorem animive angorem. In nullam dei creaturarum odio unquam fertur; ideo ne irascitur quidem unquam. Deo prorsus similis, nihil est, cur aemuletur. Homines diligit, sed propter creatorem. Nulla cupiditate movetur, ut qui caritate iam versetur cum dilecto familiariter coniunctus, propter bonorum abundantiam beatus. Ut dei similitudinem perficiat, nititur solum; Logos enim dei intelligens est, per quem mentis imago in solo homine cernitur, quatenus etiam deiformis fit et deo similis, vir bonus anima, ut deus rursus hominis formae sit similis. Forma enim uniuscuiusque est mens, e qua proprium suscipimus χαρακτῆρα. Qui igitur in eiusmodi hominem peccant, profani sunt et impii. Qui autem bona atque honesta eligi dicunt a p p e t i t i o n e, hi caritatis divinitatem ignorant. Haec est enim benevola coniunctio, in unitatem fidei restituens gnosticum, nec loci nec temporis indigentem. Qui autem, spe praeocupata, iam in futuris versatur caritate, quippe qui habeat omne expetendum, nihil iam expetit. Ne vehementi quidem studio, ut pulchris assimiletur, ardebit, quum caritate ipsam habeat pulchritudinem. In dei amicis numeratur: quid ergo audacia opus vel cupiditate? Sine perturbationibus igitur omnino gnosticus perfectus, qui expers est laetitiae, ut quae coniuncta sit cum voluptate, expers moestitiae adiunctae dolori, expers cautionis, quae subiicitur metui, expers excandescentiae quamvis non iam malae. Parvis, humilibus, abiectis delectari non amplius potest, qui contemplationis delectationem nunquam explendam perpetuo percipit.

[1]) p. 771—775.

Lucem, ad quam non patet aditus, iam possidet, non quidem loco et tempore, sed gnostica caritate, propter quam sequitur haereditas, perfectaque restitutio. In terra domus eius peregrinantis, in coelo habitat cum deo caritate; seipsum quidem e vita non educit, quod non licet, abducit autem a perpessionibus; corpore non iam utitur, permittit ei solum uti necessariis. Fortitudine ei non est opus; non est enim in malis, imo ne praesens quidem. Temperantia non iam eget. Fortitudo autem propter metum et timiditatem; sed dei amicus, adoptione filius, numquid timidus? Quemadmodum bonis operibus alii praedestinati, sic ille cognitione. Fide gnostica iam accepit id quod aliis incertum videtur et obscurum. Credidit per prophetiam et per Domini adventum, et habet id, quod credit. Dominus autem ei, quem in firma comprehensione futurum esse, viderit, occurrit. Nihil gnosticus, praeter suam fidem optabit, nisi ut quam plurimi sibi similes fiant ad dei gloriam, quae ipsa cognitione perficitur. Deus enim colitur vera factorum cognitionisque iustitia. In summa autem, fieri non potest, quin id quod est immutabile in eo, quod mutatur, figatur et consistat. Qui mutatur, scientiam non retinet. Sed philosophi quoque, virtutes, habitus, dispositiones esse, exsistimant. Et est quidem in his permansio quaedam. Scientia enim primum discitur; attentione, alimento, incremento opus est; deinde assidua meditatione pervenit ad habitum; quodsi ad habitum pervenit mysticum, manet caritate. Nec vero solum primam causam, i. e. deum, ita comprehendit, ut permaneat stabilis, rationes firmissimas possidens, sed etiam de bonis et malis stabilitatem habet et de universo rerum ortu ac generatione, et, ut brevi dicam, de eis omnibus, quae deus locutus est. Accuratissimam a mundi constitutione ad usque finem didicit veritatem ab ipsa veritate. Quae autem Dominus dixit, pro apertis sumet et manifestis, quamvis aliis videantur obscura. Quae autem sunt apud nos oracula respondent de eis, quae sunt, ut sunt, de futuris, ut erunt, de factis ut fuerunt. In omnibus autem, quae ad scientiam pertinent, gnosticus praeclarum se geret, supernis illis archetypis convenientem suam rerum humanarum describens administrationem, quemadmodum qui navigant, navem ad astrum dirigunt; ad omnem actionem bonam semper paratus, omnia gravia et molesta solitus despicere, in vigiliis et somnis providus ac prospiciens [1]).

---

[1]) p. 775—779.

Praecipua ei est omnium rerum cognitio. Sumit igitur ex unaquaque disciplina id quod confert ad veritatem. Sic eum adiuvant musica, arithmetica, geometrica, astronomia, qua Abraham adiutus ascendit ad cognitionem eius, qui astra creavit. Dialectica gnosticus pervenit ad prima et simplicia. Sunt autem, qui, ut pueri larvas, extimescant philosophiam. Sed si talis eorum est fides (cognitionem non dixerim) ut orationis probabilitate dissolvatur, se non habere veritatem fatentur; veritas est invicta, dissolvitur falsa opinio. Purpuram alterius purpurae comparatione eligimus. Qualis trapetiza, qui non potest probare et discernere probum nummum a falso et adulterino? In aeternum non commovebitur iustus; neque fallaci oratione, neque falsa voluptate. Ab auditione ergo mala non timebit. Est autem dialectica veluti vallus quidam, ne veritas conculcetur a sophistis. Quaerite ergo eum, ait Propheta, et confirmemini: quaerite faciem eius perpetuo modis omnibus. Nam quum multifariam et multis modis locutus sit, non uno modo cognoscitur. Disciplinae igitur gnostico non virtutes quidem, at enim adiutrices. Est enim omnis erroris omnisque falsae opinionis causa: non posse discernere, quanam ratione conveniant inter se ea, quae sunt, et quomodo differant. Sine hac discernendi facultate nihil nisi communium cum propriis confusio. Nominum porro et rerum distinctio in ipsis quoque scripturis magnam lucem affert animis. Significationes enim vocum et diversarum et eiusdem diversae sunt disiungendae. Quamquam multus labor et inutilis vitandus est. Neque igitur eorum ignarus erit gnosticus, quae ad disciplinas, quas vocant, encyclicas spectant percipiendas et ad Graecam philosophiam. Haec omnia autem non propter semetipsa discet, sed aliorum causa. Quibus improbe utuntur haereses, his ipse recte. Quemadmodum autem sol illuminans colores et album et nigrum ostendit, qualis sit uterque: sic ipsa philosophia Graeca refellit omnem sermonis probabilitatem. Merito a Graecis quoque acclamatum est: Principium magnae virtutis regina veritas.

Abraham autem, ut in astronomia, sic in arithmetica exemplum habemus, id quod ex bello, quod gessit ad liberandum Loth, apparet. — Hic ex numero 318 occasionem sumit ad disputationem de numerorum vi, quam legere iuvat, nec vero transscribere. Similiter geometriae utilitatem ad veritatem significandam cerni dicit in sancti tabernaculi et arcae constructione. Deinde pergit hoc modo. — Musicae autem exemplum psallens et prophetans ponatur David, concinne deum et numerose laudans. Et haec quidem bar-

bari Psalterii harmonia, antiquissima ea et modorum prae se ferens gravitatem, maxime exemplum Terpandro praebuit ad Doricam harmoniam. Sed cithara a psalmographo allegorice accipi potuerit, et inprimis quidem, ut Dominum significet; deinde autem eos, qui Dominum secuti assidue pulsant animas. Tum vero populus quoque, qui fit salvus, cithara dicatur per Domini inspirationem; et qui pro dei cognitione deum gloria celebrat, verbo pulsans ad fidem, exauditur. Sed aliter quoque acceperis musicam pro concentu ecclesiastico Legis, Prophetarum Apostolorumque cum Evangelio; imo pro concentu in unoquoque Propheta. Scio quidem etiam musicam cum reliquis disciplinis Graecis a nonnullis minime amari timentibus, ne aures semel datas non possent revertere; sed quatenus decerpimus id, quod ad usum Catechumenorum inprimis Graecorum conducit, non est, brutorum animantium instar, a studio doctrinae abstinendum. Nec vero in his disciplinis diu insistendum, sed mox domum properandum ad veram philosophiam, quae est firmum animae refugium, ab omnibus praebens securitatem. Musica autem attingenda est ad mores ornandos et componendos, nec vero ad frangendos animos et effeminandos, ut est quaedam musica supervacanea. Astronomia porro et ad deum ducit opificem et habet suas vitae utilitates, quas capit ex ea inprimis ars navigandi et agricultura, sicut architectura et ars aedificandi ex geometria. Quamquam huius ea est summa utilitas, quod mentem acuit ad veritatem percipiendam; dum enim docet longitudinem sine latitudine, superficiem altitudine carentem, punctum sine partibus, ducit paullatim ad ea, quae mente tantum percipiuntur. Philosophiam ergo adiuvant disciplinae, ipsa autem philosophia ad disserendum de veritate. Oportet enim animam prius esse praeparatam et varie elaboratam antequam optima evadere poterit. Nam veritatis alia quidem est pars, quae versatur in cognitione, alia vero in actione, quae quidem profluxit e contemplatione. Magna autem exercitatione eget et experientia. Quinetiam contemplationis alia quidem pars, quae ad proximos spectat alia vero ad ipsum possidentem. Ita igitur sit eruditio, ut utrisque conveniat. Quod ad ipsum attinet, qui sufficientia didicit, eum manere tranquillum, actiones dirigendo ad contemplationem, licet. Quum autem propter proximorum utilitatem alii quidem ad scribendum se conferant, alii vero ad verbum tradendum: his quum alia doctrina utilis est, tum Scripturarum Domini lectio est necessaria ad eorum, quae dicuntur, demonstrationem, maxime si Graeci audiant. Iam vero disciplinarum fons manat a sapientia. Qui autem nullam Graecam disciplinam neque

philosophiam a sapientia proficisci dictitant; esse enim omnes humanas: his quidem primum respondendum est, de maximis ipsos, i. e. de mentis electione, i. e. libero arbitrio, quo potest homo omnia sancta reddere, errare. Homo enim omnia, quamvis per homines accipiat, didicit ex Domini doctrina, idque potest libere agnoscere. In manu enim eius (dei), i. e. in virtute et sapientia eius, et nos et verba nostra et omnis prudentia et operum scientia. Nihil enim diligit deus nisi eum, qui cohabitat cum sapientia. Praeterea autem illud Salomonis non legisse videntur: Artifex autem construxit sapientia, tua autem, Pater, gubernat providentia. Agnoscuntur igitur artes. Nec vero hae philosophia deteriores. Significantur autem et Lex et Graecorum disciplinae quinque panibus hordeaceis et duobus piscibus, quibus multitudo ad Tiberiadem alta est. In panibus Lex cernitur, pisces autem et encyclicam disciplinam, et philosophiam indicant. Haec igitur omnia Domini benedictione crescebant et ad divina duxerunt. Me quoque, ait Ioannes propheta, oportet minui, augeri autem solum iam deinceps Verbum Domini, in quo Lex finitur. Sed intellige mysterium: Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil. Huc pertinet etiam illud: Simile est regnum coelorum homini, qui sagenam iecit in mare et ex multitudine captorum piscium meliores elegit. Iam vero redeat disputatio ad Graecam sapientiam. Quattuor igitur virtutes illae, quas quoque ab Hebraeis mutuati sunt Graeci, ita praedicat sapientia nostra: Si quis diligit **iustitiam**, labores eius sunt virtutes. **Temperantia** enim et **prudentia** docet iustitiam et **fortitudinem**, quibus nihil est in vita hominibus utilius. Postremo sciendum, virtutem non natura nos habere, sed aptos natura nos esse, qui eam acquiramus [1]).

Et hac quidem cognitione solvitur Hebraeorum dubitatio, utrum Adam perfectus formatus sit, an minus. Si non perfectus, aiunt, quomodo perfecti dei opus erit? Sin perfectus, quî migrat praecepta? At igitur perfectus non fuit creatus, sed aptus ad virtutem suscipiendam. Vult enim deus ex nobismetipsis salvos nos fieri. Haec quippe animae natura, ut ipsa a seipsa moveatur. Ut autem virtus acquiratur, opus est disciplina et exercitatione. Quum igitur omnes sint apti, alius magis alius minus accedit ad

[1]) p. 779—788.

disciplinam et exercitationem. Itaque alii perfecti, alii nonnulla ex parte virtute praediti, alii, quamvis summi ingenii, vitiosi. Multo autem magis cognitio, quae magnitudine et veritate praestat omnibus disciplinis, difficillima est acquisitu, et multo tandem labore nascitur. Qua qui praeditus est, Gnosticus, iustus, sanctus, quum ab immortalitatem atque ad imaginem dei proprietatis factus sit, tendit ad perfectae aetatis mensuram; purus quidem et actione et cogitatione, omne autem condemnans peccatum. Peccati autem duplex est poenitentia: una quidem communis, propterea quod peccaverit quis; altera vero, quum didicerit peccandi naturam, non amplius peccare sibi proponit. Ne vero peccatum excusaveris per daemonum obsessionem; ita enim homo nulli esset culpae affinis. Sed quum homo peccando eadem eligat, atque daemones, quumque sit instabilis, levis, varius in cupiditatibus ut daemon, fit quodammodo daemoniacus. Quum autem malitia hominis facta fuerit quasi altera natura, homo, ad peccatum propensus, in actionibus quoque peccat; contraque vir bonus recte facit. Neque igitur virtutes solum, verum etiam actiones vocamus bona. Ex bonis autem alia eligimus propter semetipsa, velut cognitionem, alia aliorum causa, ut fidem propter supplicii declinationem remunerationisque utilitatem. Timor enim multis est causa, ne peccent; promissio obedientiam salutis parit. Perfectissimum igitur bonum cognitio est, cuius prima utilitas est ipse cognitionis habitus, laetitiam praebens et nunc et in posterum, hilaritatem animique diffusionem. Facta autem gignit bona et honesta; verae enim divitiae sunt abundantia actionum ex virtute; vera paupertas mundanarum cupiditatum inopia. Gnosticus cupiditates circumscribit et quoad possessionem et quoad usum, nec transilit necessitatis terminum. Non ipsum vivere, sed bene vivere facit plurimi, ad augendam scientiam parandamque cognitionem; nec filios, nec matrimonium, nec parentes praeferens caritati in deum vitaeque iustitiae. Uxor autem post liberorum susceptionem sit soror, ut erit certe post carnem depositam. Ipsae enim per se pares sunt animae; animae neutrae nec masculae nec feminae, quare neque uxores ducunt, neque nubunt.

Sed eis, quos quum peccatorum poenituerit, nec tamen eidem crediderunt firme, precibus deus largitur petita. Qui autem sine peccato vivunt gnostice, his concedit iam si vel cogitarint tantum. Pete, ait Scriptura, et faciam; animo cogita, et dabo. Deum enim accepimus esse cognitorem cordium, non qui ex animae motu coniicit, sicut nos homines, neque ex eventu, neque ut architectus

laudavit opus factum. Ex aeterno enim proposito, rem sciens antea, qualis esset futura, sua potentia fecit. Orat ergo gnosticus etiam cogitatione omni hora, caritate deo coniunctus et familiaris. Et primum quidem petet remissionem peccatorum, deinde ut queat non amplius peccare; tum vero ut possit bene facere omnemque, quae facta est per Dominum, creationem atque dispensationem intelligere, ut mundo corde effectus ea agnitione, quae est per Filium dei, facie ad faciem beati spectaculi mysterio initietur, Scripturam exaudiens, quae: bonum est, inquit, ieiunium cum oratione. Ieiunia autem significant omnem generaliter abstinentiam ab omnibus prorsus malis, sive actione, sive sermone, sive cogitatione. Iustitia autem quadrata, omni ex parte aequalis et similis, verbo, facto, abstinentia a malis, beneficentia, cognitionis perfectione. Sed iustus semper credens, non item credens semper iustus, eiusmodi quidem, quem vocamus gnosticum. Abstinentia a malis haud sufficit; accedat oportet iustitiae opus, vis quidem bene agendi. Huiusmodi vero iustus velut Moyses facie animi erit glorificatus. Iustae enim animae vis quaedam divina bonitatis, per caritatem, prophetiam potentiamque administrantem inhaerens imprimit quoddam conspicuum, quasi radii intelligentiae perinde atque caloris solaris, iustitiae signum, lucem cum anima caritate continua coalitam, quae deum fert et fertur a deo. Unde nascitur gnostico cum deo similitudo.

Qui autem ita est comparatus, hic quidem est Angelis aequalis. Iam vero luminosus et tanquam sol fulgens beneficentia, contendit cognitione iusta dei caritate ad sanctam mansionem, sicut Apostoli, qui non natura electi erant, sed idonei, qui eligerentur ab eo, qui etiam fines praevidet. Matthias autem postea, quum dignum se praeberet, suffectus est. Licet igitur nunc quoque eos, qui perfecte vivant et gnostice, in Apostolorum numerum adscribi. Hic est revera presbyter ecclesiae et verus diaconus, minister dei voluntatis, si quis et faciat et doceat, quae sunt Domini, non ideo quod ei ab hominibus manus imponantur, neque quod presbyter sit, iustus censeatur, sed quod sit iustus, referatur in presbyteratum. Qui quamvis in terris non fuerit prima sede honoratus, sedebit in quattuor et viginti thronis populum iudicans. Nam unum quidem est Testamentum revera salutare, quod inde a constitutione mundi ad nos pervenit per generationes et tempora, etiamsi pro dandi ratione existimatum fuerit esse diversum. Una enim est immutabilis salutis datio ab uno deo, per unum Dominum, quae modis prodest multis. Utrique igitur, Graeci et Iudaei perveniunt ad fidei

unitatem; ex ambobus una est electio. Et electis, ait Ioannes, sunt magis electi perfecta cognitione, qui ab ipsa ecclesia decerpti sunt et magnificentissima gloria honorati, iudices et administratores, ex Iudaeis aeque et ex Graecis quattuor et viginti, gloria duplicata. Nam hic quoque in ecclesia progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, sunt, credo, gloriae angelicae imitationes illiusque οἰκονομίας, quam eos exspectare dicunt Scripturae, qui Apostolorum vestigiis insistentes vixerunt in perfectione iustitiae Evangelio convenienter.

Tales igitur requiescent in monte sancto dei, suprema ecclesia, in qua congregantur dei philosophi, qui vere sunt Israelitae, mundi corde, in quibus nullus est dolus. Sed sunt aliae quoque oves, non ex hoc ovili, pro fidei proportione alio ovili et mansione dignae. Fides enim differt a fide, idque bonorum operum differentia. Neque igitur is fuerit ita fidelis, ut salvus fiat, qui est intemperans; eiusmodi non carne deposita sola, sed depositis vitiis quoque, poterit ad propriam pervenire mansionem. Plus est autem cognoscere, quam credere, sicut supremo honore dignum esse habitum, quam salvum esse factum. A vitiis autem liberatus, transit homo ad alterius melioris priore mansionis supplicium, i. e. ad poenitentiam peccatorum post baptismum admissorum, qui dolor, visa aliorum perfectione, augetur, quocum pudor sociatur. Bona est enim dei iustitia, et iusta est eius bonitas. Poenis autem redditis, expiatis vitiis, manet tamen dolor maximus, quod alio tantum dignus ovili inventus sit homo, nec sit una cum eis, qui propter iustitiam affecti sunt gloria. Neque ergo fidelis solum, sed etiam gentilis iudicatur iustissime. Gentibus quidem philosophiam dedit ante fidem; via data eis erat, ut deum per astrorum cultum suspicerent. Qui autem non per astra ad deum ascenderunt, sed ab astris descenderunt procidentes ad lingua et lapides, reputati sunt, ait Scriptura, ut pulvis terrae et ut gutta ex cado: supervacanei enim ad salutem et eiecti a corpore. Quoniam autem et medium quoddam officium dicitur et perfectum, omnis gnostici quidem actio perfectum est officium, eius autem, qui simpliciter est fidelis, media dici possit actio, ut quae nondum fiat rationi convenienter neque recte perficiatur ex scientia. Contraque cuiusvis gentilis peccat actio, ut quae nullum habeat rectum finem rationi convenienter propositum. Quemadmodum igitur lyram pulsandi imperitis neque tangenda est lyra, ita nec sunt attingenda negotia eis, qui, quomodo negotiis uti oporteat per totam vitam, ignorant. Ignorantes enim, quid sibi utile sit, nesciunt;

qui utilia nescit, honestas actiones perficere non potest, neque recte deum precatur, dona accepta non tanti, quanti sunt, aestimat; finem ergo rectum non novit, non tangit. Eiusmodi homo igitur primum discat. Non didicisse enim in causa est, ut ignoretur.

Sed bona conscientia conservat et sanctitatem erga deum, et iustitiam erga homines, mundam custodiendo animam honestis cogitationibus, verbis castis, iustis operibus. Eiusmodi anima, ut tanquam deus fiat, nititur, nullum aliud putans esse malum, nisi ignorationem et factum non recte. Iamque semper de omnibus deo agens gratias iusta auditione, lectione divina, vera inquisitione, sancta oblatione, beata oratione, laudans, canens, benedicens, psallens: a deo nullo unquam tempore talis dividitur anima. Et haec etiam praeclarissimam nanciscetur mansionem. Nam sunt, ut diximus, pro fidei proportione variae mansiones, pro dignitate et meritis eorum, qui crediderunt. Et perfecta quidem haereditas eorum est, qui evadunt in virum perfectum, ad imaginem Domini. Similitudo autem non est secundum quorundam opinionem in figura humana; — haec consideratio rei est impia; — nec vero quae primae causae virtute traditur similitudo; — est enim haec quoque impia traditio eorum, qui eandem exspectarunt virtutem esse et hominis et dei omnipotentis[1]). Qui: Existimasti, inquit, inique, quod ero tibi similis! At enim vero, qui est in filium adoptatus, et in numerum amicorum cooptatus, is fit ad dei similitudinem, et est haeres cum Dominis ac diis, si, ut ipse docuit Dominus, secundum Evangelium fuerit perfectus[2]).

Gnosticus igitur dei similitudinem, magistri mentem, exprimens docendo quidem, animi elatione quadam accepta, docet in tectis eos, qui alte volunt aedificari; docet, quum iam antea fecerit. Quae enim fieri possunt, ea praecepta sunt. Atque principatum obtineat praesitque oportet, qui regalis est et christianus. Scientia igitur bonae vitae et malae salvus fit gnosticus, plus intelligens et operans, quam Scribae et Pharisaei. Sed gnosticus non quovis tempore docet. Qui intelligit, ait Scriptura, in tempore illo silebit, dum audire volunt indigni. Quare Dominus dat mihi linguam disciplinae, ut sciam, quando oporteat loqui sermonem. Est ergo gnostici uti scire sermone et quando, et quomodo, et coram quibus oportet.

---

[1]) Animadvertas velim, quam subtiliter et caute Clemens a pantheismo, quem vocamus, declinet.

[2]) p. 788—798.

Disciplinae autem ac fidei christianae participes fiunt homines quattuor modis. Est enim mentis conversio similis arborum insitioni, quae inutiles facit generosas, et quae erant steriles, cogit eas, ut sint fertiles. Insitionem enim fieri dicunt quattuor modis: uno quidem, quo inter lignum et corticem id, quod inseritur, apte immittere oportet; et ita quidem idiotae e gentibus initiantur catechismo, ut qui verbum recipiant in se tanquam ex superficie. Alter autem modus est, quo in lingnum fissum inserunt plantam generosam. Similiter igitur eis, qui sunt philosophati, dissectis quasi dogmatis, ingeneratur agnitio veritatis; et ita etiam Iudaeis, aperta veteri scriptura, nova ac generosa oleae planta inseritur. Tertia autem insitio agrestes tangit et haereticos, qui vi trahuntur ad veritatem; sed est huiusmodi: quum utrumque surculum falce acuta deraserint, dum nudaverint medullam, nec vero ulceraverint, vinciunt ea inter se[1]). Quartus denique insitionis modus est, qui vocatur inoculatio. Et hoc quidem genus est doctrinae gnosticae, quae res pervidere potest ipsas.

Iam vero universam salutis viam describit s. Scriptura his verbis: Eius enim (sapientiae) principium verissimum est desiderium disciplinae, i. e. cognitionis; cura autem disciplinae est caritas; caritas autem est observatio legum eius; attentio autem legum est incorruptibilitatis confirmatio; incorruptibilitas autem facit, ut ad deum prope accedatur. Sapientia ergo desiderium attolit ad regnum. Quodsi immortalitatem et regnum efficit cognitio, haec quaerenda est usque ad inventionem. Et inquisitio quidem per signa quaedam invenit id, quod est subiectum. Inventio autem est finis inquisitionis et requies, quae pervenit ad comprehensionem, sive cognitionem. Inquisitionis igitur de deo inventio est disciplina per Filium. Hunc autem servatorem nostrum ipsum dei Filium, in signo sunt prophetiae adventum eius antecedentes, quaeque ortum eius sensibus subiectum comitabantur testimonia de ipso et post ascensionem eius apertae in praedicatione virtutes. Quod igitur apud nos sit veritas, iudicium est, si quid docuerit dei Filius. In deo ergo veritatis nostrae fundamentum cernitur. Esse autem deum providentiamque, ita aeternis factis sermonibusque confirmatum est, ut, quicunque id negaverit, supplicio dignus esse videatur. Quapropter hoc demonstrare minime propositum est nobis, sed quid agendo et quomodo vivendo ad dei omnipotentis agni-

[1]) Hanc similitudinem non explicat.

tionem perveniamus; quique deum honorando efficiamur nobis causa salutis quaerimus; non a sophistis, sed ab ipso deo edocti eiusque, quod gratum est ei, cognitione imbuti: quod iustum est, quod sanctum, id facere aggredimur. Salus autem ex eius voluntate acquiritur bene agendo et cognoscendo; cuius utriusque magister Dominus. Sed quum a deo ipso, ut Platoni placet, veritatem discamus, ea, quae ad veritatem inveniendam adiuvant, non ideo sunt reiicienda. Ipsa certe philosophia, quae nunciat providentiam., beatae vitae remunerationem, miserae supplicium, summatim tractat theologiam. Quamquam accuratiora et singula non invenit, veluti dei Filium, providentiae οἰκονομίαν, i. e. redemptionem sensu generali, non novit. Simili autem modo haereses generaliter tantum unum deum et Christum quendam, non tamen certum, quem prophetiae praedicunt, celebrant. Quinetiam qui apud nos mandata non servant, sunt contra nos. Quae sunt igitur capita, haec eadem sint semper; in singulis autem licet Paulum imitatos nonnunquam nos aliquid aliorum salutis causa condonare. Qui vero in principalibus labuntur, hi, quoad ab eis fieri potest, Dominum reiiciunt auferuntque veram Domini doctrinam, ut qui non pro dei et Domini dignitate scripturas intelligant et tradant. Sunt certe neque prophetia neque ipse Servator tam aperte locuti divina mysteria, ut facile capi possent a quibuslibet, sed disseruerunt in parabolis, cuius rei ipsae testes sunt s. s. Scripturae. At vero r e c t a s u n t o m n i a, aiunt Scripturae, c o r a m e i s, q u i i n t e l l i g u n t, i. e. coram eis, qui regula ecclesiastica utuntur, quae consistit in concentu ac consensione Legis Prophetarumque cum novo Domini Testamento. Sed multis ex causis occultant Scripturae sententiam. Primum quidem, ut diligenter inquiramus, semperque in intelligenda salutari vigilemus doctrina. Altera autem causa est, ut, qui fraudi sint dediti, eos fugiat sensus. Dominus autem humanam naturam recepit, ut ab eis, quae sunt huius mundi caduntque sub sensus, deduceret ad illa, quae mente comprehenduntur. Itaque scriptura quoque usus est μεταφορικῇ. Huc pertinet parabola, quae proprii similitudine ad proprium perducit. Eis autem, qui non intelligunt, tota Domini οἰκονομία parabola manet. Nam Filii dei incarnatio, quam vocant, virginis conceptione, passio, resurrectio I u d a e i s q u i d e m s c a n d a l u m, G r a e c i s a u t e m s t u l t i t i a e s t. At vero Scripturae apertae illud ipsum, quod caro, quam susceperit Dominus, passa sit, d e i v i r t u t e m e t s a p i e n t i a m esse nunciant. Parabolis autem usi sunt et Prophetae et Dominus et huius discipuli, qui omnes persecutionem passi sunt et mortem, etiamsi multa in

parabolis praedicaverant. Sed habet etiam suas quasdam proprietates sermo Hebraeus, sicut aliarum quoque gentium unusquisque. Quibus Graeci certe utuntur et ut prophetias nostras imitentur, et ad orationis ornatum. Prophetia horum neutrum respicit. Sed quia non omnium est veritas, multis modis occultatur, ut solis initiatis ad cognitionem veritatemque propter caritatem quaerentibus lux exoriatur. Dicitur autem a barbara philosophia prophetiae species: proverbium, parabola, aenigma; sed etiam sapientia, disciplina, sermones prudentiae, strophae verborum, vera iustitia, doctrina dirigendi iudicium, astutia simplicibus, sensus et intelligentia. Qui hos autem, ait Scriptura, audivit Prophetas, sapiens erit sapientior, gubernationem autem possidebit intelligens, et intelliget parabolam et obscuram orationem et sapientum dicta et aenigmata. Hinc ergo Graeci, quorum dialecti lingua Hebraea multo sunt posteriores, si quid habent simile, sumpserunt. Nos vero inde veritatis regulam et gnosticam vivendi rationem sedulo et artificiose exhibebimus.

Ex Hermae igitur exemplo, qui litteras singulas libri accepti divinitus intelligebat, nec vero syllabas, esse nudam quandam et claram omnibus Scripturarum intelligentiam discimus. Et haec quidem ad elementorum fidem pertinet. Syllabarum autem intelligentia gnosticam significat explicationem. Iesaias quoque nonnulla scripsit paucis tum temporis percipienda. Quum autem Servator docuerit Apostolos, scriptae traditionis traditio non scripta nobis quoque traditur, quae novis cordibus secundum novum illum librum dei potentia inscribitur. Sensu igitur Scripturarum non simplici, Iesus filius Nave Moysem, dum assumitur, duplicem quoque vidit, unum cum Angelis, alterum supra montes, qui dignus erat, cui iusta fierent in convallibus. Vidit autem spectaculum illud cum Chaleb; nec vero ambo similiter. Citius descendit Chaleb, nimia quasi depressus gravitate; ille autem quum postea descendisset, gloriam, quam erat contemplatus narravit, historia ipsa, credo, non omnium esse cognitionem, indicante. Nam alii quidem Scripturarum corpus, perinde atque corpus Moysis, vident, i. e. dictiones et nomina; alii, Moysem, qui est cum Angelis, curiose inquirentes, sententias et significata nominibus pervident. Certe etiam eorum, qui Dominum invocabant, multi quidem clamabant: Fili David! pauci autem cum Petro Filium dei agnoverunt, qui paterna potentia id cognoscere potuerunt. Quemadmodum autem Hebraei gloriam Moysis, et sancti Israel Angelorum visiones haud statim ferre potuerunt,

ita nobis quoque haud sponte contingat, ut obiectum veritatis splendorem plenum adversis intueri oculis possimus[1]).

Nos autem gnosticae declarationis exempli causa percurramus Decalogum. De sacro denario quidem dicere nunc supersedeo. Duae autem tabulae coelum et terram significant; digitum vero dei potentiam esse putamus, qua haec creavit. Decalogus ipse imagine quadam coelesti continet solem, lunam, astra, nubes, lucem, spiritum, aquam, aerem, tenebras, ignem, qui est naturalis coeli decalogus; similiterque habemus naturalem terrae decalogum. Arca porro, quae haec amplectabatur, rerum divinarum et humanarum erit cognitio et sapientia. Sed tabulae etiam duorum testamentorum prophetia esse possunt. Et denarius quidem in homine quoque est quidam non ex una tantum parte[2]). — Clemens hac similitudine ad hominis partem principalem et alteram huic subiiciendam rationis expertem transit. Deinde scribit ergo ita. — Principalis animae pars habet liberam eligendi facultatem, qua nasci possunt inquisitio, disciplina, cognitio. Propter hanc facultatem vivit homo, idque certo modo. Pars autem corporea est, qua concupiscit homo, laetatur, irascitur, alitur, augetur; hac agat etiam menti cogitanti convenienter. Quodsi homo vicerit cupiditates, principalis pars regnat. Illud ergo: Non concupisces, idem est atque: non servies spiritui carnali sed imperabis! Quare, cur dicatur homo factus esse ad dei imaginem, intelligimus. Ut enim deus omnia ratione architectatur, sic homo, qui gnosticus evaserit, rationis facultate honestas perficit actiones. Sed duae rursus tabulae significant etiam duas hominis facultates, quibus percipit. Sensu enim haec omnia, quae cernimus, percipit, mente autem, quae sub sensum non cadunt, τὰ νοητά.

Iam vero primum praeceptum ostendit, unum solum esse deum omnipotentem, ducem potentem ex Aegypto et per solitudinem, in quo solo, idololatria abiecta, spes sit collocanda. Secundum, potentiam nomenque dei ad res genitas, inanes, ab hominibus artificibus factas transferri, vetat. Tertium, ad mundi creationem respiciens, septimum diem ad quiescendum ab huius vitae malorum perpessione a deo nobis esse datum, profitetur. Deus quidem omni vacat fatigatione; quiete nos egemus, ut qui carnem gestemus. Itaque dies septimus nuncupatur quies, praedicens quodammodo et praepa-

---

[1]) p. 798—807.

[2]) Hoc loco denarius in homine dupliciter ostenditur, sed argutius exposita esse videntur; de quibus dicendi opportunitas dabitur.

rans illum diem magnum, qui erit vere quies nostra, diem visionis et possessionis. Ex quo die prima sapientia nos illuminat et cognitio. Lux enim veritatis, lux vera, umbrae expers, Spiritus Domini, qui sine divisione dividitur in eos, qui fide sunt sancti, qui est luminis instar ad eorum, quae sunt, agnitionem.

Sed quoniam de septenario et octonario numero sermo iam coepit, ante coelum et terram ab omnipotenti sapientiam esse genitam, in memoriam est redigendum. Deinde autem, hanc sapientiam communicare cum hominibus, non essentiam quidem, attamen virtutem. — Hic magna, a proposita disputatione non digressio quidem, ut vult Nourrius; nam allegoria hanc rationem postulat; quum de septenario mysterium insit in tertio praecepto, per mutuam consequentiam etiam senarii et octonarii arcana continet: sed magna hic expositio de vi senarii in generandi causa, quam referre supervacanneum habeo. Operae autem pretium est de dei quiete post sextum diem eum audire. — Nec vero, ut quidam sentiunt, ea est quies dei, ut facere cesset. Nam quum bonus sit deus, si cessaverit unquam bene facere, deus esse cessabit quoque, quod dicere nefas. Sed quievisse idem est atque ordinasse, ut eorum, quae facta erant, veteri sublata confusione, ordo sine ulla transgressione servaretur in omne tempus. Deum quidem per sex dies laborasse, donec tandem multi laboris opificium finiret, absurdum est; sed pro necessaria rerum creatarum consequentia nostraque cogitandi ratione aliquid primum nominari oportet. Prima autem a Propheta dicta sunt, e quibus secunda, quamvis omnia ex una essentia simul facta sint potentia. Est enim, ut equidem puto, dei voluntas in una ταυτότητι. Quomodo autem in tempore facta fuerit creatio, si tempus quoque una cum eis, quae sunt, fuerit factum? — Hic de septenarii vi disseritur apud Angelos, in stellis, in lunae mutationibus, in humanae faciei sensibus, in aetatum variatione, in morborum die critico, cuius generis innumerabilia adducat Hermippus Berytius in libro de septenario. Tum revertitur ad quaestionem illam. — Ut ergo, mundum esse genitum, discamus, nec vero in tempore deum facere exsistimemus, Propheta: H i c e s t l i b e r, inquit, g e n e r a t i o n i s e t e o r u m, q u a e s u n t i n i p s i s, q u a n d o f a c t a s u n t, q u o d i e f e c i t d e u s c o e l u m e t t e r r a m. Illud enim: q u a n d o f a c t a s u n t, infinitam indicat ἐκφορὰν temporisque expertem. Hoc autem: q u o d i e f e c i t d e u s, i. e. in quo et per quem fecit omnia e t s i n e q u o f a c t u m e s t n i h i l, significat operationem per Filium. H i c e s t, ait David, d i e s, q u e m f e c i t D o m i n u s: e x s u l t e m u s e t l a e t e m u r i n e o, cognitione per ipsum tradita laetati divinis fruamur epulis. Dies enim

dictus est Logos, ut qui occulta illuminet, per quem in lucem et generationem accesserit unaquaeque creatura. Ad summam autem decalogus elemento ἰῶτα significat nomen beatum, Jesum, Logon.

Quintum porro praeceptum sequitur de honore patris et matris. Pater igitur deus, creator omnium; mater autem neque substantia, e qua sumus geniti, neque ecclesia, sed divina cognitio et sapientia, quam Salomon vocat iustorum matrem. Praeceptum de adulterio deinceps ad falsam ac vanam deorum simulacrorum religionem, quam multi, vera dei vivi cognitione relicta, eligunt, spectat. Haec certe est Apostoli sententia, haec prophetae, qui: Moechatus est, inquit, (Israel) eum ligno et lapide. Ligno dixit: Pater meus es tu; et lapidi: tu me genuisti! Praeceptum de caede porro sermonem verum de deo vivo eiusque providentia auferri vetat. Praeceptum de furto quum ad eos pertinet, qui veram falso imitantur philosophiam, tum ad eos, qui sese animantium et plantarum faciunt effectores. Neque enim qui semen spargit, efficit, sed qui incrementum largitur et perfectionem. Quae qui astris tribuerit, is deum privat, universorum patrem indefessa sua potentia. Astra autem et quaecunque potestates, quidquid faciunt, id faciunt dei verbo. Decimum denique praeceptum de omnibus est cupiditatibus[1]).

Sed Graeci philosophi deum, quem nominant, quoniam deum nequaquam colunt ut deum, cognoscere non videntur. De deo vero nihil potius dicentes, suas affectiones deo attributas exponunt. Id quod probabile, non id quod verum est, quaerunt. Atqui non ex imitatione docetur veritas, sed ex disciplina. Neque enim ut boni videamur, in Christum credimus, quemadmodum neque ad solem, ut in sole tantum esse videamur, accedimus: sed hic quidem, ut calescamus, illic autem, ut viri boni et honesti fiamus. Sed primum omnium est recta rei perceptio. Quod quis omnino non percipit, id ipsum ne desiderat quidem, neque inde provenientem amplectitur utilitatem. Postremum autem est, ut gnosticus imitetur Dominum, quoad licet hominibus, Dominica quadam imbutus qualitate, ad similitudinem eum deo acquirendam. Qui autem ignorant cognitionem, hi neque certa possunt regula metiri veritatem. Iam vero veritatis pars quaedam singulis est philosophis; sed non tam partes, quam tota veritas indaganda est. De deo autem non dicitur res una, imo innumerabiles. Refert quidem, utrum deum dicas, an quae sunt de deo. Nam omnino in unaquaque re distinguenda est

[1]) p. 807—817.

essentia ab accidentibus eius. Ac mihi quidem, deum absolute esse Dominum universorum, dicere sufficit. Sed quum duae sint veritatis species, nomina et res, nomina cum ornatu et elegantia sunt apud Graecos philosophos, res autem apud barbaros. Quemadmodum igitur Dominus vili ac humili corporis forma usus est, ne quis pulchritudinis eius a rebus mente percipiendis abduceretur: ita omnino non est versandum in dictione sed in rebus significatis. Vox corvi nihil nisi sonus; intelligens autem comprehensio fidem proxime consequitur. Fides autem caritate viva ac formata cognitionis particeps est, ut hi oculi visus. Neque igitur fidelis, se velle imperare pollicetur, sed iam imperare, non futurum, sed esse regalem, et luminosum, et gnosticum. Res autem deus omnes propter principalem universitatis partem (i. e. hominem) creavit. Et primum quidem hoc beneficium eis tribuit, ut fierent, deinde alterum, ut ad meliorem conditionem proficerent. At proficiendum Graecis philosophia quoque data est. Pili sunt numerati: num philosophia non in numero? Philosophi igitur quum ex eis, quae apud ipsos recte dicta sint, profecerint, curiose veram indagantes philosophiam, ad fidem perveniunt; fide autem fundamento usi addiscunt, cognitionem cupiunt, ad salutem magno studio contendunt. Iam vero hac ratione s. Scriptura, spiritum sensus datum esse a deo artificibus, qui nihil aliud est quam prudentia, vis animae ea, quae contemplatur essentias, discernit et confert consequens, simile, dissimile, praecipit, prohibet, coniectat futura. Cuiusmodi prudentia etiam in malis quodammodo esse potest. Sed per totum mundum, per omnia humana pervadens prudentia mutat appellationes. Si primis se applicaverit causis, appellatur intelligentia, quam si demonstratione confirmaverit, cognitio dicitur, sapientia, scientia; in eis, quae ad pietatem spectant, sine contemplatione fides est; in rebus sub sensus cadentibus recta opinio, in manuum actionibus ars; sin observationibus a primis causis segregatis nititur, experientia vocatur; pertractatio autem secundum intelligentiae praecepta rationi conveniens cum electione et assensione nuncupatur dialectica, quae vera confirmat, dissolvit dubitationes. Philosophia ergo a deo, ut qui omnia singula videat, omniumque bonorum sit auctor. Nec vero ita omnia a deo proficiscunt, ut prima et principalis eorum sit causa; sed multa bona fiunt per homines. Atqui hominum vires a deo datae, et quidquid bene agunt homines, hoc providentia duce agunt. Atque divinae

---

[1]) p. 817—824.

voluntati maxime obedit liberum bonorum virorum arbitrium. Quinetiam cogitationes eorum divina nascuntur inspiratione; et divina voluntas quodammodo animis humanis inditur, certis dei ministris ad talia ministeria opem ferentibus. Nam per gentes et civitates distributae sunt Angelorum praefecturae. Fortasse autem ex eis deputati sunt singulis. Pastor enim singularum quoque ovium curam gerit, inprimis autem hominum praeclari ingenii, qui multum possunt populo prodesse, apti ei et ad regendum et ad docendum, quibus suppeditat, quidquid conducit. Nonne igitur absurdum, eos, qui et ipsi diabolo confusionem tribuant et iniustitiam, eundem rei praeclarae et coniunctae cum virtute, philosophiae constituere largitorem? Quodsi ita esset, diabolus Graecos, ut boni fierent viri, maiore, quam divina providentia, benignitate adiuvaret. At enim vero mali est male facere, ut, oculos confundere, tenebrarum. Non est ergo malitiae opus philosophia, ut quae faciat homines virtute praeditos; restat igitur, ut sit dei, cuius solum est bene facere. Itaque philosophia etiam optimo cuique est data. Merito igitur Judaeis quidem Lex, philosophia autem Graecis donata est usque ad adventum, ex quo iam universalis vocatio totius generis humani. Nec vero in philosophia, sed etiam quae in artibus qua talibus insunt bona, haec habent principium divinitus. Sunt autem tres omnis utilitatis, quam alter alteri impertitur, modi: unus comitandi modus (si paedagogus una quasi discit cum puero); alter imitationis; tertius, qui fit iussu. Comitatu, imitatione, iussu gnosticus quoque discipulos adiuvat, a deo ipse modo isto triplici adiutus; adiuvat autem deus per Angelos, sive videntur, sive non videntur, per quos et cogitationes largitur, et actionis alacritatem. Sed proponuntur etiam nobis ad imitationem similemque conformationem vere admirabilia et sancta exempla in historia narrata. Omnis autem et plena utilitas suprema ratione a deo omnipotente, qui praeest omnibus pater, praestatur per Filium, qui etiam propterea est Servator omnium, maxime autem fidelium.

Gnosticus igitur noster, quae sunt principalia maxime, in eis semper versatur. Otii autem tempore Graecam quoque attingit philosophiam; nec vero meliorum ac praecipuorum oblitus, contentionis causa rationum umbras persecuturus, sed quantum decet, tantum suscipiens. Scire enim bonum omnia; qui omnia nequit capere, is eligat meliora tantum et praecipua. Quam autem solus gnosticus habet revera scientiam, ea est comprehensio stabilis per veras ac stabiles rationes deducens ad causae cognitionem.

Quodsi philosophandum est nec vero in philosophia acquiescen-

dum, Graecos iam discere oportet per Legem et Prophetas, et colere deum unum vere omnipotentem. Deinde vero, quum scientia veri contineat falsi scientiam, intelligant, simulacra eorum, quos colunt, non esse imagines. Relictis porro simulacris audient: Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum, abstinentia tantum a malis iustorum; nisi proximum quoque possitis diligere eique benefaeere: non eritis regales. Quod enim auget iustitiam ex Lege, gnosticum indicat. Atqui cognitionem obtinere principatum, eis, qui possunt pervidere, aperte ostendit Apostolus: Spem autem, inquit, habentes, augescente fide vestra, fore, ut magnificemur secundum regulam nostram in abundantia, ut in eis, quae sunt supra vos, evangelizem. Cognitionem igitur, quae fidei perfectio est, abundare docet ultra catechesin, convenienter maiestati doctrinae Domini et regulae ecclesiasticae. Ceterum ne Graeci, ut qui non a deo didicerint, de veritate quasi a se solis comprehensa glorientur. Neque enim fide digni sunt homines de deo dicentes quatenus homines. Homo, imbecillus mortique obnoxius, de ingenito immortalique, cuius opus ipse est, pro dignitate vera dicere non potest. Spiritus scrutatur dei profunda. Animalis autem homo non capit ea, quae sunt spiritus. Sola igitur nostra a deo est tradita sapientia, ex qua omnes pendent sapientiae fontes, quicunque ad veritatem pertinent. Venientis certe ad homines Domini, qui nos erat docturus, innumerabiles fuere nuncii, significantes, praeparatores, praecursores iam pridem ex mundi constitutione, operibus, verbis eum esse venturum praesignificantes praedicentesque, et quomodo, et quando, et quibus signis. Eminus quidem Lex praemeditatur et prophetia. Deinde praecursor (Ioannes) ostendit praesentem, post quem praedicatores docentes adventus virtutem declarant. Philosophi Graecis solis, neque his omnibus placuere; sed Patoni Socrates, Xenocrati Plato, Aristoteles Theophrasto, Cleanthi Zeno. Nostri autem doctoris verbum non mansit in sola Iudaea, sicut philosophia in Graecia, sed diffusum est per totum orbem terrarum, Graecorum simul et barbarorum gentibus et vicis et urbibus totis persuadens, etiam e philosophis non paucos traducens ad veritatem. Graeca porro philosophia, si quivis magistratus eam prohibuerit, statim peribit; at nostram doctrinam inde a prima praedicatione vetant reges simul et tyranni et singuli duces et magistratus cum universis satellitibus et innumerabilibus etiam hominibus belligerantes adversus nos et pro viribus ad internecionem caedere nos conantes. Illa vero magis

etiam floret; neque enim, velut doctrina humana, emoritur, neque, ut donum imbecillum, flaccescit. Namque nullum dei donum imbecillum; manet nec potest prohiberi, etiamsi perpetuo passuram esse eam persecutiones, praedictum est. Quodsi a Platone et Democrito poetis divinus quidem afflatus vindicatur, quorum scimus, qualia sunt dicta: quisnam, dei omnipotentis prophetas instrumenta fuisse divinae vocis, audiens obstupescet? Gnostici igitur tanquam adumbrationem describentes, quaenam sit morum eius magnitudo et pulchritudo, ostendimus. Qualis autem sit in rerum naturalium contemplatione, postea, quum de ortu mundi disserere coeperimus, demonstrabitur [1]).

§ 12.

Libri VII argumentum describatur.

Iam vero, solum vere dei cultorem esse gnosticum, Graecis ostendendi tempus, ut philosophi, quum qualis vere sit christianus didicerint, suam damnent inscitiam. Adversus philosophos autem evidentioribus, credo, rationibus utamur oportet, ut ex sua ipsorum doctrina exercitati iam possint intelligere, quamvis seipsos, qui sint credendi facultatis participes, nondum praebuerint dignos. S. s. autem scripturis postea, tempore opportuno, utemur, quas interim, ne orationem saepius interrumpamus, omittimus. Sed summatim argumentum, Christianismum adumbrantes indicabimus. Quum autem crediderint, ipsa scripturarum testimonia abunde referentur. Attamen, etiamsi non verba, sententias ex s. s. scripturis, unde omnia spirare et vivere debent, adducemus. Nam beati certe sunt, qui scrutantur testimonia Domini. De Domino autem testimonium ferunt Lex et Prophetae.

Est igitur nobis ostendere propositum, solum gnosticum esse sanctum et colere deum prout divina postulat maiestas. Huiusmodi autem vir et a deo amatur, et amat ipse deum. Quidquid ergo est excellens, id pro dignitate censet honorandum: et in rebus quidem, quae sub sensus caudunt, honorandos esse magistratus parentes omnemque seniorem; in eis autem, quae docentur, antiquissimam philosophiam et vetustissimam prophetiam; in his autem, quae mente percipiuntur, id quod generatione est vetustius, tempore carens et principio primitiasque eorum, quae sunt, Filium, a quo discere oportet causam, quae est supra hunc mundum, universorum Patrem, vetustissimam, omnium beneficentis-

---

1) 824—827.

simam, quae voce non traditur, sed reverentia et silentio sancta cum admiratione maxime est colenda ac veneranda; quae porro ab eis tantum intelligitur, qui a Domino electi sunt ad cognitionem. Dei igitur cultus, quem praestat gnosticus, in continua consistit ipsius animae cura et dei occupatione propter caritatem nunquam cessantem. Quemadmodum autem hominum cultus partim homines reddit meliores, partim in ministerio versatur: in ecclesia res se habet similiter; et istius quidem cultus, qui reddit meliores, presbyteri servant imaginem, qui autem servit, diaconi. Ambobus etiam ministeriis angeli vacant. Itemque gnosticus hominibus illam, qua fiunt meliores, ostendit contemplationem; solus autem honeste deum colens, in rebus humanis sine ulla reprehensione deo servit. Iam vero gnosticus, quoniam solus deum divinae maiestati convenienter colit, solus etiam erit dei amicus. Sicut autem qui patrem honorat, amat quoque patrem: ita qui deum honorat, amat deum. Amat igitur deum gnosticus, qui etiam, quid deceat deum, quomodo homo dei fiat similis, bene novit. Sed haec tria perficiet; primum res cognoscet; secundum, quodcunque Logos praeceperit, id conficiet; tertium, prout dei postulat dignitas, ea, quae in veritate occulta sunt, tradere poterit. Hic ergo, cui deum esse omnipotentem, persuasum est, qui divina didicit mysteria a Filio: quomodo ἄθεος? Nam ἄθεος is est, qui non putat esse deum; contraque δεισιδαίμων (Graecus), qui timet daemonia, qui omnia in deorum refert numerum, et lignum et lapidem et spiritum, hominem autem rationi convenienter viventem redigit in servitutem.

Sed fidei primum est, nosse deum; alterum, Servatoris doctrinae fiduciam habere, tertium, propter dei agnitionem nullo modo facere iniusta. Hac fide ornatus is homo, qui summa in deum est pietate, res est praestantissima in terra; in coelo autem angelus. Perfectissima et sanctissima, maximeque principalis et ducens, et maxime regia et longe beneficentissima Filii est natura, quae soli omnipotenti est proxima. Haec est maxima excellentia, quae omnia ex Patris voluntate ordinat et hoc universum gubernat optime, indefessa, et quae nunquam potest exhauriri, potestate cuncta agens, quod agit arcanas respiciens cogitationes. Nunquam enim e sua excedit specula dei Filius, ut qui nunquam dividatur, nunquam secetur, nunquam transeat a loco in locum, qui sit semper ubique, contineatur nusquam: totus mens, lux totus paterna, totus oculus, omnia videns, omnia audiens,

sciens omnia, potestate perscrutans potestates. Cui subiecta est universa angelorum deorumque militia, Logo, inquam, paterno, qui, Patre subiiciente, sanctam οἰκονομίαν exhibet. Propterea ipsius omnes sunt homines; alii iam agnitione, alii ita nondum; ut amici alii, alii ut servi fideles, ut absolute servi alii. Hic est doctor, qui gnosticum erudit mysteriis, bona autem spe fidelem, eum vero, qui duro est corde, disciplina corrigente. Hinc est providentia privatim, publice, ubique. Sed dei esse Filium, eumque hunc ipsum Servatorem et Dominum nostrum, aperte divinae ostendunt prophetiae. Servat autem eos, qui volunt ipsi; cogit nunquam. Graecis igitur per angelos inferiores, per gentes distributos, dedit sapientiam; omnium enim Servator curam etiam gerit omnium. Dividit autem beneficium suum pro unius cuiusque facultate inter Graecos et barbaros praedestinatos, tempore quidem vocatos, fideles et electos. Invidia non movetur; sed eis, qui eximie crediderunt, honores tribuit eximios. Neque invidia incitatur deus impatibilis omniumque Dominus, neque ignoratione, quominus salutis uniuscuiusque gerat curam, prohibetur. Ignoratio non tangit deum, qui ante mundi constitutionem Patris fuit consiliarius, Logos Patris, maxime principalis, sapientia, proprie eorum doctor, quos ipse formavit. Nec voluptate abstractus negligit hominum curam, qui quum carnem suscepisset patibilem, hanc ad impatibilitatis habitum erudivit. Omnis autem Domini operatio ad omnipotentem referenda est, quum ipse Filius sit, paterna quaedam, ut ita dicam, operatio. Nunquam igitur servator odio habet homines, qui ex praecellenti erga homines caritate non despexit carnis humanae imbecillitatem, qua indutus ad communem venit hominum salutem; communis enim fides eorum, qui elegerunt; et hi quidem fide initiantur. Sed Logos principio sensibus non est comprehensus. Quum autem carnem accepisset, venit ab hominibus visus, hos quidem obedire mandatis posse, ostensurus. Gubernat autem res omnes et summas et minimas. Quemadmodum enim vel minima pars ferri lapidis magnetis spiritu movetur per multos annulos ferreos extensa: ita etiam qui virtute sunt praediti, sancto attracti Spiritu cum prima mansione coniunguntur; deinceps autem alii (cum sequenti mansione) usque ad postremam. Mali autem quum neque ipsi se teneant neque teneantur ab alio, circumfluunt perturbationibus circumacti et decidunt humi. Virtus enim, vita, beatum praemium sunt liberi arbitrii. Maiore autem virtute ad altiorem quoque locum ascendit homo, donec ad impatibilitatis habitum per-

veniens profecerit ad virum perfectum, ad cognitionis simul et haereditatis excellentiam. Quae salutares conversiones pro ordine mutationis dividuntur et temporibus et locis et honoribus et cognitionibus et haereditatibus et ministeriis usque ad transcendentem continuamque Domini in aeternitate contemplationem[1]).

Iam vero quum Dominus omnes homines natura amabiles fecerit, amat etiam omnes. Quapropter minime eos, qui ante Legem fuere, sine lege esse voluit, neque eos, qui barbaram philosophiam non audiebant, effrenatos ferri permisit; aliis Legem largitus est, aliis philosophiam. Post ipsius autem adventum, qui non credit, nullo modo potest excusari. Qui autem ex Graecis salutis summam fide iam elegerit, is superabit ceteros omnes philosophos, quamvis antea multo magis subtiles. Sed est hoc omnino liberi arbitrii. Nam Dominus nulla ratione mali causa, omnis potius salutis.

Ceterum illas dico animas gnosticas, quae excellenti contemplationis magnitudine cuiusque ordinis sancti vitae institutum superant, quibus beatae deorum habitationes distributae sunt, quae sanctae in sanctis numerantur, translatae integrae ex integris, in meliora meliorum locorum loca venientes, non in speculis vel per specula divinam amplectentes contemplationem, sed animarum maxime evidentem planeque sinceram inexplebilem amantium visionem in sempiternum sempiternam convivio exceptae inexplebili fruentes laetitia in secula sine finibus: has dico animas permanere omnis excellentiae ταυτότητι. Sed hanc contemplationem ei tantum intelligunt, qui mundo sunt corde. Gnosticus vero cum deo consuetudinem illam habet per magnum pontificem, ipse pro viribus dei similis factus omni in deum pietate, quae etiam ad hominum salutem sese extendit. Et primum quidem gnosticus seipsum creat et fabricatur; tum vero deo similis factus eos etiam, qui ipsum audiunt, exornat. Mansuetudo autem, benignitas, eximia in deum pietas, regulae gnosticae similitudinis cum deo acquirendae mihi videntur. Primum enim deponantur oportet cum peccato omnes animi perturbationes. Veteris enim Testamenti iam non sunt sacrificia; nostrum sacrificium est Christus; nos vero deo nullius rei indigenti etiam nosmetipsos sacrificamus, i. e. veteris hominis cupiditates de medio tollimus. Nam sola deus delectatur nostra salute. Ad deum nostrum nulla sacrificiorum exhalatio ascendit; nec sacrificiis nec donariis nec gloria honoreque deus noster invocatur, neque allicitur huiusmodi aliis, sed solis apparet viris honestis bo-

[1]) p. 828—834.

nisque, qui iustum nunquam prodiderint, neque metu neque ullis promissis.

Iam qui animae libertatem non perspiciunt, dum iustorum persecutiones vident, deum esse negant; similiter voluptatibus intemperanter dediti, vel qui incidunt in dolores vehementiores, sive in repentina infortunia, vel rebus adversis fracti dicunt, non esse deum, aut, sit, non omnia eum intueri. Alii plures faciunt deos suis quemqne libidinibus detentos. Sed credere (in deum verum) et parere in nostra est potestate. Nec vero malorum causa materiae imbecillitas, impetus quidam caeci et necessitates, quas tanquam bestias mansuefacit gnosticus. Qui, si quando in magistratu fuerit constitutus, ut Moyses, praeibit eis, in quos imperium obtinuerit, ad salutem; mansuefaciet id, quod est agreste et infidele; cum honore quidem optimorum ac praestantissimorum, improborum autem, quatenus rationi sit conveniens ad disciplinam, supplicio. Et hanc quidem divinam imaginem perfectamque ad sui ipsius imaginem comtemplationem gnostico imprimit unigenitus ille, qui et ipse omnium Regis et omnipotentis Patris gloriae est χαρακτήρ. Itaque gnosticus, sibi suisque imperans, stabilem possidens divinae scientiae comprehensionem, sincere accedit ad veritatem. Haec autem et divinorum est et humanorum. Cognitio igitur, quae in rebus versatur divinis, haec sibi proponit consideranda: quae sit prima causa, quid sit id, per quod facta sint omnia et sine quo nihil factum; quaenam sint ea, quae, ut penetrantia se habent, quae autem ut comtinentia; quae sint coniuncta, quae vero disiuncta; quemnam horum quidque habeat ordinem, quas vires, quod ministerium afferat unumquodque. Sin autem in rebus humanis insistit, haec contemplatur: quid sit ipse homo et quid sit ei secundum naturam, quid praeter naturam, quomodo agere vel pati oporteat, quaenam sint eius virtutes, quae vitia, quae bona, quae mala, quae media; tum vero quaecunque de fortitudine, de prudentia, de temperantia, deque virtute ex omni parte perfecta iustitia solent tractari. His quattuor virtutibus maxime excellit gnosticus; inprimis etiam fortitudine, cuius species sunt: tolerantia, mentis elatio, magnitudo animi, liberalitas, magnificentia, ut inter ceteros homines videatur vir, sitque mundus et quasi supermundanus. Dives ctiam quam maxime, ut qui nihil concupiscat, egeat paucis, omnium bonorum abundet copia propter boni cognitionem. Quumque iustitiae, qua ornatus est, primum sit munus, ut amore omnes sui eiusdemque generis complectatur, libenter, si quae possidet, impertit et communicat. Iam vero dei servus est, qui

sua se sponte praeceptis subiicit; qui autem non propter praecepta, sed propter ipsam cognitionem mundus est corde, is dei amicus est. Neque enim nascimur virtute praediti, neque haec postquam sumus nati, ut aliae quaedam corporis partes, accedit postea naturaliter; neque consuetudine et usu formatur, ut sermo, virtus perficitur, neque ex arte proficiscitur cognitio; neque ex disciplinis liberalibus, quarum est praeparare tantum et ministrare. Nam leges civiles actiones malas forte reprimere possunt; sermones ad persuadendum tantum comparati, ad veritatis stabilitatem non perveniunt. Philosophia autem Graeca purgat et praeparat animam ad fidem accipiendam, super quam veritas aedificat veritatem. Sed hic verus est athleta, qui in magno stadio, in pulchro illo mundo coronatur, veram assecutus victoriam de omnibus animi perturbationibus. Ubi etiam ἀγωνοθέτης est deus omnipotens; qui autem praemia distribuit, unigenitus dei Filius; atque spectatores sunt angeli et dii. Certamen vero est adversus spiritales potestates, quae per carnes operantur vehementes vitiorum perturbationumque motus. Qui igitur magna haec proelia superaverit, tentatore prostrato, is potitus erit immortalitate. Omnibus autem praemia a deo proposita sunt aequalia; mentem autem, ut, quid agamus, sciamus, accepimus. Atque illud quidem: N o s c e   t e i p s u m! est nihil aliud, nisi: cognosce, propter quid orti simus. Orti autem sumus, ut obedientiam eligamus ad salutem, Deus autem salutis nostrae initium. Primus enim incipit benefacere communicando. Iam qui communicata bene considerans alacri animo susceperit mandata atque custodierit, is erit fidelis. Qui vero pro acceptis his beneficiis gratias agit quam maximas perfecta caritate, hic amicus. Gratiae autem sunt actiones honestae, quas doctor noster et servator in suam recipit honorem et gloriam[1]).

At vero Graeci, sicut humana praeditos forma, ita etiam humanis perpessionibus deos obnoxios esse opinantur. Et quemadmodum formas eorum sui similes singuli describunt, ut ait Xenophanes, A e t h i o p e s   q u i d e m   n i g r o s   e t   s i m o s,   T h r a c e s   a u t e m   f u l v o s   e t   c a e r u l e o s: ita animos eorundem quoque ad seipsos conformant; barbari quidem agrestes moribusque efferatis; Graeci mansuetiores, sed in quos tamen cadunt perpessiones. Quapropter, improbos malas de deo suscipere cogitationes, optimas autem probos, consentaneum est. Quamobrem gnosticus, qui vere regio est animo, quum et deum verum pie colat et alienus sit ab omni super-

---

[1]) p. 828—841.

stitione, persuasum habet, eum solum, qui solus sit deus, honorandum esse, venerandum, magnificum illum, beneficum, omnium bonorum principem et auctorem, minime vero causam malorum. Quamvis igitur de diis Graecorum falsis et satis et aperte in Protreptico disseruerimus, tamen hoc loco propter consequentiam, eos, qui deum, pessimorum hominum faciant similem, impios esse, paucis ostendendum est. Quorum sententia aut laeduntur dii ab hominibus; et sic quidem qui laedantur a nobis, eos hominibus esse deteriores apparebit; aut si non laeduntur, quare perinde atque anicula iracunda ad iram incitata indignantur? Sed tam superstitiosi estis, ut, si mus aram e luto constructam perfoderit; si gallus vespere cecinerit, hoc iratorum deorum signum esse statuatis. Quam superstitionem vel ipsorum poetae et philosophi ludibrio habent. Sunt autem huiusmodi superstitionis signa innumerabilia. Illi autem ipsi, quamvis ludibundi, omne lignum, omnem lapidem pinguem, ut dicitur, adorantes, lanas flavas, frusta salis, faces, scillam, sulphur extimescunt, immundis quibusdam expiationibus incantati a praestigiatoribus. Sed omnis munditia sicut immunditia, quod ad hominem attinet, mentis est. Qui non sunt sancti, hi pertimescant deum verum. Sed purgentur potius a malis, ut ad mysteriorum traditionem accedere possint.

Iam vero qui totum hunc mundum et rerum universitatem dei habitationem excellentia eius dignam exsistimant, haud dubie meliores sunt, quam ei, qui eundem templis manu factis circumcludi opinantur. Ridiculum enim fuerit, ipsis fatentibus philosophis hominem, ipsum deorum ludum, efficere deum, et omnino ex ludicra arte fieri deum. Quae porro a vilibus conficiuntur hominibus simulacra et templa, fiunt ea ex inerti materia; quare ipsa quoque fuerint inertia, materialia, profana: utut artem perfeceris, illiberalitatis semper erunt participia. Sed collocantur hi dei. Quodsi deus collocatur ab hominibus, fuit aliquando non locatus; non fuit ergo omnino. Itaque deo, cuius sunt omnia, opus erat aliquo, a quo et fieret et collocaretur; id quod est absurdum. Si porro deus forma est homini similis, ut homo etiam egebit alimento, vestitu, domo, similibus. Sin deus ipse ab eo, quod est in eius honorem constructum, seperandus est: cur nosmetipsi ecclesiam, quae in dei honorem agnitione facta est sancta, non proprie sacrum dixerimus, quod magni est pretii, non illiberali arte aedificatum, neque praestigiatoris manu ornatum, sed dei voluntate effectum templum? Neque enim nunc locum, sed electorum congregationem appello ecclesiam, quod templum melius est ad recipiendam dei dignitatis magnitudinem. Animans enim magni pretii ei, qui est omni pretio dignus,

imo cuius pretio nihil prorsus respondet, propter insignem sanctitatem est consecratum. Illud autem magni pretii animans erit gnosticus, a deo honoratus, in quo deus est collocatus, i. e. in quo consecrata est dei cognitio. Hic divinam inveniemus effigiem sanctamque imaginem in anima iusta. Hic est et nondum collocatum et iam collocatum. Nam quidquid est crediturum, id iam tanquam fidele et deo positum in honore simulacrum, virtute praeditum, deo est dedicatum.

In deum igitur, neque loco circumscriptum neque animalis forma concretum, nullae quoque cadunt cupiditates. Quapropter cibum ei praebere, stultum est. Sed dii vestri sunt quidem eiusmodi. Nam inter ipsos et homines litem oriri nonnunquam narrant poetae de optimis sacrificiorum frustis. Sed si nidor revera deorum Graecorum munus est: cur non coquos quoque in deos referunt prius, qui aequali dignantur beatitudine? At vero deus alitur fortasse sine appetitione. Est igitur plantarum similis et bestiarum quarundam in cavernis. Sin autem non alimento quidem sed honore gaudet deus, non inepte nos quidem deum precibus honoramus, sacrificio optimo et sanctissimo. In deo quidem nullus odoratus sensus. Sed ecclesiae odore gaudet. Est enim ecclesiae sacrificium oratio, quae a sanctis exhalatur animis. Quae vero ex Lege fiunt sacrificia, ea allegorice nostram significant religionem. Sacrificia autem apud gentes ab hominibus propter carnium esum excogitata esse mihi videntur. Carnibus quorumlibet animalium vesci quovismodo non est probandum. Quodsi quis, non ut Pythagoras propter somniatam animarum transmigrationem, sed ne animam oneret, carnibus omnino non vescitur, is non est vituperandus. Multarum autem bestiarum carnes Lege ideo prohibentur, quod vitia quaedam ac scelera significant. Fortasse etiam gnosticus, ne ipsius caro nimis luxuriet, abstinuerit a carnibus. Aegyptiorum quoque sacerdotibus in purgationibus, quae fiunt ex ritu, carnibus vesci non licet. Oportet ergo deo sacrificia offerre accepta, oratione, fidei unitate, sanctis operibus[1]).

Iubemur autem colere et honorare eundem, quem et Logon et servatorem ducemque esse, habemus persuasum; per ipsum autem Patrem, non, ut alii quidam faciunt, selectis diebus, sed continenter per totam vitam modis omnibus. Certe genus electum, praecepto iustificatum: Septies, inquit, laudem dixi tibi. Unde nec definito loco, neque in templo selecto, neque diebus quibusdam

[1]) p. 841—851.

festis ac praestitutis, sed per totam vitam gnosticus omni loco, etiam si sit solus secum, ut si secum habuerit eiusdem fidei alios, gratiis, quod rectae vitae cognitionem dederit, agendis, deum honorat. Quodsi viri boni consuetudine et familiaritate reddimur meliores, quomodo is, qui semper cum deo est praesens cognitione, vita, gratiarum actione, non merito se melior usque evadat et factis et verbis et actionibus? Per totam vitam diem festum agentes, quum ubique et omni ex parte deum adesse nobis persuasum sit, laudantes colimus agros, navigamus hymnos canentes, atque in omni alio vitae instituto ex arte versamur. Gnosticus autem in omnibus et gravitatem ostendit et hilaritatem; illam quidem ad deum se convertens, hanc vero bona considerans, quae nobis dedit deus hominibus. Hic igitur homo vere est regalis, hic sanctus dei sacerdos. Voluptatis vitia ne in somnis quidem admittit. Sensibus nullo modo blanditur, sed honestum rerum omnium usum ad deum semper referens, et cibi et potus et unctionis primitias universorum largitori cum gratiarum actione offert; ad convivia non venit nisi amicitiae causa concordiaeque. Scit enim omnia deus, non auditu quidem usus, sed sine ullius sensus ope cognoscit vi inexplicabili simul omnia cum cogitatione. Quodsi quis vocem inferius in aere volvi dicat nec pervenire ad deum: at vero sanctorum cogitata non solum aerem secant, sed totum mundum. Statim autem vis divina, perinde ac lux, totam perspicit animam. Vocem non exspectat is quidem, qui electum novit nondum natum, et futurum ut praesens cognoscit. Penetralia, ait Scriptura, scrutetur lucerna potestatis.

Totus auditus, totus oculus est, ut his nominibus utar, deus. Quamobrem falsa et indecora de deo opinio, quam videt deus, efficit, ut multorum laudatio nihil differat a maledicto. Preces omnino animi appetitionibus respondent. Ea autem petuntur, quae cupiuntur. Qui autem cognitione tanquam possessione quadam praeditus est, petit et precatur vere bona, sed agit etiam cum gratia, ut mox non iam habeat bona velut adiuncta quaedam, sit potius ipse bonus. Est autem extrema inscitia, ab eis, qui non sunt dei, petere ut a deis, et mala quidem petere quasi bona. Sed quum unus sit deus bonus ab ipso petimus, ut bona alia accipiamus, permaneant nobis alia. Precamur etiam, ut mala depellantur, nec vero in aliorum hominum damnum, nisi iustitiae causa. Est autem, ut audacius dicam, precatio collocutio cum deo. Licet igitur loquamur tacite, clamamus intus. Quamlibet enim internam collocutionem deus exaudit perpetuo. Hinc et caput et manus in coelum pedesque excitamus in ultima precationis acclamatione, spi-

ritus alacritate illam assecuti essentiam, quae mente comprehenditur; conantes autem una cum sermone corpus quoque a terra abducere animamque erigentes meliorum desiderio alis donatam, magno animo carnis vinculum despicientes, in sancta cogimus progredi. Quemadmodum enim Judaei Aegyptum, sic gnosticus totum mundum transcendit, ut se deo fore quam proximum aperte ostendat. Nonnulli quidem certas horas, ut tertiam, sextam, nonam, precationi constituunt; at gnosticus orat per totam vitam. Quamquam tribus illis horis beata indicatur sanctarum mansionum trinitas. At vero Prodici haeresim secuti, sunt, qui orandum non esse doceant. Hoc autem placitum a Cyrenaicis mutuati sunt. Sed contra hos haereticos tempore dicemus; nunc vero, gnosticum solum vere dei esse cultorem, omniaque, quae vel petat vel cogitet, a deo accipere pergamus ostendere. Quemadmodum igitur quidquid vult, potest deus, ita quidquid petierit gnosticus, id accipit. Dabit enim deus, quos novit, dignis. Neque ideo, quod scit deus omnia, supervacanea petitio. Gnosticus autem, Domini exemplum secutus, et gratias agit, et petit, ut convertantur proximi. Fides etiam, qua quis se accepturum esse, quod petit, confidit, precatio quaedam est gnostici. Est autem veluti mutua quaedam respondens providentiae cura, gnostici quidem sanctitas et dei amici benevolentia. Neque enim deus invitus est bonus, quemadmodum ignis vi calefaciendi est praeditus, sed libere bona impertit, quamvis anticipet petitionem. Neque rursus homo invitus fiet salvus, sed libero animi arbitrio contendet ad salutem. Unde valent etiam praecepta. Dei ergo sumus servi et cultores, qui maxime liberum ac regalem cultum exhibemus pia voluntate et cognitione.

Quae quum ita sint, omnis locus sacer est et omne tempus, quo dei cogitationem concipimus. Examinantur autem precatione mores, quomodo se habeant ad officium. Quum autem mens mentem exaudiat, deus non exspectat linguas loquaces, tanquam hominum interpretes; cogitatio enim deo vox est, quam ante creationem in mundum esse venturam sciebat. Licet igitur precari sine voce. Quum autem ex oriente lux venerit ad diem cognitionis veritatis, ad ortum matutinum habentur preces. Unde etiam templorum antiquissima spectabant ad occidentem, ut, qui vultu starent ad simulacra converso, docerentur verti ad orientem.

Iam vero sceleratis hominibus precatio non aliis solum, verum etiam sibimet ipsis est perniciosissima; bonorum enim usus non sunt periti. Petunt quae v i d e n t u r, non quae s u n t bona. Gnosticus vero precatur, ut ea, quae vere sunt bona in animo posita,

et sibi sint et aliis. Sibi autem petit bonorum aeternitatem, sibi iam sufficiens divina gratia et cognitione. Caritate infinita coniungitur cum Spiritu, quod est optimum, possidet, ad contemplationem vim habet in anima permanentem, perspicacem scientiae acrimoniam. Qua quidem in contemplatione perpetuo quasi residens, a iucundis abstinet, in omnibus facit recte, magna etiam instructus experientia et doctrina vitae, dicendi possidet libertatem, non vim quidem linguae effrenatae, sed eam, quae simplici utitur oratione, nihil opportunitate data celans, neque propter gratiam quidquam, neque propter timorem. Semper benignus est, mansuetus, aditu facilis, affabilis, patiens, gratus, bona conscientia. Sed austerus etiam, ne tentetur, nonnunquam. Iudex, Logo vocante, fit nulla re nisi iustitia movendus. Atque aequo certe animo fert omnia, quaecunque eveniunt. Et quoniam deum utile semper bonis suppeditare etiam non petentibus scit, non est sollicitus, ne de necessariis quidem. Sicut enim artifici artificiose, gentili gentiliter, ita etiam gnostico gnostice praebentur singula. Gentilis petit fidem, cognitionem fidelis, gnosticus, ut contemplatio augeatur et permaneat, velut homo vulgaris, ut perpetuo sit sanus.

Nititur autem ipse quoque, ne deficiat, ut qui aliquos etiam ex angelis noverit humi esse lapsos, nondum in simplicem illum et unicum habitum progressos. Sed magis magisque, omni loco adiuvante, omni tempore, stabiliet virtutem, ut paullatim fiat naturalis habitus; nec vero ipso invito, sed vi rationis, cognitionis providentiaeque eo pervenit, ut scientia in eius mente inhaereat, velut in lapide gravitas. Is ergo, qui deum cognovit, sanctus fit ac pius; solum igitur gnosticum pium esse iam probatum est. Hic autem gaudet bonis praesentibus, de promissis tanquam praesentibus laetatur. Sapientia enim etiam futura possidet, nullius rei indigens; qui est igitur sapientiae particeps, i. e. gnosticus, ipse omnia possidebit, potestate autem, nondum numero. Bonorum enim virorum gratia omnia facta sunt. Est igitur omne bonum eiusmodi, ut quasi adnascatur ei, qui est gnosticus. Haec igitur a nobis exiguntur, quae in nostra sita sunt potestate, praesentium et absentium electio, desiderium, possessio, usus, permansio. Sed ut summam repetam: sacrificia gnostici ipsae sunt preces ac laudes, et quae ante cibum fiunt scripturarum lectiones, psalmi porro et hymni dum sumitur cibus, preces rursus priusquam itur cubitum, quinetiam noctu. Quibus seipsum sociat choro divino, semper memorandae adscriptus contemplationi. Quid vero? nonne aliud quoque cognoscet sacrificium, dogmatum et pecuniarum in egenos

largitionem? Maxime quidem. Sin autem omni loco precabitur, at non tamen ut a populo videatur. Sed precabitur et inter ambulandum et in sermone et quiete et lectione et operibus secundum rationem, omni modo; in intimis autem animae penetralibus si cogitaverit, inenarrabilibus gemitibus Patrem invocabit. Iam quum tres sint cuiusvis actionis fines: propter id quidem, quod est bonum et utile omnia agit, agere autem voluptatis causa vulgaris vitae hominibus relinquit[1]).

Viro autem huiuscemodi non iam opus erit iureiurando; nunquam enim mentietur, neque sui causa, ut qui facile patiatur persecutionem, neque proximi causa, quem diligit, quamvis non familiarem. Utitur quidem affirmaturus voce: Ita; negaturus: Non. Sed ita vitam fide dignam et iustitiam voluntariam ostendere debet, ut ne postuletur quidem ab eo iusiurandum. Si opus erit, addet negationi vel affirmationi illud: Vere dico; sed hoc raro. Cuius enim perfecta sunt officia et recte facta, is certe neque mentitur neque peierat. Supervacaneum huic linguae testimonium. Deus ubique apud ipsum; quod quum sciat, divina suaque ipsius contentus est conscientia. Si quid autem iuraverit, hoc, etiamsi in tormentis moriatur, attamen non negabit.

Docendi vero munus gnostici est maximum, summi boni οἰκονομίαν accipientis, qua tanquam mediator hominem cum deo coniungit. Quemadmodum enim Martem Graeci appellant ferrum, vinum Bacchum propter relationem quandam: ita gnosticus, proximorum utilitatem propriam ratus salutem, merito dicetur animata Domini imago, non quoad formae proprietatem, sed quoad communionem potestatis praedicationisque similitudinem. Quidquid habet in mente, id etiam coram dignis in lingua; nisi, ut aiunt Sophistae, ad audientium aegrotantium medicinam mentietur. Ita quidem Apostolus factus est Iudaeus, ut omnes lucrifaceret. Sed hoc ad simulationem proprie non pertinet. Ille enim seipsum tradit pro ecclesia, pro familiaribus, quos genuit in fide, in benigni ac pii doctoris exemplum, ut ostendat verborum veritatem ad caritatis erga Dominum operationem. Undique ergo veritati testimonium solus fert gnosticus, et facto et verbo. Haec igitur, ut summatim dicam, Christiani cultus est divinus. Si haec facit rite rectaeque convenienter rationi, pie facit et iuste. Quodsi haec ita se habent, solus gnosticus revera erit pius, iustus, religiosusque dei cultor. Non est ergo Christianus ἄθεος; id quod philosophis ut ostenderem,

---

[1]) p. 851—861.

mihi proposueram. Consequenter ergo neque se gerit impie, sed vel solus pie ac sancte colit deum, eum, inquam, qui vere est princeps rexque omnium et omnipotens, vero dei cultu colens sancte [1]).

Est enim, ut ita dicam, cognitio hominis ut hominis perfectio quaedam, quae rerum divinarum completur scientia; moribus, vita, sermone congruens consentiensque sibi et Logo divino. Hac fides perficitur. Est autem fides bonum aliquod intrinsecus positum, quae, non quaerens deum, hunc esse confitetur et glorificat exsistentem. Deinde oportet fide crescat dei cognitio, quae differt a sapientia, quam discimus. Cognitio, qua talis, semper sapientia; contrarium haud item verum. Verum enimvero de deo non dubitare, sed credere, cognitionis est fundamentum. Sed utrumque Christus est, et fundamentum et aedificium, et principium et finis. Et extrema quidem non docentur, fides et caritas. Cognitio autem, quae e traditione datur dei gratia, veluti depositum quoddam committitur eis, qui seipsos doctrina dignos exhibuerint, ex qua elucet caritatis dignitas ex luce in lucem. Habenti enim dabitur: fidei quidem cognitio, cognitioni caritas, caritati haereditas. Traditur autem cognitio dignis tantum, qui maiore praeparatione vitaeque sanctitate superant iustitiam ex Lege. Sed docet, antequam ad finem interminatum deducit perfectumque, deo convenientem cum diis vivendi rationem. Redemptis autem et perfectis praemium et honores dantur, quum cessaverint a purgatione, cessaverint a quocunque alio ministerio, quantumvis sancto et inter sanctos. Tum vero eos, qui mundi fuerint corde, in Domini propinquitatem evectos manet perpetuae contemplationis restitutio et deorum appellantur nomine, qui in eisdem sedibus sunt collocati, in quibus alii dii, qui sunt primi sub Servatore constituti. Velox autem ad purgationem cognitio. Quapropter facile traducit ad id, quod est animae cognatum, divinum sanctumque, et transmittit per mysticos proprii cuiusdam luminis profectus hominem, donec in supremum quietis locum restituerit mundum corde, docens deum scienter et cum comprehensione contemplari facie ad faciem. Fides ergo est brevis, ut ita dicam, necessariorum cognitio; cognitio autem firma ac stabilis eorum, quae fide accepta sunt, demonstratio, supra fidem Domini doctrina aedificata, quae transmittit ad eam conditionem, qua homo labi non potest, et ad comprehensionem cum scientia. Primum est igitur fides, cognitio alterum, tertium caritas, quae cognoscentem cognito reddit similem.

[1]) p. 861—864.

Post supremam igitur, quae est in carne excellentiam, usque prout convenit mutatus in melius, ad paternam aulam, ad vere Dominicam per sanctam hebdomadem contendit gnosticus mansionem, lumen, ut ita dicam, futurus, modo peculiari stans et manens, quod est omni ex parte omnino immutabile. Hanc gnostici imaginem et sortem prophetae quoque brevi describunt, cuius exemplar Christus est, quem David quidem appellat faciem dei Jacob, Apostolus autem: χαρακτῆρα gloriae patris.

Sed nonnulla quoque recte fiunt ab eis, qui non sunt gnostici, at vero non rationi convenienter; id quod fortitudinis exempla aperte declarant, cuius speciem facile prae se ferunt, qui natura sunt iracundi. Sed alia de causa fortes apparent, quam gnosticus. Caritatem enim non habent, ait Apostolus, quae cognitione generatur. Causa quidem, qua ad agendum movemur, actionis pretium metimur, non effectu externo. Quare gnostici religio ad totam vitam valet formandam. Vitam igitur gnostici nunc describamus; dogmatum vero θεωρίαν postea, tempore opportuno.

Universa hic igitur, ut qui divina donatus sit disciplina, percipit vere et magnificenter. A rerum creatarum admiratione inchoat; fit Domini discipulus. Simulatque autem de deo audire coepit et de providentia, credit ex eis, quae admiratus est. Desiderium autem cognoscendi sequitur inquisitio; qua dignus fit tali ac tanta contemplatione. Itaque gustabit gnosticus dei voluntatem; non enim aures praebet, sed animam eis, quae dictis significantur, rebus. Quum autem ipsas rerum essentias verbis acceperit, merito praecepta quoque, velut illud: Non moechaberis, intelligit γνωστικῶς. Dum vero scienti contemplatione sese exercere pergit, paullatim in eis etiam versari incipiet, quae magis universe et magnificentius dicta sunt. Scit enim bene, eum, qui docet hominem scientiam, Dominum esse, per os hominis loquentem, qui huius rei causa etiam carnem acceperit. Nunquam igitur utili praefert iucundum; peccandi occasio eum non vincit; amittit potius vestimentum externum, ut velut Joseph in Aegypto retineat honestatis ornamentum. Morbo accidente, vel ipsa morte imminente, manet animo tranquillo. Providentiam enim agnoscit in omnibus. Rebus autem creatis utens, quando et quantum dicet Logos, agensque creatori gratias, voluptatis earum fit Dominus. Nunquam illatae memor iniuriae, nemini irascitur etiamsi dignus sit odio; creatorem colit, diligit vitae socium, pro quo orat propter ipsius ignorantiam. Corpori autem alligatus, huic, anima integra, necessaria concedit. Neque igitur laudat solum bona et honesta, sed ipse etiam, ut sit

bonus et honestus, nititur, ex bono et fideli servo caritate factus amicus propter habitus perfectionem, quam ex vera disciplina multaque exercitatione pure acquisivit. Pulchras autem respicit imagines, multos quidem, qui perfecte vixerunt, patriarchas, plurimos prophetas. Sunt etiam propositi nobis ad imitandum innumerabiles angeli et postremo Dominus ipse, qui nos docuit et fieri posse, ut summam vitam illam assequamur, ostendit. Quamobrem omnia huius mundi bona, quae sunt in promptu et ad manum, ne humi remaneat, minime diligit, sed diligit ea, quae sperantur, vel potius iam sunt cognita, speramus autem ea a nobis iri comprehensum. Propter hanc solam spem non solum labores, tormenta, afflictationes sustinet, sed iucunda etiam contemnit omnia. Ferunt quidem beatum Petrum, quum vidisset uxorem suam duci ad mortem, quod vocaretur domumque reduceretur, laetatum, hortatum quidem eam fuisse et consosolatum, tunc vero nomine compellasse talibus verbis: Heus tu memento Domini! Huiusmodi matrimonium a caritate certe non abduxit. Et propter hanc quidem spem etiam praeclara gratiarum actio in ipso supplicio. Est ergo in quovis casu fortis ac valida gnostici anima, quae veluti athletae corpus, optima est conditione habetque vires maximas. Atque omnia bene moderata sunt ac temperata. Metum pellit dei fiducia. Itaque revera terrestris divinae virtutis imago est anima gnostica, exornata simul his omnibus: natura, exercitatione, eaque, quae una cum eo crevit, ratione. Haec autem animae pulchritudo fit templum Spiritus sancti, si affectionem Evangelio convenientem habuerit per totam vitam. Vincit igitur non solum mortem, sed etiam paupertatem, morbum, ignominiam, similia, imperans cupiditatibus. Sunt illa enim opinionis potius, quam veritatis terribilia; discernit autem optime gnosticus, quid sit bonum, quid malum, discrimina novit et propria. Omnia scienter agit liberoque arbitrio. Fortunae incommodo huic non sunt mala, vere gravia, quae pugnant contra virtutem, ab eo sunt aliena. Timiditas, ignorationis comes, eum non angit. Nec vero ea, quae ignoratione fit actio, protinus ipsa est ignoratio, neque peccata vitia, etsi proficiscuntur a vitio. Adversus ipsum autem vitium et adversus ipsam ignorantiam bellum gerit. Neque igitur quivis praeter rationem fortis, gnosticus est; nam si ita esset, pueros, imo feras saepenumero dixeris fortes. Sed si vere fortis plebis malitia in manifestum adductus sit periculum, cum fiducia, quidquid occurrit, excipit; nec quidem, ut sunt martyres, qui dicuntur, se nescio quomodo quasi iniiciens in pericula, sed primo declinans, quum autem aperte vocaverit deus, prompto et alacri animo

se tradens confirmat vocationem, virum se praebens in vera ac rationi convenienti fortitudine probandum. Neque laus neque vituperatio eum movet, sed sola erga deum caritate ad agendum ducitur. Sunt enim qui patiuntur alii quidem gloriae aviditate, alii ut vitent gravius aliquod supplicium, propter laetitias quasdam et voluptates post mortem futuras alii. Hi certe pueri fide; beati quidem, sed nondum viri caritate erga deum, sicut gnosticus. Sunt enim, quemadmodum in certaminibus gymnicis, ita etiam in ecclesia virorum et puerorum coronae. Caritas autem propter se, non propter aliud expetenda. Sed gnostico una cum cognitione augetur fortitudinis perfectio ex vitae exercitatione, ut qui semper meditetur victoriam de perturbationibus. Similiter iustitiam, cuius summa est: erit vestrum ita, ita, non, non; hanc igitur quoque per totam vitam possidebit. Temperantiae autem causa non sunt coronae et gloria, non pecuniae, non corporis sanitas, non lex et metus. His de causis fortes occasione facile superantur. Ipse autem ubique invictus. Quapropter temperantia semper manens efficit eum dominum et imperatorem; sicut adamas erit, quem ne igne quidem liquescere ferunt. Quorum omnium causa est sanctissima et omni scientia maior caritas. Quae quum ita sint, quum diligat eum, qui vere est deus unus, et vir est vere perfectus, et dei amicus, et in filii locum cooptatus. Atque anima eius, tota effecta spiritalis, quum ad id quod est cognatum processerit in ecclesia spiritali, manet in dei requie[1]).

Hic igitur gnosticus, qualiscunque est in mundo, aequalis est et similis; ad omnes etiam se habet similiter. Nam legi divinae convenienter non despicit fratrem eodem patre et eadem matre natum; adiuvat omnes consolationibus, adhortationibus, dans omnibus egentibus, licet non aequaliter, sed iuste et pro meritis; quinetiam ei, qui ipsum odio habet et persequitur, quamvis sint, qui eum propter metum dedisse dicant. Cuinam maxime, quantum, quando, quomodo sit daturus, id paullatim sciet perfecte. Quemadmodum ergo deum nulli adversari neque inimicum esse cuiquam dicimus, ita etiam gnosticum. Sed ille pro meritis scienter ac libenter largiendi habitus summa est iustitia. Est autem continentia quaedam propter necessitatem vel propter metum, et haec quidem etiam in fide, quae quidem cognitionis est fundamentum, et ad perfectum quasi impulsus quidam. Initium enim sapientiae est timor Domini. Qui autem caritate perfectus est, hic omnia suffert, omnia susti-

---

[1]) p. 864—873.

net, non ut homini placens, sed deo, quem laus sequitur ad utilitatem laudantium. Sed continens is quoque dicitur, qui bona continet, ut ad solidam et immutabilem perveniat scientemque possessionem, divinarum rerum humanarumque scientiam. Cognitio ergo nunquam fit ignoratio, neque bonum mutatur in malum. Comedit gnosticus, bibit, uxorem ducit, necessitate dictante secundum Logon. Qui enim fuerit perfectus, exempla habet Apostolos. Sed revera tamen non eo vir probatur, quod vitam elegerit monasticam, sed ille viros vincit, qui in matrimonio et liberorum procreatione curaque domus sine voluptate et dolore se exercet, quumque in familiae curatione versetur, separari non potest a dei caritate et omnem superat tentationem per filios, uxorem, famulos, possessiones illatam. Qui enim domum non habet, ei evenit, ut magna ex parte non tentetur.

Sed nobis quidem, quam fieri potest maxime, prius varie exercenda est anima, ut ad suscipiendam cognitionem expedita sit et facilis. Eo tendit, ut dicat: Volo sicut tu vis! Qui se gratum videri studet hominibus, deo placere non potest. Nemo enim potest duobus dominis servire, deo et mammonae, i. e. voluptatibus, quae peccuniis suppeditantur. Est autem unus quidem solus ab omni cupiditate alienus ab initio, benignus et clemens Dominus, qui propter nos homo factus est. Huic χαρακτῆρι ut similes conformemur, magna vi opus est. Qui autem semel concupivit, deinde vero seipsum continet, viduae est instar, quae temperantia rursus fit virgo. Continentia vero utrumque complectitur: abstinentiam a malis et bonas actiones.

Ad utrumque autem anima alitur cognitione. Sed gnosticus propter insignem sanctitatem suam paratior ad assequendum si non petat, quam ad petendum, si non assequatur. Precatio enim, ut diximus, universa eius vita est et collocutio cum deo. Inutilia non petit, utilia accipit adhuc cogitans; ergo, quidquid vult, erit ei. Quodsi petentibus hominibus malis petita dantur nonnunquam, hoc fit propter aliorum salutem; deus enim iustus. Via igitur iusta ex libero animi arbitrio via dicitur regia, quam ingreditur genus regale; a qua declinationes lubricae sunt et praecipites. Gnosticus autem in vinea Domini operatur, plantans, putans, irrigans, vere eorum, qui sunt plantati in fide, divinus agricola, duplicem mercedem accepturus tum ob ea, quae non fecit (mala), tum ob ea, quae fecit bene. Huiusmodi gnosticus, nisi deus permiserit ad proximorum eius utilitatem, a nemine tentatur. Propterea enim profecto Apostoli, ad confirmandas et stabiliendas ecclesias, martyrium perfec-

tionis perpessi sunt. Quodsi ingredietur in regnum dei, qui facit voluntatem eius, talis erit gnosticus, qui mundanas vincit cupiditates, licet in carne adhuc versetur. Futura autem, quae mente tantum percipiuntur, magis adesse putat, quam praesentia sub sensus cadentia. Hac vita pro necessitate utitur tanquam aliena. Novit etiam ieiunii dierum quarti et sexti aenigmata, Mercurii quidem et Veneris. Ieiunat igitur a triplici illa fornicatione: a libidine, ab avaritia, ab idololatria; ieiunat etiam, Lege iubente, a malis actionibus, ex Evangelii perfectione a malis cogitationibus. Iam quum scientis contemplationis acceperit comprehensionem, Dominum a se videri exsistimat, oculos suos ad ea, quae hunc fugiunt visum deducens. Hos autem oculos, ne videant illicita, prohibet. Fratrum animas considerat, quinetiam carnis pulchritudinem sine ipsius carnis voluptate. Fratres vero fiunt electa creatione, morum consensione, eadem operum natura, ut eadem faciant, cogitent, loquantur, opera sancta et honesta, quae ipsos sentire, quum sint electi, Dominus voluit. Nam fides in hoc consistit, ut eadem eligant; cognitio in eo, ut eadem didicerint et sentiant; spes autem in illo cernitur, ut eadem faciant. Eiusmodi autem gnosticus tam in somnis quam in vigiliis. Nam totus revera est hospes et peregrinus in tota vita, qui in civitate habitans contemnit ea, quae sunt in civitate quaeque admirantur ceteri, et vivit in civitate tanquam in solitudine; non locus, sed vivendi ratio iustum eum declarat. Optima agens vult deliteseere coram hominibus, Domino simul et sibi ipsi, se vivere ex praeceptis, persuadens. Ipse autem caritatis perfectione seipsum reddit humilem, ne unquam despiciat fratrem afflictum, etsi se sciverit facilius quam fratrem egestatem esse laturum, cuius dolorem proprium habet dolorem, quamobcausam ex sua ipsius inopia largitur, et largitione incommodo affectus auget beneficium. Neque laudem ab hominibus accipit, sed a deo. Miseretur etiam eorum, qui post mortem castigantur et inviti supplicio confitentur. Quae autem hic sunt omnia aliena putans, non solum Domini mandata admiratur, sed ipsa caritate particeps, ut ita dicam, divinae fit voluntatis, vere familiaris Domini et mandatorum electus ut iustus, et regnandi potestate praeditus ut gnosticus. Omne vero aurum, quod est supra terram et sub terra, et regnum, quod est a finibus ad fines oceani despicit, ut solum Domini cultum servet. Quinetiam precatur cum angelis, angelis iam aequalis, neque est unquam extra sanctam custodiam, et licet solus oret, habet angelorum chorum assistentem. Ipsum autem precationis genus gratiarum est actio de praeteritis, praesen-

tibus futurisque, quae fide omnia sunt praesentia. Intelligit etiam, quid sit illud: odio habere patrem et matrem et propriam animam, et signum portare. Nam et affectiones carnis, quae voluptatis maximas habent illecebras, odit, magnoque despicit animo omnia, quae ad carnis creationem et nutrimentum sunt accomodata. Atque animae corporeae, imperium detrectanti spiritui, experti rationis, frenum iniicit, quoniam caro concupiscit adversus spiritum. Signum autem portare est mortem circumferre, ut vivus iam omnibus renunciet. Sed toto die ac nocte dicens et faciens iussa Domini, laetatur supra modum, non solum dum mane surgit et meridie, sed etiam dum deambulat, dum dormit, vestes induit, exuit, dum docet filium, si quem habet, nunquam separatus a mandato vel a spe, deo semper agens gratias. Quum tentationem quamvis toleret: Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit. Sic certe omnia humana quum mala tum bona ferenda, ut homo sit superior utrisque, illa quidem conculcando, haec vero egenis distribuendo[1]).

Nunquam meminit iniuirae, sed ignoscit, ut iuste oret: Dimitte nobis, nam nos quoque dimittimus. Quum autem Servator noster, gnosticum perfectum esse sicut Patrem coelestem, hoc est seipsum, iusserit, huic amplius opus esse auxilio per angelos non vult, sed a seipso eum habere praesidium. Exigit igitur gnosticus a Domino, non petit; neque, si egeant fratres, petet pecuniae copias, quas eis impertiatur, sed ut illis suppeditentur ea, quorum indigeant, precabitur. Scit etiam paupertatem, morbum, alias huiusmodi tentationes esse saepenumero in correctionem praeteritorum, vel ad futurorum curam. Petet igitur saepe, ut hi, qui talia perpetiuntur, subleventur tantum, ut qui eximium habeat cognitionis munus non in vanam gloriam; ipse autem factus est instrumentum dei bonitatis. An nescitis, ait Apostolus, quod templum dei estis? Divinus ergo est gnosticus et iam sanctus, qui deum fert et a deo afflatur. Templum autem unum quidem est magnum, ut ecclesia; alterum vero parvum, ut homo, qui semen servat Abrahae. Non concupiscet ergo aliud quidquam, qui deum habet in se requiescentem. Iam vero relictis omnibus, quae sunt impedimento, totaque, quae eum abstrahit, materia despecta, scientia coelum secat; et per spiritales transgressus essentias et omnem principatum ac potestatem tangit supremos thronos ad illud solum tendens, propter quod solum cognovit. Cognitionem autem opera sequuntur velut umbra corpus. Merito ergo nihil eum conturbat

[1]) p. 873—881.

ex eis, quae accidunt, neque quidquam ex eis veretur, quae utilitatis causa fiunt a divino consilio; neque mori erubescit bonam habens conscientiam meliusque agi secum sciens ex hac vita egresso. Quare nunquam iucundum vel utile divinae praefert οἰκονομίᾳ, mandatis se exercens, ut in omnibus evadat Domini acceptus. Rebus autem mundanis, ut oportet, utitur, gratias agens et creaturam admirans. Sed scientia contemplationis colligens viaticum, quum magnificenter contemplationis acceperit magnitudinem, procedit ad sanctam translationis remunerationem. Et haec quidem, quam fieri potuit brevissime, Graecis seminis instar dicta sint de gnostico.

Atque illius, ut ita dicam, ἀπαθείας, quam tribuimus gnostico, qua fidelis hominis perfectio per caritatem in virum procedens perfectum ad mensuram pervenit aetatis, deo similis, vere angelis aequalis, succurrunt multa quidem alia s. s. scripturarum testimonia. Sed hanc laudem relinquimus aliis. Unum tamen Apostoli locum brevissime et veluti cursim interpretabor. Est autem in priore ep. ad Cor. c. VI; nec vero, quum longus sit, totum ad verbum transscribam, sed sensum, quo gnostici perfectionem describit, exponam. Non solum igitur in hoc constituit gnosticum, quod iniuria potius afficiatur, quam afficiat, sed etiam eum acceptae iniuriae oblivisci docet. Scit enim Dominum quoque, orari pro inimicis, aperte iussisse. Deinde iudicio contendere nos vetat apud iniustos; nam vicem reddere, est iniuriam referre, quod haud multum differt ab inferendo iniuriam. Concedit autem aliquos apud sanctos contendere iudicio; qui quamvis prioribus sint meliores, tamen non perfecti, ut qui petant, ut iniuriam inferentibus par pari referatur; at vero perfecti precantur pro inimicis. Nam etsi veritas videatur habere inimicos, qui ipsi invident, ipsa tamen nemini est inimica. Deus enim facit solem suum oriri super iustos et iniustos. Quinetiam ipsum Dominum misit ad iustos et iniustos, summa iniuriae oblivione, remittens septuagies septies. Cur non ergo, ait Apostolus, potius iniuria afficimini? Cur non potius fraudamini? Sed vos iniuriam facitis et fraudatis, eis quidem, qui aperte ignorantia peccant, precantes male, et fraudatis eos dei clementia et bonitate, quantum est in vobis, male precando, idque etiam fratres, non solum eos, qui sunt in fide, sed etiam proselytas futuros significans. Nam sitne is quidem, qui nunc est inimicus, postea crediturus, nescimus adhuc. Unde, etsi non sint omnes, at nobis tamen ipsis debere videri fratres, aperte colligitur. Iam vero omnes quoque homines unius esse opus dei unam-

que in una natura imaginem indutos, quamvis sint alii aliis magis obscurati, solus agnoscit, qui scientia est praeditus, qui etiam e creaturis agnoscit vim creantem, qua rursus dei adorat voluntatem. Sed: an nescitis quod iniusti regnum dei non possidebunt? Iniuriam autem facit, qui refert iniuriam, sive facto, sive verbo, sive ipsa voluntatis cogitatione. Et haec quidem eratis: tales, quales adhuc sunt, quibus ipsi non ignoscitis. Sed abluti estis, cognitione abiecistis affectiones animales, ut pro viribus similes fiatis bonitati divinae providentiae, tum tolerantia, tum acceptae iniuriae oblivione. Super iustos et iniustos, sicut sol, affulgentes sermonis operumque benignitate. Hoc igitur assequetur gnosticus vel animi magnitudine, vel imitatione eius, quod est melius, vel tertia causa, quae his indicatur verbis: Remitte, et remittetur tibi, veluti cogente ad salutem mandato, bonitate insigni. Sed sanctificati estis; ei enim, qui ad hunc venit habitum, ut sanctus fiat, contingit, ita ut in nullam iam cadat animi perturbationem, sed perinde sit ac si carne careat et sine hac terra sanctus evaserit. Quamobrem iustificati estis, inquit, nomine Domini, facti estis ab ipso iusti sicut ipse, et spiritui sancto, quoad eius fieri potuit, commixti estis et temperati. An non enim omnia mihi licent? Sed non in potestatem redigar, inquit, ut aliquid faciam vel cogitem vel loquar praeter Evangelium. Escae autem ventri et venter escis, quas deus destruet, hoc est eos, qui sic cogitant et vivunt quasi nati sint, ut comedant, nec vero comedunt, ut vivant quidem per consequentiam, cognitioni autem attendant principaliter. Et numquid eos esse dicit veluti carnes sancti corporis? Corpus autem allegorice dicitur Domini ecclesia, spiritalis et sanctus chorus, e quibus ei, qui solo vocantur nomine, nec vero vivunt secundum Logon, sunt carnes. Hoc autem corpus spiritale, sancta ecclesia, neque cum fornicatione, neque cum defectione ab Evangelio, ullo modo oportet inire consuetudinem. Fornicatur autem in ecclesiam suumque corpus, qui gentiliter vivuntin ecclesia, sive facto, sive verbo, sive ipsa cogitatione. Qui huic adhaeret meretrici, operationi praeter testamentum, fit aliud corpus, non illud sanctum quidem in carnem unam, et vitam habet gentilem spemque aliam; qui autem adhaeret Domino in spiritu, corpus spiritale, per diversum congressionis genus. Filius hic totus, homo sanctus, impatibilis, gnosticus, perfectus, doctrina Domini formatus, ut, quum facto, verbo, ipso spiritu adhaeserit Domino, recipiat mansionem illam, quae eiusmodi viro debetur. Sufficit hoc specimen eis,

qui habent aures. Non enim revolvendum est mysterium, sed indicandum tantum, quantum satis est ad revocandum in memoriam eis, qui cognitionis sunt participes, qui intelligent etiam, quomodo dictum sit a Domino: Estote, ut pater vester, perfecti, perfecte peccata remittentes et acceptae iniuriae obliviscentes et viventes in habitu τῆς ἀπαθείας. Nec vero haec perfectio similitudine cum deo maior est. Natura enim perfectus esse, ut deus perfectus est, homo nunquam poterit; sed perfectus tantum obedientia.

Ut autem parati ad solvendas dubitationes a Graecis et Iudaeis motas progrediamur ad librum, qui deinceps sequatur, primum ea, quae propter haereses oriuntur, impedimenta sunt superanda. Non oportere igitur credere dicunt propter haeresium dissensionem. Quum enim alii alia statuant dogmata, distrahit ac defatigat nos etiam ipsa veritas. Quid ergo? Nonne apud vos quoque Iudaeos, et apud illos ipsos, qui inter Graecos fuere in maxima exsistimatione, philosophos plurimae factae sunt haereses? Numquid ergo dubitandum esse, quin sit philosophandum, vel Iudaicam sequendam religionem dicetis? Accedit autem, quod Dominus, fore ut in veritate, velut in frumento zizania, haereses serantur, prophetice dixit. Quid iam mirum? Huius rei autem causa, quod, quidquid est pulchrum, hoc comitem habet maculam. Quodsi quis a veritate defecerit, nobis quoque deficiendum erit? Haeretici transiliunt, nos servamus regulam ecclesiasticam. Qui igitur veritati firmiter sunt addicti, his credendum. An vero aegrotans quispiam non admittet medicum propter eas, quae sunt in medicina, haereses? Ita quoque qui anima aegrotat, plenus simulacrorum vanitatis, sanitati et ad deum conversioni nunquam haereses praetexat. Certe propter probatos, ait Apostolus, sunt haereses. Quid ergo hinc sequitur? Nihil profecto aliud, nisi maiori nobis opus esse cura et providentia, ut examinetur, quaenam sit verus dei cultus. Etenim est manifestum, veritas quum ardua sit et difficilis, quaestiones oriri, e quibus, nimio hominum sui amore gloriaeque cupiditate valente, haereses nascantur eorum quidem, qui non didicerunt neque vere acceperunt, sed praeiudicatam cognitionis opinionem elegerunt. Maiori ergo studio et cura perscrutemur oportet. Laborem autem dulcis consequitur inventio et memoria. Quemadmodum si una sit via regia, praeterea autem multae aliae, quarum nonnullae ferant in locum praecipitem, nonnullae ad amnem rapidum vel ad mare profundum, nemo, quin viam ingrediatur, propter dissensionem dubitaverit, sed utetur via regia trita et seiuncta a periculo: ita, quum alii alia dicant de veritate, non est discedendum, sed diligentius

etiam inquirenda cognitio eius accuratissima. Neque agricolae propter herbas inutiles a cultura abstinent hortorum. Imo herba inutilis utilem magni aestimare docet. Haeresis autem agnoscendae vere veritatis praebet opportunitatem. Graecis ergo inanis hic praetextus; excusationem autem sine ratione manet damnatio inexorabilis. Sed quaestionis cardo nunc vertitur in demonstratione, qua verum a falso segregamus. Tolluntne igitur Graeci demonstrationem, an esse concedunt? Omnes, credo, eam esse concessuros praeter eos, qui etiam sensus tollunt. Sin autem sit demonstratio, descendamus ad quaestiones necesse est, et, quomodo lapsae sint haereses, ex ipsis s. s. scripturis demonstratione discamus; contraque, quomodo in sola veritate et antiqua ecclesia perfectissima sit cognitio et haeresis optima revera. Qui autem declinant a veritate, horum alii seipsos tantum, alii vero proximos quoque conantur fallere. Atque illi quidem δοξόσοφοι, sive opinione sua sapientes, qui sine ulla demonstratione vera veritatem se invenisse ideoque acquiescendum sibi esse exsistimant, seipsos decipiunt, quorum non est parvus numerus, qui et quaestiones declinant, ne confutentur, et doctrinam vitant, ne condemnentur. Sunt autem alii, valde hi quidem astuti, qui ad decipiendum accedentes, quamvis quid valeant non ignorent, probabilibus argumentis obscurant veritatem. Alia est autem ex mea quidem sententia probabilium argumentorum natura, verorum alia. Quare haeretici scholae potius cuidam praesunt, quam constituunt ecclesiam[1]).

Quae quum ita sint, laboriosi quaerere non cessent, dum ex ipsis scripturis veritatem demonstrando acceperint. Introitus autem in aeternam quietem arctus est et multo tandem labore aperitur. Qui igitur ad Evangelium accesserit, is *ne retro convertatur sicut uxor Loth*, ne ad priorem vitam sensibus deditam recurrat, neve ad haereses. *Qui enim diligit*, ait Dominus, *patrem vel matrem plus quam me*, qui sum vere pater et veritatis doctor, qui regenero et recreo, foveo et alo animam electam, *non est me dignus*, ut sit dei filius, dei discipulus, quinetiam amicus et cognatus. Sed quemadmodum Maria, quamvis pepererit filium, tamen mansit virgo: ita etiam scripturae Dominicae veritatem parientes virgines manent mysteriorum veritatis occultatione. *Peperit et non peperit*, ait Scriptura, ut quae ex se, non ex coniunctione conceperit. Quamobrem gnosticis quidem conceperunt scripturae, quas haereses ignorantes tanquam steriles ablegant. Est quidem iudicium

[1]) p. 881—889.

omnibus hominibus; sed alii Logon secuti persuasionem inveniunt, alii voluptatibus dediti scripturam torquent ad suas cupiditates. Est autem veritatis amanti opus animi robore; deinde ut veritatis regulam ab ipsa accipiat veritate. Qui adversus ecclesiasticam calcitraverit traditionem et in humanarum desiluerit haeresium opiniones: is iam desiit esse homo dei et Domino fidelis. Reversus autem ex hoc errore et veritati rursus traditus fit deus quodammodo ex homine. Principium enim doctrinae habemus Dominum, qui et per Prophetas et per Evangelium et per Apostolos multifariam multisque modis a principio cognitionis deducit ad finem. Principium autem, si hoc quis alio rursus egere existimaverit, vere non poterit manere principium. Sed est ex seipso fide dignus; ergo etiam scriptura eius. Scriptura igitur ipsa tanquam κριτερίῳ ad res inveniendas utimur. Quidquid autem iudicatur, non creditur priusquam fuerit iudicatum; quapropter ne id quidem est principium, cui opus est iudicio. Principium igitur habeamus oportet, quod est supra omnem demonstrationem. Quod quum fide comprehenderimus, ubunde etiam ab ipso principio de principio demonstrationes sumentes, voce Domini erudimur ad veritatis agnitionem. Hominum quidem testimonium probatione eget; at vero vox Domini magis est fide digna, quam quaevis demonstratio, vel potius sola est demonstratio, qua scientia, qui gustaverunt tantum scripturas, fideles sunt. Qui autem ulterius etiam processerunt, perfecti sunt iudices veritatis, gnostici, quasi in vita christiana artifices. Itaque nos quoque ex ipsis scripturis de ipsis demonstrantes perfecte, ex fide persuademus demonstratione. At vero haeritici quoque illi, qui alios seducere student, propheticis utuntur scripturis. Hoc verum est; sed primum quidem non omnibus utuntur, deinde non integris, neque pro corpore Prophetiae et contextu; verum seligentes ea, quae dicta sunt ambigue, haec adhibent ad confirmandas proprias opiniones, paucas passim voces carpentes, et ne has quidem ea, qua sunt, significatione, sed nuda littera. Veritas autem significationum translatione non invenitur, sed consideratione potius, quid Domino, quid deo omnipotenti conveniat, et quomodo hoc demonstretur ex sacris scripturis inter se collatis. Sed isti quidem nolunt converti ad veritatem; ideo vim afferunt scripturis propter sui ipsius amorem. Convicti igitur a nobis coram vulgo, pergunt se opponere, modo ex Propheticis aliqua non admittendo, modo nos calumniando, quasi simus alius naturae nec possimus ipsorum propria intelligere. Nonnunquam negant etiam, dum convincuntur, aperte fateri erubescentes dogmata, quibus alias

gloriantur. Alterutrum enim necessarium: aut dogmatum suorum consequentiam negant, aut ipsam prophetiam, i. e. spem suam. Semper autem id potius eligunt, quod ipsis visum fuerit, quam quod dictum est a Domino per Prophetas, Evangelium, Apostolos. Quum igitur neque ecclesiasticae cognitionis didicissent mysteria neque veritatis percepissent maiestatem, quippe qui socordes essent in perscrutando rerum profundo legerentque leviter, scripturas valere iusserunt. Perpetuo litigantes, se magis curare, ut videantur philosophi, quam ut philosophentur, ostendunt aperte. Humanis moti opinionibus certant de prima sede. Apud nos autem vera demonstratio, cuius essentia in eo cernitur, ut ex eis, quae creduntur, aliis nondum creditis fides comparetur. Sed omnis haeresis aures habere videtur, quae non audiunt utile, sed iucundum tantum.

Est autem triplex ratio curandi nimiam de se ipso opinionem: cognitio causae et quomodo haec possit auferri, et tertium animae exercitatio. Anima autem conturbata veritatis lucem perfecte videre non potest. Sicut improbi pueri Paedagogum suum excludunt, sic haeretici arcent prophetias ab ecclesia sua, quae sane non tuentur mendacia et commenta. Quemadmodum autem in bello non est deserendus ordo, quem dedit imperator militi: ita neque deserendus est ordo, quem dedit nobis Logos, cognitionis vitaeque dux atque princeps. Sed animadvertendae sunt tres animae affectiones: opinio, ignoratio, scientia; et in ignoratione quidem versantur gentes; in scientia vera ecclesia; in opinione haereses. Opinantes igitur, quod attinet ad affirmandum sine demonstratione, a scientibus nihil differunt. Sed inter se quidem haeretici alteri alteros despiciunt, illi amentiam habentes, quod hi sapientiam. Nam ut gentibus voluptatem, sic haereticis contentionem tribuimus. Aliud est autem voluptas, aliud contentio, aliud etiam gaudium ecclesiae, aliud veri gnostici laetitia. Quemadmodum igitur si quis Ischomacho se dederit instituendum, hic eum faciet agricolam; si Lampadi, nautam; et Charidemo, imperatorem; et Simoni, equitandi gnarum; et Perdici, cauponem; et Crobulo, obsoniorum conditorem; et Archilao, saltatorem; et Homero, poetam; et Pyrrhoni, litigiosum; et Demostheni, oratorem; et Chrysippo, dialecticum; et Aristoteli, physicum; et Platoni, philosophum: ita, qui paret Domino et datam per eum sequitur prophetiam, perfecte efficitur ad doctoris imaginem, deus versatur in carne. Ducit autem Deus scripturis divinitus inspiratis.

Sed cuiusvis peccati principia sunt duo: ignoratio et imbecillitas; utrumque autem in nostra est potestate. Et unum quidem in

causa est, ut homines non recte iudicent, alterum, ut, quae recte sunt iudicata, haud possint ea exsequi. Non recte agit, quamvis potens, qui non recte cognoscit; item non agit recte, quamvis recte cognoscat, qui non est potens. Ignorationi igitur s. scriptura medetur cognitione et evidenti demonstratione; imbecillitati autem Logos succurrit exercitatione per fidem et timorem. Atqui similiter gnostici duplex est finis: in aliis quidem sciens contemplatio, in aliis actio. Discant igitur haeretici et convertantur; sin minus, paternis castigationibus tandem ante iudicium poenitentiam amplectentur, ne seipsos iniiciant in iudicium absolutum. Quum autem, Patre castigante, poenitentiam homines possint eligere, apparet, quid valeat hortatio, et cur ego identidem exhortari pergam. Sed sunt, quibus, hortantes audire, ne in mentem quidem veniat, quinetiam nugari conantur, verba in veritatem maledica effundentes, sibique rerum maximarum vindicantes cognitionem, quum nec didicerint nec quaesierint, nec laborarint, nec invenerint consequentiam; quorum misereatur potius aliquis, quam odio eos habeat propter talem perversitatem. Si quis est autem sanabilis, qui tanquam ignem vel ferrum ferre possit libertatem veritatis, secantem et urentem falsas opiniones, praebeat aures animae. Sed socordia impedimento est et gloriae aviditas, qua incitati res novas moliuntur haeretici. Sed praeclare cum eis actum esset, si ea potuissent discere, quae prius erant tradita. Solus ergo gnosticus, quum in ipsis consenuerit scripturis, Apostolicam et ecclesiasticam rectam servans dogmatum normam, rectissime etiam vivit Evangelio convenienter et demonstrationes ita, ut quaerit, invenit, ut qui a Domino arcessatur, a Lege, a Prophetis. Nec vero omnes, qui audiunt verbum divinum, facto et verbo capiunt cognitionis magnitudinem. Quid mihi dicitis, ait Logos, Domine, et non facitis voluntatem Patris mei, i. e. doctrinam Servatoris, quae nobis est cibus spiritalis et potus, qui nescit sitim, aqua vitae gnosticae. Atqui, inquiunt, inflare cognitio dicitur. Quibus respondemus; aut cognitionis species inflare, i. e. insolentem reddere dicitur, — et hoc quidem verum; — aut, quod malim affimare, magnificenter ac vere sentire significat vox Apostoli, sin hoc, nihil etiam erit, de quo dubitetur. Et hoc quidem ita se habere s. s. scripturae testantur. Sapientia, ait Salomon, inflavit suos filios, i. e. magnificos cognitione effecit eorumque contemptores, quae trahunt ad peccatum. Idem autem aliis probatur locis[1]).

---

[1]) p. 889—879.

Qui ergo impios attingunt sermones traduntque aliis, nec recte verbis utuntur divinis, sed perverse: hi neque ipsi in regnum coelorum ingrediuntur, neque eos, quos deceperunt, sinunt assequi veritatem. At vero neque ipsi introitus clavem habentes, sed falsam quandam, ut ait consuetudo, ἀντικλεῖδα, aversam clavem, qua, non ianua patefacta, ut nos ingredimur per Domini traditionem, sed exciso ostio et muro ecclesiae clam perfosso, veritatem transgredientes evadunt principes ac duces mysteriorum animae impiorum. Nam haereses ecclesia catholica esse posteriores, haud opus erit multis probare. Domini aetas medio Tiberii imperio finitur; Apostolorum aetas usque ad Pauli ministerium Nerone imperatore. Atqui circa Adriani imperatoris tempora haeretici exsistunt, velut Basilides, Valentinus, Marcion, qui vix attingunt Apostolorum aetatem per doctores. Quare manifestum est, unam esse veram ecclesiam antiquam, in cuius catalogum referuntur iusti ex animi sententia. Nam quoniam unus est deus, hanc ipsam ob causam etiam id quod summe est venerabile laudatur κατὰ τὴν μόνωσιν, i. e. in una ecclesia, unius principii imitatione. Haereses autem unam ecclesiam in multas discindere audent. Et essentia ergo et cogitatione et principio et excellentia solam esse dicimus antiquam atque catholicam ecclesiam, in unitatem unius fidei secundum propria testamenta, vel potius secundum unum testamentum diversis temporibus, quibus dei voluntate per unum Dominum congregat eos, qui sunt iam ordinati, quos praedestinavit Deus, quum eos iustos futuros cognovisset ante mundi constitutionem. Ceterum ecclesiae excellentia quoque sicut constructionis principium, ex unitate est, omnia alia superans, nihil habens sibi simile vel aequale. De quibus dicetur postea. Haeresium autem aliae quidem appellantur ex nomine, velut illae, quae nominatae sunt a Valentino, a Marcione, a Basilide, quamvis, se Matthiae opinionem adducere, glorientur; fuit enim una omnium Apostolorum, sicut doctrina, ita etiam traditio; aliae autem ex loco nuncupantur, ut Peratici; aliae ex gente, ut Phrygum haeresis; aliae ex actione, ut Encratitarum; aliae ex propriis dogmatis, ut Docitarum et Haematitarum; aliae ex positionibus et ex eis, quae honorarunt, ut Caianistarum et Ophianorum; aliae denique ex eis, quae nefarie ausae sunt et perpetrarunt, ut qui ex Simonianis vocantur Entychitae. — Huic libro finem impositurus, addit brevem legis Moysis de sacrificiis ad animalium discrimen pertinentis interpretationem, qua et Judaeos et haereses et vere iustos iam tum mystice discerni, ostendere vult. Deinde disputationem concludit hoc modo. —

His igitur antea tractatis locoque morali nobis summatim passimque descripto, ut sumus polliciti, eisque, quae ad veram excitant cognitionem, dogmatis inspersis, ut a quolibet eorum, qui mysteriis non sunt initiati, haud facile possint inveniri sanctae traditiones: aggrediamur id, quod sumus polliciti. — Sequitur illa disputandi viae et rationis descriptio, quam in § 4. de Strom. p. 92. transscripsimus. Tum libro VII. finem imponit his verbis. — Atque adeo post hunc septimum Strom. librum de eis, quae deinceps sequuntur, ab alio principio faciemus disputationem. —

§ 13.

De libro octavo.

Priusquam libri VIII, cuius fragmentum tantum, quintam fortasse, si licet ex ceteris libris concludere, totius libri partem complectens, exstat, argumentum exponam, non tam propter ipsius indolem ac naturam, quam propter eruditos homines haesitantes, dubitantes, aberrantes, ipsum vere esse profectum a Clemente Stromatum auctore, erit nobis demonstrandum. Ac primum quidem Nourrium ceterum optimum haud dubie Clementis iudicem, id quod in manuscriptis codd. exhibetur libri VIII fragmentum pluribus argumentis auctori abiudicare conatum esse animadvertendum est. Hunc enim reliquorum multi sine novis argumentis secuti esse videntur. Et Fabricius quidem, qui item reiicit fragmentum illud ut libri VIII, haec tantum reiectionis suae tuendae causa dicit. „At loco illius, qui hodie sequitur, octavi libri in quibusdam Codicibus Photio 111 lectis secutus est liber, de quo mox dicam, Quis dives salvetur. Alii tamen, quod idem vidit Photius, hunc ipsum octavum librum habuerunt.... Porro liber iste octavus, qui exstat, cum prioribus septem nihil habet commune, set totus de demonstratione, definitione, divisione et causis dialectico more disputat“ [1]). Natalis Alexander: „Octavus, inquit, quem nunc habemus, Stromatum liber totus logicus et physicus est. Agit namque de definitione, divisione, demonstratione et de causis“ [2]). Non agnoscit igitur hunc librum verum. Quibus prorsus assentiuntur Dupin [3]), Tillemont [4]), ceteri auctores de scriptoribus eccle-

[1]) Bibl. Gr. V. p. 102. cf. Walch. Miscell. Sacr. p. 522.

[2]) Hist. eccl. ed., quae Bingii ad Rhenum prodiit, a. 1786, T. V. p. 51.

[3]) Nouvelle Bibl. des Auteurs eccl., ed. Par. 1693. T. I. p. 83. „Ce dernier Livre dans nos éditions est un ramas de principes de Logique qui ne contient rien, qui regarde la Religion Chrétienne, ni qui mérite d'être rapporté.“

[4]) l. l. T. XIII. p. 82.

siasticis eruditissimi quoque. Haec autem quaestio nostra etiam aetate prorsus eadem mansit. Velut Guerike: „Liber octavus, inquit, heterogenea quaedam tractat (vid. Semleri praefat. ad Baumgart. theol. polem. II. 154. 155.), et cum ceteris nihil affine habet, circa logicae et philosophiae principia praesertim versatus“ [1]). Quinetiam novissima Patrologia, quam hoc ipso anno a Fesslero, viro optimo eruditissimo, scriptam vidimus, idem repetit iudicium, vel potius opinionem dubitatione, quid liber ille sibi velit, primo natam. Ex eis autem, quae modo transscripsi, duas causas, cur librum octavum reiiciant, viris doctis videri, apparet: priorem, quod huius libri loco in nonnullis codd., Photio teste, exstiterit liber Quis dives salvetur; alteram, quod cum prioribus septem libris nihil habeat commune. Quibus nulla praeterea causa a doctorum multitudine additur. Sed audiamus ducem ac principem eorum, Nourrium. Haec autem eius verba. „Nobis sane certum omnino perspicuumque esse apparet hanc, de qua agimus, commentationem (i. e. fragmentum exstans pro libro octavo) nec esse nec dici unquam posse octavum Clementis nostri Stromatum librum. Neque enim ab hac solum Stromatum inscriptione et titulo, sed ab ipso etiam, quo Clemens noster stromata sua scripsit, modo, atque ab illius scopo et fine penitus abhorret. Constat siquidem, ut a nobis supra demonstratum est, nomen Stromatum aliis septem libris ideo ab illo fuisse praefixum, ut eos variis dogmatibus hic et illic inspersis, nulloque certo ordine digestis, compositos esse significaret. Deinde vero ille, ut etiam diximus, ne in eisdem libris sacra nostrae religionis mysteria christianis exponendo paganis patefaceret, eorum explanationem cum ethnicorum dogmatum explicatione permiscuit, sermonesque suos intersecavit ac data opera a proposito saepe saepius digressus est. Denique non alius Clementis, sicuti adhuc vidimus, in scribendis Stromatum libris finis et scopus fuit, quam ut christianis veram et orthodoxam demonstraret religionis nostrae doctrinam, ac summam, ad quam contendere semper debent, illius perfectionem. Atqui nihil plane ex iis omnibus in hac pseudo-octavo Stromatum libro reperitur: sed logicae tantum, seu dialecticae, ut diximus, est tractatus, qui non magis ad christianos, quam paganos, et alios quoslibet homines spectat et pertinet [2]).“ Quibus enucleari causam illam, quod nihil cum reliquis Strom. habeat commune, apertum est. Dividitur enim in has

---

[1]) De schola Al. p. 37.

[2]) l. l. p. 1291.

duas causas: unam, quod disputandi rationem non habeat communem, alteram, quod res tractatae non sint communes. Quapropter iam tres erunt reiectionis causae. Addit autem Nourrius quartam, quae in eo consistat, quod in libro pro octavo habito ea ipsa quaestione, an non sit animal foetus, qui gestetur in utero, quam Clemens in l. V. in eis quaestionibus, quae a Christiano homine non sint movendae, numeret, probetur, quomodo propositae demonstrationum regulae ab omnibus observari debeant[1]). Quid igitur de quattuor his causis erit iudicandum?

Quod ad primam quidem attinet, quod pro libro octavo a nonnullis codd. Photii aetate liber, Quis dives salvetur, exhibitus sit, haec causa prorsus est nulla. Nam quid, quaeso, inde sequitur? Certe nihil aliud, nisi tum temporis uni vel paucis librariis librum octavum verum fuisse ignotum. Quis igitur eo processerit temeritatis, ut hanc ipsam ob causam librum in ceteris codicibus octavo loco exstantem necessario esse falsum contendat? Altera autem causa, quod disputandi ratio tota abhorreat, diligentius est examinanda; nam si vera esset, equidem gravissimam eam haberem. Primum autem Nourrius eum abhorrere dicit inscriptione, titulo, modo, quae tria aperte referenda sunt ad unam disputandi rationem. Sed haec quî tandem abhorreat, ad videndum sit subdifficile, nisi forte in hoc libro octavo nimis perspicue et arti praeceptisque convenienter procedat, quod cur fiat, infra dicemus. Ceterum ratio prorsus eadem. Namque quod Nourrius huius Stromatum rationis id maxime esse dicit, ut dogmata hic et illic inspersa sint, hoc quidem in primo capite animadverti potest. Hic enim dogmata agnoscuntur de vi precationis, de veritatis disciplina, de modo, quo nascatur contemplatio cum scientia, de γνώσει divinitus donata, de necessitate puri sanctique animi ad veritatem percipiendam, alia. At vero hoc idem in reliquis capitibus non fieri, verum est; sed hoc ad tertiam ducit causam, quod hic liber VIII cum septem prioribus nihil argumenti habeat commune. Quid enim? Quae, quaeso, arbor, quae planta in monte, ubi „de industria fertilium una et non fertilium plantae arborum sunt commixtae“[2]), reprehendi poterit, quod cum reliquis nihil habeat commune? Et quaenam „heterogenea“ possit haberi? Quamquam ineptus quidam ac rudis in quovis monte, cuius arboris frugibus vesci forte nequit, eam „heterogeneam,“ i. e. loco indignam vel ineptam existimet; sed peritus

---

[1]) p. 646.

[2]) cf. § 4. de Strom.

quum fertilia a non fertilibus bene discernat, non ignorat tamen, in monte nulli subiecto arti, quidquid nascatur, id esse domesticum et suo loco. Iam vero ex hac similitudine recte mihi videor concludere, non oportere, quaecunque in Stromatis scripta reperiantur, eorum quidquam eam ob causam ab ipsis alienum iudicari, quia quoquo modo a reliquo eiusdem libri argumento vel a ceteris libris integris differat. Sed hoc solum mirum fortasse videatur, quod totus hic liber christianam doctrinam non tractet; id enim de nullo alio libro dici potest. At enim vero totum librum non habemus; fragmentum est, quod exstat. Et duabus quidem primis paginis doctrina christiana utique continetur; reliquae sunt paginae viginti. Huiusmodi autem disputationes per se quidem totae alienae a dogmatis christianis plures in Stromatis obviae sunt considerate legenti, quae eodem iure eiiciantur, quo reiicitur fragmentum libri VIII. Sed ut exemplo utar, in primo Strom. libro totius generis humani historiae temporum ordines ita narrantur, ut per se certe nihil habeant cummune cum ceteris, et narrantur quidem paginis triginta, duabus paginis una interposita Danielis prophetia. Quodsi huius narrationis prima enunciata, quae sunt prooemii loco, excidissent, fragmentum autem ipsa narratio occurreret, viri eruditi illi, credo, eam quippe nihil cum reliquis commune habentem quam longissime reiicerent, quum contra totus agat de temporum ordinibus. Hoc autem exemplum solum et unicum non est. Iam de quarta causa pauca sunt dicenda. Quaeritur igitur, cur Clemens quaestionem illam, an non sit animal foetus, qui gestetur in utero, a christiano homine non esse movendam dicat. Si enim propter rem quaesitam, quod hanc forte turpem haberet, si propter rei quaesitae naturam, profecto ipse nunquam, modo sibi constet, eam poterit movere. At non ita res se habet. Hoc enim ideo quaerendum non esse dicit, quod quomodo se habeat, nunquam possit discerni, quapropter is quidem qui id quaerat, nihil veri unquam acquirere queat, ut semper perdat operam et oleum, id quod christianum hominem haud deceat. Esse enim hanc quaestionem in eis numerandam, quarum solutiones, quoniam probabilia in utramque partem pariter disputari possint, aperte agnoscantur desperatae. Est ergo ratio, quae inter hominem de quaestione illa agentem et quaestionis solutionem intercedit, cur Clemens eam veri inveniendi causa a christiano homine tractari vetat. At vero in libro VIII non ideo tractatur, ut, hac quaestione soluta, verum inveniatur, ut reapse, utrum foetus sit animal, nec ne, discernatur, sed ut demonstrationis regulae gravissimae facillime intelligantur.

Nihil profecto impedit, quominus demonstrandi veritas hac quaestione tractata appareat; quinetiam difficillima quaestione demonstratio, quum illa „versari possit in omnes partes," ut identidem, dum quaestionem solutam habeas, demonstrationem non perfectam esse fateri cogaris, accuratissime, qualis sit oporteat, cognoscitur. Quae quum ita sint, hoc ipsum, quod quaestio illa a Clemente l. l. inter difficillimas numeratur, mihi quidem ad fragmenti illius agnitionem potius, quam ad reiectionem valere videtur.

Iam vero ipsi, fragmentum, quod nobis servatum est in eo codice, qui ad nos pervenit, veri libri octavi esse ita demonstrabimus, ut argumenta mea refutare haud sit cuiusvis hominis. Et primum quidem testimonia externa, quibus supra ad totius operis auctoritatem probandam usi sumus, librum octavum non excludunt, sed complectuntur, imo Photius fragmenti nostri initium refert huic exstanti prorsus consentiens. Quamquam etiam in aliis codicibus aliud esse initium testatur. At non ut libri VIII initium, sed libri, de quo infra disseremus. Quod autem nobis servatum est non videtur libri integri esse initium, quum haud satis libro septimo adnectatur hocque moris sit Clementis, ut brevi prooemio, quid tractaturus sit, exponat; id quod uni libro tertio eam ab causam deest, quod liber secundus propter solam capitum multitudinem finitus est. At septimi libri finis eiusmodi prooemium octavi postulat. Sed multa deesse non possunt, quum haud dubie maximam prooemii partem primo capite habeamus. Fragmentum autem, quod exstat, eius libri, quem vidit Photius, partem esse, negat Nourrius inde sequi, quod iisdem ordiatur verbis. „Verum quamvis, inquit, idem, atque in editis, huius libri et titulus et initium a Photio repraesentetur; non ideo tamen certum esse debet ea, quae Photius post prima ipsius verba in codice suo legerat, eadem omnino fuisse, atque illa, quae in vulgatis Clementis nostri Operibus nunc leguntur"[1]). Si dixisset: c e r t u m n o n e s t, vere dixisset; nam nihil quidquam a b s o l u t e certum est in historia; quoniam autem dixit: certum esse n o n d e b e t, fallitur egregie. Testimoniis rationi sufficientibus allatis, certum aliquid esse sane credere d e b e m u s, quia si non deberemus, tota fides atque auctoritas esset sublata.

Testimonium autem non id tantum esse dicemus, quo exempli gratia liber testimonio auctori suo vindicandus integer ac plenus continetur; nam si hoc opus esset, demonstratio in infinitum progrederetur, quod esset absurdum. Sed Nourrius id quod contendit

---

[1]) l. l. p. 1290.

studet probare, et haec quidem probatio examinanda. Pergit enim l. l. ita. „Etenim ipsemet Photius iis, quae a nobis citata sunt (titulus et initium), verbis haec continuo subiunxit: Stromatum autem liber hic alicubi non sana tradit, non tamen ut hypotyposes. Nam multa etiam, quae ibi dicta fuerunt, oppugnat. Quibus ille verbis significat quaedam in eo libro, sicut in Clementis hypotyposibus, occurrisse, quae sanae orthodoxaeque fidei nostrae dogmatibus repugnabant; alia vero, quibus nonnulli errores, in hypotyposibus dispersi impugnabantur. At in eo, de quo agitur, libro nihil quod ad christianam religionem, aut pro illius doctrina, aut contra eam faciat, plane penitusque legimus.... Nihil itaque liber a Photio pervolutatus cum eo, qui Graecis latinisque typis editus est, aliud sibi commune habuisse videtur, nisi prooemium, seu praefationem, quae ea tantummodo complectitur, quibus Auctor de demonstrationis ratione ac methodo disputare incipit." Quibus Fabricius respondet, falli Nourrium, quum id de octavo hoc libro accipiat, quod Photius de toto Stromatum opere scripserit[1]). Et hoc quidem recte. Nam Photii verba: αὕτη δὲ ἡ τῶν Στρωματέων βίβλος, ad totum Stromatum opus spectare manifestissimum est; neque vertenda sunt; Stromatum autem liber hic, quod est falsum sine controversia; sed his verbis reddenda sunt: ipse autem Stromatum liber, vel potius, ipsa autem Stromatum scriptio, i. e. totum opus. Nam quum et grammatica hoc postulet, et Photii de totius operis argumento iudicium, quod de Protreptico et de Paedagogo non recusavit, requiratur, nihil plane relinquitur, quod subdubitetur. Sed etiamsi Photius illud de libro octavo scripsisset, tamen nihil contra auctoritatem fragmenti, de quo agimus, inde sequeretur, quod quidem fragmentum tantum, nec vero liber est integer. Itaque etiam Photii testimonium stabile manet ac grave, ut quod nitatur codice iam tum temporis vetusto. Quid igitur? Nonne fragmentum, testimonio externo probatum, nullis autem ex ipso rationibus contra auctoritatem ipsius pugnantibus, verum agnoscendum? Et sic quidem argumentatus Moehlerus illud agnovit, quamquam neque tertiam reiectionis causam a nobis refutatam reprobat, neque illud Photii obiectum de erroribus, quod ad totum Strom. opus spectat, quomodo sit accipiendum, intelligit[2]). Praeterea autem libri octavi finem propositum, quod in amore philosophandi artiumque omnino liberalium studii ponit, haud satis perspicit, imo prorsus

[1]) l. l.
[2]) Patrol. p. 446.

hac quidem re labitur. Hoc vero propositum primus et omnium virorum doctorum solus neque a quoquam homine auditus vel etiam intellectus recte pronunciavit Hervetus in Commentario suo ad hunc librum. „Videtur, inquit, huius octavi libri esse scopus et institutum, ut doceat, quomodo ad barbarae, seu Hebraeae, quae eadem est, quae christiana, philosophiae cognitionem sit procedendum.“ Quibus verbis, quum, mea sententia, quam mox exponam, per se orta et stabilita, in ea incidissem, magnopere sum confirmatus. Neque dubito, si Heinsius grave illud libri VIII consilium agnovisset, quin futurum fuisset, ut ipse coniectura, „partem Hypotyposeon eius locum invasisse,“ se supersedere libenter concessisset. Sed Herveto videtur tantum hoc esse libri institutum; probat nihil. Neque quidquam ad libri auctoritatem tuendam inde colligit. Nostrum autem iam erit libri auctoritatem ita probare, ut haec duo confirmemus: prius, rationes ex ipso petitas non solum nullas repugnare, verum etiam multas defendere auctoritatem modo invicto; alterum illud libri consilium et argumentum quum postulari libro septimo, tum vere contineri octavo.

Et de rationibus quidem ex ipso fragmento petitis haec habeo, quae dicam. Primum enim dictio mirum in modum cum dicendi genere in reliquis libris observato consentit, ut statim Clementem agnoscas, nisi forte quispiam dixerit, eam magis esse perspicuam, accuratam, subtilem, quam quae Clementina esse videatur. Sed hanc de Clementis obscuritate traditionem, quamvis a Lessingio probatam alicubi, modo Stromatum naturam subtiliter examinaveris[1]), inter fabulas referes. Ubicunque enim Clemens perspicuum se esse voluerit, — et voluit quidem inprimis in rebus ethicis, — ibi vel in Stromatis miram saepe perspicuitatem quandam invenies. Quo pertinent, quae de continentia liber III complectitur, nec minus quae in l. IV de martyrio disputantur, multaque alia variis locis[2]). Quae quum ita sint, si liber VIII, qui in rebus dia-

---

[1]) cf. §§ 3 et 4 de Strom.

[2]) cf. § 8. De vita Clem. — Ritterus (Gesch. d. Philos. T. V. p. 424) de Clemente hoc iudicium facere audet: „Doch muß man nicht glauben, daß alles hierin (in ordine disputationis modoque qui versatur in Stromatis) mit Absicht geschah; sondern bei den unbestimmten Zügen, welche in seiner Philosophie sich nicht verkennen lassen und welche natürlich aus dem vorherrschend polemischen, dabei aber doch eklektischen Charakter seiner Untersuchungen hervorgingen, bei der geringen Ordnung in seinem Denken, bei seiner Neigung zu schwülstiger und mystischer Rednerei, endlich bei seiner geringen Fertigkeit in der Darstellung kann man nicht anstehen, die unvollkommene Form seiner Lehre für eine Sache der Kunst weniger als der

lecticis versatur summamque ubique flagitat demonstrandi accurationem et consequentiam, si hic igitur liber obscurus esset, hanc ipsam ob causam de eo dubitare inciperem. Accedit autem, quod Clemens ipse totam disputandi rationem inde a libro VIII mutandam esse sub finem libri VII haud obscure indicet; qua de causa etiam latenter ac mystice scribendi rationem, quam usque ad hunc locum secutus sit, denuo defendit, id quod in nullius alius libri fine fecit. Sed de hac re postea plura. Dictionem autem eandem esse non solum quoad grammaticam verborum compositionem constructionemque dicimus, sed etiam quod attinet ad vocabula, quibus Clemens utitur quasi privatis ac suis. Quum enim Clemens doctrinam christianam, vel totam divinam revelationem vocare soleat philosophiam barbaram, τὴν βάρβαρον φιλοσοφίαν, et hanc appellationem excuset ut suam propriam[1]): haec ipsa statim in primo capite libri VIII occurrit. Praeterea autem aliae voces obviae sunt, quas Clemens adamaverat, velut ἐπιστημονικὴ θεωρία[2]), γνῶσις, quae fit καταληπτικῶς, sive γνῶσις καταληπτική[3]). Sed haec de dictione hactenus. Deinde autem definitiones quaedam haud vulgares, quae in libro VIII statuuntur, in ceteris libris prorsus easdem se habent non re tantum, sed ad verbum plerumque. Exempla afferam. In primo igitur Strom. libro, p. 367, de eo quaeritur, in quo consistat causa, τὸ αἴτιον. Definit autem ita: φαμὲν δὴ... τὸ αἴτιον ἐν τῷ ποιεῖν καὶ ἐνεργεῖν καὶ δρᾶν νοεῖσθαι. Atqui in l. VIII. p. 931. haec sunt: ἐν γὰρ τῷ ἐνεργεῖν καὶ δρᾶν τι τὸ αἴτιον νοεῖται. Porro id, quod non prohibeat, non esse causam utroque loco affirmatur; priori autem huius rei ratio his verbis redditur: τὸ δὲ μὴ κωλύον κατά γε τοῦτο ἀνενέργητον; et altero ita: τὸ μὴ κωλύον ἀνενέργητόν ἐστιν. Additur autem et ibi et hic αἴτιον vero esse τὸ κωλύον. Tum quae de demonstratione, τὴν πίστιν ἐπιστημονικὴν gignente p. 454. disputantur, ea re quidem sunt in p. 916; multaque alia his paginis similia continentur. Deinde p. 435 omnis scientia nostra refertur ad τὸν νοῦν τε καὶ αἴσθησιν, quorum commune sit

---

Noth zu erklären. Quae tam temere, inconsiderate, fereque pueriliter iudicata mihi esse videntur, ut nihil unquam de ullo scriptore, nisi ipse eum inspexero, Rittero crediderim. Sed quum sint in universum dicta, singulas criminationes hic diluere nequeo. Cf. tamen § 8. De Vit. Temeritatis autem huius viri in iudicando Clemente, occasione data, specimen nonnunquam praestabo infra.

[1]) Strom. I. p. 364.

[2]) p. 914.

[3]) Ibid.

τὸ ἐναργές; in his enim fidei et scientiae αἱ ἀρχαὶ ἀναπόδεικτοι. Atqui p. 917. docetur ad fidem et scientiam acquirendam ordiendum esse ἐκ τῶν πρὸς αἴσθησιν καὶ νόησιν ἐναργῶν; et haec etiam appellantur αἱ ἀρχαὶ ἀναπόδεικτοι. Exempla porro, quae p. p. 375—376 τοῦ συναιτίου αἰτίου exhibent, eadem repetuntur in libro octavo p. p. 932—933. . Et haec quidem, quum multa adiicere possim, sufficiant.

Iam vero libri octavi consilium ac propositum, quale exspectetur ac desideretur e libro septimo enucleemus. Postquam igitur Clemens et Protreptico et Paedagogo et septem Stromatum libris varia ratione ac saepenumero gentium deos non esse deos omnemque eorum religionem esse superstitionem probavit, persuasitque cuique sanae mentis, loco morali mirabiliter et amabiliter descripto, eis porro, quae ad veram excitant cognitionem, inspersis passim dogmatis, christianam doctrinam vere esse divinam et salubrem: aliam difficultatem ipse movet non parvam. Quid enim? Ut christiana doctrina verissima sit: ubi sit quaerenda iam nescitur propter haeresium discrepantiam[1]). Distrahit enim nos, aiunt Graeci, ac defatigat etiam ipsa veritas, dum alii alia constituunt dogmata. At enimvero ideo minime desperandum est, maior potius labor adhibendus, diligentius perscrutandum. Nam est demonstratio, cuius ope utique verum a falso discernitur. Quum autem sit demonstratio, descendamus oportet ad quaestiones, ipsisque ex sripturis discamus demonstrando, quomodo lapsae sint haereses; contraque, quomodo sola in veritate et antiqua ecclesia sit accuratissima cognitio et quae revera est optima haeresis[2]). Tota igitur quaestio redit ad rectam et evidentem demonstrationem. Iam vero sunt haeretici, qui seipsos decipientes praeiudicata opinione acquiescunt sine ulla demonstratione. Hi igitur nos quidem non seducent; ubi enim nulla demonstratio, ibi ne possessio quidem certa veritatis. Sed sunt alii, valde astuti, qui, quamvis se ratiocinationibus et demonstrationibus sua dogmata vera esse confirmare non posse bene sciant, probabilibus tamen argumentis obscurant veritatem. Itaque nitendum est viribus omnibus, ut, quomodo

---

[1]) l. VII. p. 887: *διὰ τὴν διαφωνείαν τῶν αἱρέσεων.*

[2]) Ibid. p. 888: *ἀποδείξεως δ' οὔσης, ἀνάγκη συγκαταβαίνειν εἰς τὰς ζητήσεις καὶ δι' αὐτῶν γραφῶν ἐκμανθάνειν ἀποδεικτικῶς, ὅπως μὲν ἀπεσφάλησαν αἱ αἱρέσεις, ὅπως δὲ ἐν μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ καὶ τῇ ἀρχαίᾳ ἐκκλησίᾳ ἥτε ἀκριβεστάτη γνῶσις.*

vera a falsa argumentatione discernatur, cognoscamus. Quinetiam omnes, qui ad laborem in res pulcherrimas impendendum sunt parati, quaerere veritatem prius non desistent, quam ex ipsis scripturis acceperint demonstrationem[1]). Ipsam autem demonstrationem in hunc VII librum includere non vult, sed ita tantum in universum de ea dicere, ut ad sequens Stroma progrediatur paratus[2]). Quamobrem, quum hactenus maxime egerit de loco morali, iterum dicit distinctius atque uberius, qualis esse debeat, qua animi affectione, qui ad rectam e s. s. scripturis demonstrationem pervenire velit. Ita autem nunquam affectos ac moratos fuisse haereticos. Denique, quid sit demonstrandum, apertius significat, et ecclesiae laudes adnectens eximias, paratus ad sequens Stroma sibi esse videtur. Quapropter, aggrediamur, inquit, quod sumus polliciti[3]). Quidnam, o Clemens, pollicitus es? Demonstrandi rationem me esse expositurum. Qualis igitur liber VIII debet exspectari? Quodnam eius erit consilium? Certe, ut doceat, quomodo ad barbarae seu Hebraeae, quae eadem est quae christiana, philosophiae cognitionem sit procedendum. Qualis liber exspectatur? Qui sit totus de demonstratione, definitione, divisione et causis; qui sit logicae tantum, seu dialecticae tractatus, qui non magis ad christianos, quam paganos et alios quoslibet homines (qui quidem demonstratione ad christianam religionem ducantur), spectat et pertinet. Atque penitus ac plane huiusmodi, ipsis ingenue fatentibus adversariis, fragmentum est, quod exstat in unico Stromatum codice vera inscriptione et nomine Clementis. Ergo verum hoc esse libri octavi fragmentum merito iureque nostro concludimus.

Sed hoc parum est. Quod enim rei summum est: libri VII capita 15 et 16 στοιχεῖα totius, quod praesto est, libri VIII fragmenti fundant et continent, quibus positis, se εἰς τὸν ἑξῆς προϊέναι στρωματέα dicit scriptor. Et operae quidem pretium est animadvertere, quam accurate multa, quae ibi indicata sunt tantum, adverbum in ea quadrent, quae libro octavo altius repetuntur. Atque, quum comparentur velim inter se capita illa integra et fragmentum totum, tamen nonnulla proferam exempla. Quod igitur ad animi affectionem attinet eius, qui vere demonstrare se studeat, hanc mi-

---

[1]) l. l. p. 889.

[2]) p. 886.

[3]) c. c. 16, 17, 18.

nime esse debere vel φιλαυτίαν vel φιλοδοξίαν dicit in c. 15. libri VII. In hoc enim haereses eorum, qui labore veritatis inveniendae victi opinionem pro persuasione habent, φίλαυτοι καί φιλόδοξοι ita vocantur, ut φιλαυτία καὶ φιλοδοξία causae appareant, unde, demonstratione non recte instituta, errores nascantur[1]). In libro autem octavo demonstrandum esse docetur ἀφιλοδόξως καὶ ἀφιλαύτως[2]). Porro demonstrationis finis ex una saltem parte ut gnostici finis in c. 16 libri VII ponitur ἡ θεωρία ἡ ἐπιστημονική; atqui haec eadem ut inquisitionis fructus in libri VIII prooemio occurrit. Deinde in c. 16. libri VII, principio, quod, quum sit certissimum, demonstrari tamen nequeat, ad demonstrandum opus esse dicitur. Hoc autem principium, — agitur eo loco de demonstranda doctrina christiana, — deus est. Quapropter: πίστει περιβάλλομεν ἀναπόδεικτον τὴν ἀρχήν[3]). In libro VIII rursus καθόλου pronunciatur: ἐπὶ τὴν ἀναπόδεικτον ἀρὰ πίστιν ἡ πᾶσα ἀπόδειξις ἀνάγεται[4]). Tum vero in c. 16. libri VII demonstrationis quasi essentia ita explicatur: ἡ παῤ ἡμῖν δὲ τῆς ἀληθείας ἐπίγνωσις ἐκ τῶν ἤδη πιστῶν τοῖς οὔπω πιστοῖς ἐκπορίζεται τὴν πίστιν, ἥτις οὐσία, ὡς εἰπεῖν, ἀποδείξεως καθίσταται[5]). Demonstrationis autem essentia etiam in libro octavo difinitur his verbis: ἐὰν οὖν τις εὑρεθῇ λόγος τοιοῦτος οἷος ἐκ τῶν ἤδη πιστῶν τοῖς οὔπω πιστοῖς ἐκπορίζεσθαι τὴν πίστιν δυνάμενος, αὐτὸν τοῦτον εἶναν φήσομεν οὐσίαν ἀποδείξεως[6]). Sed, ne multus fiam in re iam manifesta, haec hactenus. His enim expositis, nescio an cuivis homini critico fragmentum libri VIII verum iudicandum esse videatur. Nobis quidem est persuasissimum. Itaque ad argumentum brevi exponendum pergamus.

§ 14.

Fragmenti libri VIII argumentum exponitur.

Fragmenti autem illius argumentum, quum quia dogmatum divinorum pauca in prooemio tantum continet, tum quod philosophae materiae multum in Capite de Clemente philosopho enucleabimus, brevi exponemus. Prooemii quidem partem aliquam deesse coniicimus, nec vero magnam. Sed, ut nunc est, incipit ita. —

---

1) VII. p. 887.
2) VIII. p. 914.
3) VII. p. 891. l. sqq.
4) VIII. p. 917.
5) VII. p. 892.
6) VIII. p. 917.

Antiquissimi philosophi neque litigiosi fuerunt neque studiosi dubitandi; nedum nos quidem, qui amplectimur eam, quae vere est, philosophiam, quos aperte inventionis causa ad perscrutandum quaerere iubet Scriptura. Sed recentiores Graecorum philosophi inani laudis aviditate incitati, refellendo simul et contendendo ad nugas deducuntur inutiles. Contra vero barbara philosophia, omnem expellens contentionem, Quaerite, inquit, et invenietis; pulsate, et aperietur; petite, et dabitur vobis. Atque pulsat quidem inquisitione fores veritatis. Impedimentis perscrutando apertis, ingeneratur scientiae contemplatio. Nec vero fieri potest, ut quis, qui non quaerit, inveniat; neque ut quaerat, qui non perscrutatur; neque ut perscrutetur, qui non explicat aperitque interrogando, ad evidentiam deducens id quod quaeritur; neque ut is, qui per accuratum procedit examen, non accipiat praemium, rei quaesitae scientiam. Pulchri autem inveniendi desiderio ductus, quaerit benigne, sine contentione, sine gloriae cupiditate, considerate interrogando et respondendo. Oportet enim non solum eos, qui ad divinas se applicant Scripturas, sed eos etiam, qui communes sequuntur notiones, ita proponere quaestiones, ut in fine aliquo utili acquiescat inventio. Excipit enim alius locus et alia turba turbulentos homines et forenses sermonum inventiones; eum autem, qui veritatis est amator simul et discipulus, pacificum esse decet etiam in quaestionibus, et per demonstrationem ἐπιστημονικὴν, sine sui amore, sed veritatis amantem, ad cognitionem accedentem cum comprehensione. —

Et hoc quidem fragmenti prooemium est, quod aperte ad naturam demonstrationis explicandam praeparat. Repetit enim adhortationem, ut, qui velit demonstrare et rectae demonstrationis cognoscere rationem et essentiam, alienus sit ab omni φιλαυτίᾳ et φιλοδοξίᾳ. Proponit etiam summum demonstrationis finem, θεωρίαν ἐπιστημονικὴν, et paullatim ab ea demonstratione, qua fides ex sacris scripturis acquiritur, ad eam, quae est generalis, ad simplicem, nulla materiae demonstrandae habita ratione transit, ut postea ea rectissima, essentia eius cognita et ratione, utatur ad veritatem christianam probandam. Iam quae sequuntur, brevissime nunc ea exponam. —

Ut igitur aliquid demonstretur, primum nomen propositum tam accurate definiendum est, ut quivis eiusdem linguae peritus statim, voce pronunciata, quid cogitet pronuncians, intelligat. Deinde autem progrediendo quaerendum, utrum exsistat, nec ne, id quod nomine significatur. Tum vero, si esse id quidem fuerit

ostensum, diligenter quaeratur oportet, qualis sit, quaenam eius natura, et num transeat ordinem datum. Quorum si simplex et nuda affirmatio non sufficit, dicta sunt confirmanda. Nec vero alia re non minus dubia nitendum est, sed eo disciplinae principio utendum, quod omnium consensu certum est et sine controversia. — Et haec quidem solis exemplo illustrantur. —

Demonstratio autem dubiis ex certis fidem comparat. Ipsa vero, sicut fides, cognitio, praescientia, dicitur modo duplici: una est enim ἐπιστημονικὴ ac stabilis, altera ex sola spe. Ac prior quidem proprie dicitur demonstratio, quae fidem ἐπιστημονικὴν discentium animis ingenerat; altera opinionem gignit. Iam igitur quomodo pertineat indicium ad demonstrationem et syllogismus, quaeritur. Indicium unum tantum significat, unde quid consequatur, apertum. Syllogismo autem pluribus opus est indiciis. Quae enim quis concedit, ex his concludere, syllogismum est conficere. Quodsi concessa vera sunt, syllogismus est demonstratio, quae et concessa prius, et conclusionem deinde habet vera. Nec vero simplex ullus sermo syllogismus est, qui potius compositus est ad minimum ex tribus, duabus propositionibus, conclusione una. Quid igitur de propositionibus dicemus? Num omnes etiam demonstratae erunt antea? Aut omnia egent demonstratione, aut sunt quaedam per se credibilia. Si prius verum, in infinitum procedentes evertemus demonstrationem; sin alterum, credibilia per se erunt demonstrationum principia. Atqui philosophi, esse universorum principia eiusmodi, ut demonstrari nequeant, fatentur; si est ergo demonstratio, sit aliquid per se credibile necesse est, primum et sine demonstratione. Ad fidem igitur, quae nequit demonstrari, omnis deducitur demonstratio. Praeterea demonstrationum principia sunt ea, quae evidenter apparent sensui et intelligentiae (animi quasi sensui). Si qua ergo fuerit eiusmodi inventa oratio, quae ex eis, quae iam sunt credibilia, nondum credibilibus fidem possit tribuere: hanc ipsam dicemus esse demonstrationis essentiam. Qui igitur ex evidentibus recte concludit; is vere demonstrat. Si contra ex demonstratis solvendo rursus conclusionem recurrit ad evidentia et per se credibilia, in hoc cernitur ἀνάλυσις. Duo ergo in demonstrando diligentissime sunt servanda: prius, ut propositiones accuratissime examinentur, sintne verae; alterum, ut recte concludatur. — Haec sufficiant ad indolem fragmenti cognoscendam. Clemens deinceps, quae exposita sunt, exemplo illustrat, et per se credibilia evidentiaque contra Pyrrhonem defendit. Deinde inductionem, divisionem, definitionem, demonstrationem confert inter se et explicat.

Scientiae definitione ad causas ducitur, quarum Aristotelem secutus quattuor statuit: materiam, causam efficientem, formam, finem. Tum revertitur ad explicandam divisionem definitionemque. Et postquam ethicam multarum opinionum causam, i. e. mentis humanae inconstantiam reprehendit, de nominibus, cogitatis, significatis multa disserens, venit rursus ad quattuor causas, quas multis rationibus convenienter dividit et discernit tum ab aliis, quae videntur tantum esse causae, non sunt autem, tum inter se ipsas, donec, non „finem libro imponat,“ uti Nourrio placet, sed donec hoc libri VIII fragmentum desinat.

§ 15.

Quid in Stromatis praestatum sit.

Haud raro inveni eum errorem, quo Stromatis nobis servatis dogmata christiana ex Clementis sententia contineri opinentur. Id ita sese haberet, si Clemens Stromata omnino confecisset. Quae autem nunc habemus, ea ad dogmata tradenda praeparant potius, quam tradunt. Sunt nihil aliud, nisi perfectior, ut ita dicam, Protrepticus, perfectior Paedagogus. Itaque similitudinem illam, quam inter tria Clementis opera et Aristotelis opus, quod dividitur in Ethica et Politica, supra [1]) statuimus, iam altius repetere licet ac perspicere. Nam quemadmodum „Aristoteles, qui scribere vellet πολιτικὴν πραγματείαν ad erudiendos adolescentes, ei primum quaerendum ac docendum esse, quid esset summum bonum, quod ut finem ἡ πολιτικὴ δύναμις expeteret, optime perspectum habens, antequam de ipsis politicis inquireret, non quidem ut qui legerent politicen scirent, sed ut eam docti factitarent, finem τῆς πολιτικῆς, i. e. summum bonorum omnium sane obscurum et a multis ignoratum illustrare studuit in Ethicis“ [2]): ita Clemens δογματικὴν πραγματείαν scripturus, antequam dogmata exponeret, non quidem ut qui legerent τὴν τῶν δογμάτων θεωρίαν scirent, sed ut eis convenienter viverent, finem dogmatum, i. e. summum bonum nascens ex ipsis illustrare studuit partim in Protreptico, maiori ex parte in Paedagogo, perfecte in septem Stromatum libris. Atque id quidem non tam summum bonum describendo per se, sed viri summo bono exstructi ima-

---

[1]) Cf. § 2. de Paedag.

[2]) Cf. libellum praeclarum ac subtilem: „De Aristotelis Politicorum libris Dissertatio, quam scripsit Joa. Pet. Nickes,“ Dr. phil., Presbyter colon.; Bonnae 1851. Cap. II. § 3. p. 5.

ginem, amabilem illam et admirabilem adumbrando assequi conatur. Et hoc minime reprobandum. Etenim ista certe aetate tam crassa, ut ita dicam, manifesta potentiaque omnium scelerum ubique exempla obvia erant, ut contra etiam virtutis pietatisque imaginem tanquam vivam ante oculos ponere opus esset. Summum autem bonum Clementi videtur ἡ γνῶσις; summo bono ornatus atque beatus est Gnosticus, qui summi in terris boni accipit οἰκονομίαν et verbo et facto[1]), cuius amabilitatem, cuius pacem legentibus et ipsis acquirendam proponit. Iam quum eum, qui hanc imaginem diu et cum amore consideraverit, non modo mox etiam sibi ipsi desideraturum esse huius similitudinem, sed fieri quoque paullatim et quasi sponte ei similem, negari haud facile possit; Clemens autem postulet, ut is, qui velit discere τὴν τῶν δογμάτων θεωρίαν, sit sanctus, mundo novi cordis oculo, virtute gnostici praeditus: imaginem illius summo bono exstructi duplici consilio ostendere videtur, quum ut sciant discipuli, quo tendere debeant, tum ut similitudinem imaginis nonnulla saltem ex parte reddantur participes. Atque nescio an Aristoteles quoque, penitus in humanam naturam introspiciens, hoc consilium cum priori de summo bono inquirendo copulaverit, id quod § 2 De Paed. indicavi.

Sed in Stromatis quid praestatum fuerit, si quaeras, illud ipsum, inquam, duplex consilium secutus Clemens τὸν ἠθικὸν λόγον ita pertractavit, ut legentes et quem ad finem tenderent dogmata deinceps discentes scirent, et optime morati vel morum christianorum amore incitati saltem ad dogmata cognoscenda accederent. Quid enim? Num falli me dices, quod hoc contra opinionem pervulgatam atque adamatam omnibus affirmare audeam? Sed demonstrabo, breve faciens tamen in re apertissima. Et primum quidem totius septem librorum argumenti indoles ipsa est demonstratio. Deinde vero Clemens disertis verbis declarat, sextum et septimum Stromatum libros, quibus ὁ ἠθικὸς λόγος pertractetur, gnostici describere vitam[2]). Restat igitur ei, qui Stromatis, quae exstant, dogmata explicari contendit, ut haec quinque libris iam absolutis contineri dicat. Atenimvero, nisi ipsius oculis confidens adversus argumentum horum librorum manifestum illud dixerit, iam testimonium invictum afferam, quo dogmata a Clemente nondum esse scripta confirmamus. In altero enim septimi libri dimidio auctor ipse ad verbum profitetur: **Vitam enim gnostici describere**

---

[1]) p. 862 in Strom. l. VII.
[2]) p. 735.

nunc nobis est propositum, nec vero τὴν τῶν δογμάτων θεωρίαν **praestare, quam, servata rerum consequentia, tempore opportuno exponemus** [1]). Sed ὁ ἠθικὸς λόγος septem Stromatum libris absolutus fuit, idque iam libri VII capite 14. Quid igitur post hoc caput rerum postulat consequentia? Sine dubio τὴν τῶν δογμάτων θεωρίαν. At vero prius aperiendi esse videntur huius θεωρίας fontes, quos quasi obstruunt et obturant multis dubitationibus obiectisque Graeci, Iudaei, Haeretici [2]). Aperiendi autem sunt defensione, quae consistet in recta demonstratione et statuenda et adhibenda. Videtur ergo Clemens post librum VII scripturus fuisse librum VIII de demonstratione; deinde hanc adhibens librum IX, vel etiam plures ad solvendas dubitationes obiectaque reiicienda, quibus confectis, ad Christum verum dei Filium demonstrandum perventurus fuisset. Nam qui dogmata christiana accipere voluerit, ad dei Filium accedere debet, qui est vere pater veritatis et doctor [3]). Principium enim doctrinae habemus Dominum, qui et per Prophetas et per Evangelium et per beatos Apostolos multifariam multisque modis a principio cognitionis deducit ad finem [4]). Hoc principium nullo eget alio; vox Domini magis fide digna, quam quaevis demonstratio, vel ipsa potius sola demonstratio [5]). Tum vero Clemens perrecturus fuisse videtur ad demonstrandum, ubinam et quaenam inter haeresium turbas sit antiquissima ecclesia et verissima, una et catholica, in qua deposita sit Domini vox et traditio [6]). Et profecto sub finem libri VII postea se esse dicturum pollicetur de ecclesiae excellentia et de uno constructionis eius principio, omnia alia superante, nihilque habente sibi vel simile vel aequale [7]). Denique ecclesiae normam ac regulam secutus haud dubie fuisset expositurus τὴν τῶν δογμάτων θεωρίαν.

Quae quum ita sint, totius alterius longe praestantissimae operum Clementinorum partis nihil nos habere, nisi parvum fragmentum de demonstratione in universum statuenda apparet. Aut igitur Clemens praeter hoc fragmentum, persecutione fortasse prohibitus,

---

[1]) p. 867.
[2]) p. 886.
[3]) p. 889.
[4]) p. 890.
[5]) p. 891.
[6]) p. 897—900.
[7]) p. 900.

nihil amplius elaboravit, aut quae praeterea elaboravit, temporum iniuria perierunt. O damnum maxime dolendum!

Reliquum est, ut brevi, τὸν ἠθικὸν λόγον septem Stromatum libris absolutum esse, ostendam. Utar autem ipsius Clementis verbis. His a nobis, inquit ad finem libri VII tendens, antea pertractatis, locoque morali nobis summatim passimque descripto ..... id aggrediamur, quod sumus polliciti, i. e. ad ea tractanda, quae supra enucleavimus[1]). Addit autem dogmata hic illic inspersa esse ea, quae ad cognitionem excitandam fuerint idonea; non quidem τὴν τῶν δογμάτων (πάντων) θεωρίαν, sed singula dogmata, sine quibus gnostici imago describi non potuit. Iam vero loco morali pertractato, huius etiam pertractandi ratio munere suo perfuncta est. Itaque Clemens ipsam relicturus defendit eam postremo. Denique libro VII simulque toti τοῦ ἠθικοῦ λόγου descriptioni finem imponens: „Atque adeo, inquit, post hunc septimum Stromatum librum, de eis quae deinceps sequuntur, ab alio principio faciemus disputationem.“ Quae verba postrema haud recte interpretantur viri docti hisce: aliud sumemus exordium. Nam quid hoc sibi vellet: post huius libri finem aliud sumemus exordium? Hoc, credo, pronuntiare supervacaneum esset. Deinde vero λόγος minime significat exordium, sed hoc loco dissertatio potius, vel disputatio est. Atque verba: ἀπ᾽ ἄλλης ἀρχῆς indicant novum quoddam disputandi genus, non ita quidem novum, ut Stromatum natura plane tolleretur, sed tamen mutatum pro rerum tractandarum discrimine.

---

[1]) p. 901.

IV. De ceteris scriptis.

§ 1.

De libro, qui inscribitur: Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος.

Nourrius, postquam Strom. libri VIII verum fragmentum reiecit, quaestionem movet, anne ille liber, qui Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος inscribitur, liber octavus Stromatum potiori iure dicatur, quam illud fragmentum. Sed haec quaestio omnino supervacanea, cuius veterum testimonia ne minimam quidem praebent occasionem. Eusebius quidem eum citat librum a ceteris Clementis scriptis prorsus segregatum et alio loco multa ad verbum scriptis suis intexuit[1]); eodem plane modo Hieronymus[2]). Atque Photius quidem eum a se visum fuisse in nonnullis codicibus loco libri Strom. VIII, minime vero titulo et inscriptione, testatur, ut ne librarios quidem transscribentes eum pro libro VIII habuisse in promptu sit[3]). Photius autem libri etiam initium hoc esse dicit: Οἱ μὲν τοὺς ἐγκωμιαστικοὺς λόγους[4]), quod ad verbum quadrat in librum, quem habemus exstantem. Hic autem, quum ad seculi decimi septimi latuisset, a Matthaeo Cariophylo, Iconensi postea Archiepiscopo, inter Graecos Vaticanae bibliothecae codices repertus ac latine redditus, propter hanc plane externam libri fortunam, quod cum variis Originis homiliis in uno codice descriptus erat, huic scriptori adiudicatus est, cui mox paulisper assentiebatur Ghislerius. Nam rationes internas, quas commenti sunt, non essent com-

---

[1]) H. e. l. VI. c. 13: *καὶ Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, οὕτως ἐπιγραφεὶς ἕτερος αὐτοῦ λόγος.* Cf. l. III. c. 23, ubi narrationem de iuvene latrone transscriptam habes.

[2]) De vir. ill. c. 38.

[3]) Nescio, quomodo lapsus sit Nourrius, quum dicat: „In quibusdam siquidem codicibus octavus Stromatum eius liber (liber *Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος*), teste Photio, inscriptus fuit.“

[4]) Cod. 111.

menti, nisi externa illa coniunctio fuisset. Quarum refutationem accuratissimam invenies apud Nourrium p. 1298—1299. Equidem altius hanc quaestionem repetere, vel potius errorem illum subtilioribus argumentis refellere haud esse opus censeo.

§ 2.
De tempore, quo hic liber scriptus sit.

De tempore autem, quo hic liber scriptus sit, quidquam certi statuere est difficillimum. Unum tantum indicium satis tamen generale occurrit in cap. 26, quo legentes allegat ad aliam scriptionem suam, quam appellat: τὴν ἀρχῶν καὶ θεολογίας ἐξήγησιν. Atque hanc quidem se esse compositurum in Stromatis, quae ad nos pervenerunt, saepe pollicetur[1]). Ergo librum: Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος, post librum Strom. VIII saltem scriptum esse apparet. Sed etiam libri dictio et oratio, sedate fluens et aequabiliter, suavis ubique ac mitis ad sedatiorem viri aetatem nos ducit. Quapropter nescio an eo tempore sit exaratus, quo Clemens in Cappadocia, quum declinasset persecutionem, versabatur. Hic etiam mira de iuvene pulchro atque ingenioso primo Ioannis discipulo, tum latrone, quae non scriptis sed vivae tantum memoriae studiose commendata tradebatur, ad aures eius pervenire poterat. Sed hoc in universum de tempore.

§ 3.
De huius libri consilio.

Quantopere homines integra, quoad in peccato originali eius poterat fieri, naturae bonitate, quum christianae vertitatis lux orta esset, ad omnia Servatoris verba vitam studuerint conformare, notissimum est. Non id quidem ut efficerent enitebantur, ut novam doctrinam tamdiu versarent, dum sibi, hominibus veteribus, eam accommodarent, sed vocem Domini in omnibus, semper, ubique agendi normam agnoscentes id, quod verbis eius aperte declarabatur, exsequi voluerunt. Erant igitur inde ab initio ecclesiae, qui verba audientes: Unum tibi deest! vade! quaecunque habes vende et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo; et veni, sequere me! dicto obedientes Christi gratia libenter fierent pauperes. At vero numero christianorum crescente, caritate autem in multis languescente, illa ipsa verba videbantur duriora, ut plurimi cum iuvene Evangelii contristati in verbo abirent moerentes, et inprimis quidem eorum, qui accessuri erant ad

---

[1]) p. p. 516. 520. 564. 571. 603.

ecclesiam, si forte illud audierant: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum dei, multi divites perterriti recedere solebant. Ignorabant autem consilium differe a praecepto in ecclesia. Sed Clemens, quum eiusmodi conturbationem videret, statuit, ut quaestionem illam, utrum divites christiani facti possessiones suas quoquo modo totas distribuere deberent, nec ne, sana narrationis de iuvene divito interpretatione ad sedandos animos solveret. Itaque scripsit librum: Τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος. Et illud quidem esse eius consilium ex ipso libri proemio optime dicemus. Esse enim divites, ait in Cap. II., qui, quum audiissent, quam difficile esset diviti homini intrare in regnum coelorum, animo cadentes quasi vitam aeternam minime consecuturi, tanquam praesens vita sola ipsis reliqua esset, a via coelesti longius, quam antea deverterent, nec pervestigantes nec serio considerantes, quosnam Dominus et Doctor appellaret divites, nec dei perpendentes omnipotentiam. Alios autem illud quidem Domini dictum recte intelligentes, hac intelligentia, qua possidere deberent, quasi non possiderent, abutentes beneficentiam ad salutem comparandam negligere, ut non minus, quam illi, spe destituerentur. Quae quum ita sint, Clemens, neque petulanter in divites a Domino vocatos se gesturus neque contra lucri causa illis assentaturus, primum sibi proponit, ut verbi praedicatione inanem ex animis eorum metum eximat iustaque verborum Domini expositione, non omnino repulsos eos esse ab haereditate regni coelorum, dummodo dicto obedientes mandata exsequantur, aperte ostendat; non igitur timendum, ubi nullus timendi locus; tum vero eos docere vult, quibus operibus spes alatur, quae neque absolute eis negata sit, neque quasi sponte occurrat adversus hominis liberum arbitrium. Et haec quidem e capite III. cognovimus. Capite denique IV. brevi consilium complectitur his verbis. Det igitur nobis Servator, ut hinc ordientes sermonem, vera, decora salubriaque fratribus conferamus, primum ad spem ipsam adducentes, deinde ad ea, quae spei augendae conducunt. Atque ille quidem sermo indigentibus largitur, rogantes docet, solvit ignorantiam, desperationem expellit; eosdem rursus de divitibus sermones inducens, qui ipsi seipsos interpretantur tutoque exponunt. Nihil enim sic iuvet, quam ipsa rursus audire verba, quae in Evangeliis vos quidem, haud merito examinata neque recte intellecta, sed pro infantia vestra accepta conturbant. Quibus in prooemio expositis, Clemens totum colloquium Domini cum iuvene divite transscriptum exponere incipit. —

§ 4.
De huius libri argumento.

Qui divites nimis efferunt laudibus, non solum adulantes et illiberales esse videntur, verum impii atque insidiosi; quae dei sunt, tribuunt divitibus, quos a salute aeterna impediunt impetranda. Fastidium enim eorum, quasi igni ignem adiicientes, laudando augent. Melius est haud dubie, et orare pro eis, et, adiuvante Servatoris gratia, ad veritatem eos ducere, ut beneficiis praestatis excellentes vitae aeternae praemium reportent. Namque divitum salus salute pauperum difficilior est non una tantum ex causa, et divitum quidem, quibus virtus Servatoris atque salus praeclara cognita est; de aliis nunc taceo. Sunt autem, qui propter illud Domini: „Facilius est camelum etc." statim, quum de salute aeterna desperent, hac vita sola frui studeant. Alii vero intelligunt quidem dictum illud, nec tamen, severitate deficiente, divitiis suis recte utuntur ad salutem redimendam. Qui igitur veritatis fratrumque amore tenentur, hi divitibus vocatis neque irascantur, neque lucri causa assententur, sed sana verborum Domini expositione inanem de animis eorum metum auferant demonstrentque non esse timendum, ubi timoris nullus locus sit, totam salutem ex obedientia erga divina mandata pendere, et doceant denique, quibus affectionibus actionibusque spes alatur, quae neque omnino negata sit illis, neque temere ac sponte oblata. Nihil autem, quam de salute desperare, periculosius. Quemadmodum enim quicunque athleta de victoria et corona desperaverit, is neque omnino, ut in arenam descendat, nomen dederit; qui vero hanc ipse quidem animo spem conceperit, labores tamen, cibos, exercitationes congruas non suscipit, etiam hunc corona non donatum spes frustratur: ita quisquis affluit terrenis opibus, ne se ipse primum caveat a Servatoris certaminibus praemiisque exclusum ducat, modo fidelis exsistat ac divinae bonitatis magnitudinem intelligat; deinde vero, ne, nulla exercitatione nulloque posito certamine, sine pulvere atque sudore immortalitatis se corana iri donatum speret, sed tradat se Logo tanquam palaestrae magistro et certaminum praesidi Christo. Cibus illi ac potus praestitus est: Novum Domini Testamentum; exercitationes gymnicae: mandata; ornatus cultusque: honestae affectiones, caritas, fides, spes, cognitio veritatis, lenitas, misericordia, castitas, ut quum tuba novissima currendi signum dederit hincque emigrandi veluti e stadio ex hac vita mortali, bona fretus conscientia certaminum praesidi victor offeratur, coelesti omnium

consensu dignus patria, in quam cum coronis praeconiisque angelicis ascendit[1]). Disseramus ergo, Deo adiuvante, de spe divitum ipsa et de eis, quae ad spem conducunt. Et primum quidem ipsa Servatoris verba audiamus. „Et quum exiret in viam etc."[2]). Quae narratio in omnibus Evang. eadem habetur, in qua, quae dicta sunt, ne σαρκίνως intelligantur, sed latentem in eis sensum digna investigatione mentisque acumine perquiramus oportet.

Opportuna sine dubio quaestio Domino oblata est de vita Vitae, Servatori de salute, Magistro ac Doctori de capite dogmatum, Veritati de vera immortalitate, Verbo de paterno verbo, Perfecto de perfecta requie. Id quaeritur ex eo, cuius causa descenderat, Evangelii argumentum, quod positum est in vita aeterna tribuenda. Sed Propheta prophetarum omnisque prophetici spiritus Dominus praesensit et interrogationem et responsum. Vocatus autem bonus, discipuli animum in Deum bonum convertit, primumque ac solum vitae aeternae praebitorem, quam ab eo acceptam nobis confert filius. Ad deum aeternum erigit discipulorum animos, ad aeternorum largitorem, primum, supremum, unum, bonum deum, cuius ignoratio mors, cognitio autem cum familiaritate, caritate, similitudine: sola exsistit vita. Hunc ergo primum agnoscere iubet eum, qui vitam velit agere veram. Tum vero erit cognoscenda Servatoris magnitudo novaque gratia, praestans Legi. Quapropter iuvenis, quamvis ex Lege iustus perfecte, quaerit novam gratiam, qua vitam acquirat, et iure quidem ex eo, qui solus eam potest dare. Ex fide igitur in fidem transfertur. Ut iustum ergo ex Lege diligit eum Dominus et amplectitur; sed quod ad vitam aeternam attinet, nondum perfectum eum pronunciat, Legis quidem operarium, at in vitae aeternae rebus cessantem. Bona Lex, Paedagogus cum timore ducens ad Christum, sed plenitudo Legis ipse Christus, non qui ut servus servos faciat, quinimo et filios et fratres et cohaeredes, Patris voluntatem facientes praestet. Quamobcausam Servator: S i v i s, inquit, p e r f e c t u s e s s e. Nondum ergo erat perfectus. Praeclare illud: S i v i s, ostendit liberum hominis arbitrium. Deus ac Dominus autem dat volentibus, ut fiat eorum quasi propria salus. Deus non cogit. U n u m t i b i d e e s t, quod Lex non dat, non capit. Qui vero a se totam Legem impletam esse gloriatus est, hoc unum Servatoris singulare non praestans tristis abiit. De multis sollicitus, unum illud, salutis opus perficere non

[1]) p. 935—937.

[2]) Sequitur narratio de adolescente divite in Evangelio sec. Marc. X. 17 sqq.

voluit. Cur igitur se a vita, quam petierat, iam subduxit? Vende, ait Dominus, quae habes. Nec vero hoc statim facultates proiici iubet et pecunias a se amoveri; libidinem, avaritiae labem, sollicitudines tantum vendi vult. Si ita iuberet, mendici per vias proiecti, deum ignorantes eiusque iustitiam, beatissimi essent ac religiosissimi solique compotes vitae aeternae. Neque illa divitiarum abdicatio atque largitio novum quid esset, qua potius ante Domini adventum, ut inani iaetatione nominis claritatem et gloriolae curam, litterarum studiis mortuaeque sapientiae vacantes, captarent Anaxagorae, Democriti, Cratetes.

Novum quidem illud maius est, divinius, perfectius, ut nimirum animum affectionemque vitiis nudemus atque aliena radicitus ex eo excindamus et eiiciamus. Antiqui enim, contemtis exterioribus, possessiones amiserunt; vitia animi ac perturbationes, credo, auxerant, qui, quasi supra hominem sese gessissent, superbi evaserunt atque elati. Deposito facultatum onere haud simul pecuniarum cupiditas ac sitis eiecta esse videtur. Fieri autem non potest, ut cui desint necessaria ad vitam sustentandam, is non animo frangatur et a melioribus sollicitudine abducatur. Quacum sollicitudine sociatur poenitentia ei, qui temere divitias abiecit. Quae porro inter homines reliqua esset communicatio, si nemo quidquam haberet? Attamen: Facite vobis, ait Dominus, amicos de mammona iniquitatis. Quî quis esurientem alat, potum praebeat sitienti, nudum tegat, peregrinum excipiat ipse egenus? Quo iure ergo Dominus his, qui haec non fecerint, ignem minetur et tenebras? Ipse se excipi a divitibus iubet et laudat pecuniarum usum iustum. Neque ergo abiiciendae erunt opes, quae in proximi cedant utilitatem; possessiones a possidendo appellantur; opes, quia opem ferunt. Divitiae sunt instrumentis similes, quorum qui usum ignorant artis imperiti fortasse eis utentes sibi nocent, instrumentis noxam minime nocentibus. Potes uti divitiis iustitia comite? Ad iustitiam ministrae sunt. Utitur quis illis ea non comite: ministrae rursus fiunt iniustitiae. Huius autem causa non divitiae, sed liberum arbitrium. Valentibus animi vitiis, nihil iuvat divitiarum abiectio; illis autem sublatis: hae etiam utiles evadunt. Nam si prudentia, sobrietate pietateque dispensantur, conducunt. Neque igitur deponenda sunt ea, quibus vita sustentatur, sed quae illis male uti possint, animi vitia et aegritudines. A quibus nudam, animam pauperem vocat Servator: Veni, sequere me. Huic enim via fiet ipse Dominus; in animam autem impuram dei gratia non venit. Impura vero est, quae dives est desideriis multisque

amoribus. Nam qui possessionibus locuples, aurumque et argentum et domos tanquam dei dona habet, deoque largitori in hominum salutem ex eis subministrat; qui fratrum potius causa quam in sui gratiam haec a se possideri novit, ipseque possessione melior, non servus eorum, ipsa possidet; qui neque animo ea circumfert, neque eisdem vitam suam definit atque circumscribit, sed semper etiam honesti aliquid et divini elaborat, et si quando fuerit privetur illis necesse, placido animo parique hilaritate iacturam eorum ferre potest atque abundantiam: hic est ille, qui a Domino praedicatur beatus, vocaturque pauper spiritu, expeditus regni coelorum haeres. At vero qui opes fert in animo et loco Spiritus dei aurum in corde sive agrum nulloque cum usu praedia semper auget et possessiones, in terram pronus, mundi irretitus laqueis: hic unde regni coelorum desiderio accendatur atque cura? homo scilicet, qui non cor, sed agrum vel metallum gerat! Ubi enim est mens hominis, ibi et thesaurus eius est. Thesaurus autem duplex pro cordis affectione: alter bonus, malus alter. Similiter etiam paupertas duplex; unde recte quidem dicitur: Beati pauperes, beati autem spiritu; nec vero minus recte: Miseri pauperes, contrariae pauperes indolis, qui dei expertes magisque humanae possessionis expertes, ne gustarunt quidem dei iustitiam [1]).

Quae quum ita sint, dictum illud Domini mente comprehenditur. Neque enim in eis, quae foris sunt, salus est posita; sive illa multa sunt sive pauca, sive parva sive magna, sive laude clara sive obscura, sive probata sive reprobata: sed in animi virtute, fide, spe, caritate, fraterno amore, scientia, mansuetudine, modestia, veritate, quorum praemium est salus. Pulcher est, qui templum dei est; vivit, qui hoc aedificat. Nulla corporis affectio per se aut vitae aut perniciei causa est. Pulcher castus, deformis impurus esse potest. Sic porro egenus cupiditatibus ebrius forte exstiterit, et contra, qui divitiis affluit, sobrius atque voluptatum egenus. Utriusque rei causa in animo inest, aut virtute praedito, aut vitio affecto. Vere igitur dives est, qui virtutibus fretus quavis fortuna sancte et fideliter uti potest; falso autem dives, qui carne dives est, qui vitam ponit in rebus externis, quae mutantur et tandem intereunt. Simili modo vere pauper spiritu est pauper, falso autem, qui pauper est ex mundi sensu, dives vitiis. Vende igitur has divitias, vitia! Tum vero reponas in animo egeno alias

---

[1]) p. 937—946.

divitias divinas, quae parant vitam aeternam, ut thesaurum habeas in coelum.

Haec igitur κατὰ τρόπον dicta ille multis pecuniis locuples homoque legalis non intelligens, abiit tristis et moerens, relicta vitae sorte, quam concupiscere solum, nec vero etiam assequi potuit; quod arduum tantum erat, id ascendi omnino non posse opinatus. Quinetiam discipuli quoque primo perculsi et quasi attoniti sunt. At hi iam diu omnia reliquerunt. Quid ergo timentes dicunt: Et quis potest salvus fieri? Hanc ipsam ob causam, quod praeclare ut discipuli sententiae altitudinem intellexerant. Quamvis enim propter facultatum abdicationem bona spe freti, tamen quod non plane vitiorum egeni erant, de salute sua metuebant. Dominus vero respondit: Quod est impossibile apud homines, est possibile deo. Et hoc quoque sapientiae plenum. Homo enim, quomodocunque ipse a se et per se solus laborat, nihil hinc praestat; divina virtute adiutus votorum evadet compos. Deus enim animas adiuvat spiritu suo volentes. Invitis deus non affert salutem. Sed ipsi libero animi proposito eum quasi cogimus; nam violenti rapiunt regnum coelorum. Haec enim sola bona violentia est, qua deo vim inferimus vitamque ab eo rapimus. Ita vinci deo est gaudio. Itaque beatus Petrus, quum haec audiisset, electus ille, eximius primusque discipulorum, sermonem confestim vimque eius comprehendit. Ecce, inquit, nos reliquimus omnia et secuti sumus te! Quodsi illud omnia nihil nisi facultates eius significet, quattuor fortasse obolis magnifice glorietur, quorum praemium regnum coelorum pronunciet. Sed animi aegritudinibus vitiisque proiectis, magistri vestigia sequuntur et ad similitudinem eius in omnibus tendunt.

Respondens autem Iesus, ait: Amen dico vobis, qui reliquerit propria, et parentes et fratres et pecunias propter me et propter Evangelium, recipiet centies tantum. Quinimo alias addit: Qui non odit patrem et matrem et filios, adhuc autem et animam suam: non potest esse meus discipulus. Atqui non praecepit odium et divortium a carissimis deus pacis, qui vel inimicos diligi iubet. Ab inimicis igitur ascendentes maxime diligemus affines et cognatos, coniunctissimos quosque. Quid ergo? Num contraria docet Dominus? Minime. Inimicis mala inferri vetat; proximos non plus vereri nos iubet, quam saluti conducat. Quodsi infidelis cuipiam pater vel filius vel frater exstiterit, quorum quilibet fidei vitaeque in coelis consequendae impedimentum praestiterit: huic ne consentiat

neve concordiam habeat cum illo, sed spiritalium inimicitiarum causa carnis necessitudinem diluat. Certantibus inter se patre terreno et Christo Servatore regenerante de filio, hic sermones utrinque audiens pro se ipso iudex esto; et fratre certante cum Christo, vel filio, vel uxore, vel quovis alio: Christus vincat in te, quippe cuius gratia in arenam descendat. Habeas etiam divitias: Dominus non invidet. At vides illarum te vinci libidine: dimitte, proiice, odio habe, renuntia, fuge! Et si dexter oculus scandalizat te, quam primum erue eum. Sive est manus sive pes sive anima, habe odio! Si enim hic Christi causa etiam pereat, futuro seculo reviviscet.

Sed quum Dominus eum, qui omnia reliquerit, habiturum non esse promittat hoc tempore agros, pecuniam, domos fratresque cum persecutionibus, duplex esse persecutionum genus animadvertendum est: unum extrinsecus illatum ab hominibus, vel agente potestate diabolica; alterum, idque multo gravius, ex interna ipsius cuiusque anima oritur, impiis depravata desideriis variisque voluptatibus. Et huius quidem persecutiones generis semper adsunt, vitari non possunt ab eis, qui hunc hostem in se circumferunt. Tentatio extrinsecus veniens probationem efficit; interna autem mortem. Quodsi cum eiusmodi persecutione interna habeas divitias carnis, fratres, alia pignora: hanc omnem possessionem in malum cedentem relinque, pacem tibi ipse praebe, longa liberare persecutione, ab illis convertere ad Evangelium, prae omnibus Servatorem elige, tuae patronum et consolatorem animae, nullumque finem habiturae praebitorem vitae. Denique Dominus responsum concludit his verbis: Erunt primi novissimi, et novissimi primi. Multa quidem huius loci egent explicatione, sed quum non ad divites solos spectet, nunc nova hac quaestione supersedere possumus. Quod autem ad propositum nostrum attinet, a Servatore minime exclusos esse divites, quod divitias externas possideant, modo mandata eius velint servare, demonstratum esse arbitramur. Inter divitias enim natum esse peccatum non est, neque ante fidem susceptam divitias acquisivisse aliquem parsimonia et arte honesta[1]).

Iam vero causam narrationis de iuvene locuplete inquiramus. Doceat igitur locupletes, haud esse negligendam salutem, quasi eius spes omnis illis iam sublata esset; nec vero rursus opes pelago mergendas aut improbandas tanquam vitae insidiantes et inimicas:

[1]) p. 946—950. Hinc altera libri pars incipit, qua divitiarum ad salutem utilitas describitur, vel quomodo spes augeatur.

sed discendum eis, quomodo divitiis ad vitam comparandam utantur oporteat. Nam quoniam neque omnino perit dives timore, quia dives sit, neque omnino fit salvus quis fiducia, qua se salvum fore confidit: quanam re spes nitatur ex Servatoris doctrina consideremus. Niti ergo eam docet mandatis exsequendis. Maximum autem mandatum hoc esse dicit: Diliges Dominum deum ex tota virtute tua. Et profecto hoc maximum est, quum de ipso maximo agat, de deo patre nostro, per quem facta sunt atque exsistunt omnia, et ad quem revertuntur, quae fiunt salva. Nobis igitur ab ipso dilectis antea et conditis aliud quidquam antiquius ducere atque praestantius, quam ut amantem redamemus, quum nihil aliud quidpiam possit excogitari, quod deo nullius rei indigenti atque perfecto a nobis reddatur, nefas est. Quinetiam redamando immortalitatis munus consequimur.

Sed alterum mandatum haud minus id quidem, est: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ergo deum supra teipsum. Quis autem sit proximus parabola de Samaritano explicat. Is enim nobis proximus, qui tribuit nobis misericordiam. Caritas igitur utroque mandato iubetur, sed primae eius partes deo adscribuntur, proximo vero secundae. Nobis autem omnium, ut ita dicam proximorum proximus est ipse Servator, qui summam nobis tribuit misericordiam, radicitus vitiorum aegritudines evellendo. Ipse enim est, qui vinum (sanguinem vitis Davidicae) animabus infudit sauciis, qui ex visceribus Spiritus oleum adhibuit. Hic est, qui caritatem, fidem spemque, tanquam sanitatis salutisque vincula, quae nequeant dissolvi, copulavit. Hic est, qui angelos et principatus et potestates, ut nobis ministrent, sub magna mercede subiecit; nam et ipsi liberabuntur a mundi vanitate in revelatione gloriae filiorum dei. Quapropter hunc aeque diligere oportet ac deum. Diligit autem Christum, qui servat ipsius mandata. Sed is quoque diligit eum, qui fideles eius honori habet et colit; quod enim in discipulum quis egerit, hoc in se Dominus factum accipit. Id quod multis scripturarum locis probatur. Et ita quidem prorsus, quid valeant divitiae, intelligitur. Nam huc etiam illud pertinet: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Ac primum quidem hinc agnoscas, non esse mandatum, ut a te exigi patiare vel importunos esse egenos; sed ut tu ipse quaeras, ubi sint, in quos beneficium sis collaturus. Nam hilarem datorem diligit deus. Deinde vero tantam communicationis statui mercedem, aeternum tabernaculum. O pulchram negotiationem! Emit quis pecunia

immortalitatem, datisque seculi rebus intereuntibus, praemii loco aeternam in coelis mansionem recipit. Tu, qui dives es, ad has, si sapis, nundinas institue navigationem; totam, si necesse sit, peragra terram! Coelorum regnum dabit tibi, deum imitans, homo egenus. Hic te, eis quae parva sunt acceptis, ibi et per omnia secula contubernalem efficiet. Ut accipiat, supplica, festina, enitere; time, ne te ille spernat. Neque enim is habet in mandatis, ut accipiat, sed tu, ut praebeas. Quin ne hoc quidem dixit Dominus: da, praebe, beneficentia utere, sed: Fac amicum! Amicus autem non una largitione, sed familiaritate praestatur. Nam neque fides vel caritas vel tolerantia unius diei est; sed qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Quisnam vero hic est dei amicus? Tu quidem, quis dignus aut indignus sit, noli iudicare; fieri enim potest, ut opinione tua errore labaris. Optimum igitur indignis quoque benefacere propter dignos, ne cum indignis negligas dignos. Ne ob externam deformitatem quemquam respuas. Intus enim habitat absconditus Pater et Filius eius, qui mortuus est pro nobis et nobiscum resurrexit. Haec, quam cernimus, species, decipit mortem et diabolum, qui non adspiciunt thesaurum, quem in testaceo vase ferimus dei Patris virtute, dei Filii sanguine, Spiritus sancti rore communitum. Tu vero coge tibi exercitum inermem, ad bella ineptum, fundendi sanguinis imperitum, ira vacuum, incontaminatum: senes pietate praestantes, pupillos dei amantes et amatos, viduas mansuetudine instructas, viros caritate ornatos. Tales divitiis tuis corporique et animo tibi para satellites, quorum deus imperator exsistat, per quos ipsa prope mergens navis emergat, quae solae levent sanctorum preces; vigensque morbus edometur, quem fugent manus impositae; fiatque inermis latronum impetus, piis precibus despoliantibus; atque postremo daemonum frangatur potentia, operibus consentientibus cum mandatis redarguta. O dulce amicorum ministerium! Est autem genus electum, praestantia fulgens, quod coram humanis oculis nobilitatem suam occultat, Lumen mundi et Sal terrae, velut in exsilium quoddam ac peregrinationem magno Patris consilio huc missum, ut admaturetur mundi salus[1]).

Sed divitiarum usum docet ipsa dei caritas; nam deus est caritas. Pater enim est arcana divinitate; misericordia vero, qua nos persecutus est, exstitit mater. Diligendo quasi feminam induit genuitque Filium. Et hic quoque ipse caritas, qui diligendo des-

---

[1]) p. 950—956.

cendit et homo factus est. Qui quum pretium se ipsum daret redemptionis, novum nobis testamentum reliquit: caritatem meam do vobis. Pro unoquoque nostrum animam posuit. Quid igitur? Hanc ut nos quoque alter pro altero ponamus, postulat. Sin hoc autem, num egena illa et aliena et effluentia continebimus et recondemus? Alter alteri clausa habebimus, quae brevi post ignis consumet? Qui non diligit fratrem, ait Ioannes, homicida est; semen Cain est, diaboli alumnus, dei viscera non habet, spem meliorum non habet, sine semine est, sterilis est; non est palmes vitis supercoelestis in perpetuum viventis; excisum eum vorax ignis manet incendium. Tu vero discito viam praecellentem, quam Paulus docet, deducentem ad salutem. Caritas non quaerit, quae sua sunt, sed effusa est in fratrem, caritas illa praeclara, quae spem et fidem superat. Fides enim transit, quando ipsis oculis nostris videndo deum credemus; spes evanescit cum eorum conspectu, quae in spe posita sunt. At enimvero caritas perficitur, perfecta augetur magis. Multa etiam peccata atque errata homo caritatem augendo puramque adhibendo poenitentia potest corrigere. Vera autem poenitentia in eo cernitur, ut non amplius in eadem delabamur. His enim sublatis, deus in te rursus habitabit. Si nos quidem, quum simus mali, novimus bona dare data, quanto magis Pater misericordiarum, bonus ille Pater totius consolationis, misericordiae visceribus totus affluens multumque misericors propter suam ipsius naturam longa utitur patientia et eos, qui convertuntur, exspectat? Praeteritorum igitur veniam quidem concedit deus; ut non peccet in posterum, in uniuscuiusque potestate est positum. Qui autem, quum optimam egerit vitam, sub finem ad malitiam vitiaque deflexerit, nihil vita ante acta iuvatur; contraque, qui antea male et profuse vixerit, si eius illum vitae poeniteat, evincere potest. Quamquam multa et accurata opus est diligentia, sicut etiam longa affectis aegrotatione corporibus exquisitior diaeta maiorque cautio est necessaria. Dei tamen virtute, humanis precibus, fratrum auxilio, vera poenitentia, assiduaque meditatione res potest praestari. Est autem utile, hominem quendam virtute praeditum tanquam gubernatorem sibi praeficere, qui virtutis studio hortetur; et unum quidem habeas, quem verearis, alterum, quem timeas. Animo assidua voluptate nihil perniciosius; lacrimis interdum opus est. — Iam vero Clemens, ut consolationem e poenitentia nascentem magis sentiant lectores, adnectit narrationem illam dulcem de iuvene pulchro atque ingenioso, qui a Ioanne Apostolo urbis cuiusdam haud procul Epheso sitae episcopo commendatus, quum postea dux factus esset latro-

num, tamen postremo ab eodem Apostolo reductus est ad poenitentiam et sanctitatem. Deinde librum concludit hoc modo. — Qui enim poenitentiae angelum hic recipit, haud eum tunc poenitentia subibit, quum corpus reliquerit; neque confundetur Servatorem videns venientem eum maiestate sua et exercitu. Sin autem quispiam manere malit atque delinquere quotidie in voluptatibus volutans: is neve deum, neve divitias accuset, neve quod antea lapsus sit, sed suam ipsius animam, quae ipse sponte intereat. Patri vero, qui est in coelis, qui veram sanctimoniam vitamque tribuet nulli obnoxiam mutationi, ipsi cum Filio Iesu Christo, qui vivorum et mortuorum Dominus est, per Spiritum sanctum sit gloria, honor, potestas, aeterna maiestas, nunc et semper et in generationes generationum et in secula seculorum. Amen! —

In hoc libro Clemens vere et admirabilis exsistit et amabilis. Quamquam loci illius de divite interpretationi, quam proposuit, haud prorsus assentior, — ad verbum enim eum explico, — tamen non possum, quin subtilitatem, qua sententiam suam stabilire studet, admirer, amem autem virum tanta amoris flamma pro caritate dei hominumque locutum. —

§ 5.
De scriptis Clementis deperditis.

I. Eusebius duo potissimum Clementis opera novit magna, quorum prius, οἱ Στρωματεῖς ὀκτὼ, postquam commemoravit, de altero haec tradit: „sunt totidem numero, atque illi, (i. e. octo) eius Ὑποτυπώσεων libri, in quibus Pantaenum ut doctorem suum nominatim memorat, explicationes huius scribens et traditiones exponens“[1]). Hoc igitur opus gravissimum Eusebius introspexit integrum atque, interpositis vacuum. Atque Hieronymus: „Feruntur eius (Clementis), inquit, insignia volumina, plenaque eruditionis et eloquentiae, tam de scripturis divinis, quam de secularis litteraturae instrumento. E quibus illa sunt: Στρωματεῖς libri octo; Ὑποτυπώσεων libri octo“[2]). Et alias: „Clemens Alexandrinae ecclesiae presbyter, meo iudicio omnium eruditissimus, octo scripsit Stromatum libros et totidem Ὑποτυπώσεων, et alium contra

---

[1]) H. e. VI. 13: *ἰσάριθμοί τε τούτοις (Στρωματέων λόγοις) εἰσὶν οἱ ἐπιγεγραμμένοι Ὑποτυπώσεων ἀυτοῦ λόγοι· ἐν οἷς ὀνομαστὶ ὡς διδασκάλου, τοῦ Πανταίνου μνημονεύει, ἐκδοχάς τε αὐτοῦ γράφων καὶ παραδόσεις ἐκτιθέμενος.*

[2]) De vir. ill. c. 38.

gentes, Paedagogi quoque tria volumina. Quid in illis libris indoctum, imo quid non e media philosophia est?"[1]) Neque ergo Hieronymus Ὑποτυπώσεων libros ab eximia laude, quam in universum tribuit Clementis operibus excludit, imo includit disertis verbis. Errores hic quidem non plures animadvertit, quam Eusebius, i. e. nullos. Itaque vidit opus verum et sincerum. At vero minime item Photius. Haec enim eius verba: „Hypotyposes quidem de veteris novique Testamenti locis quibusdam disserunt, quorum etiam summatim explicationem instituit et interpretationem. Et in nonnullis quidem recte videtur dicere, in aliis autem plane in impios et fabularum similes sermones effertur. Materiam enim esse aeternam et ideas veluti certis quibusdam decretis induci opinatur, Filiumque in rei creatae sortem deducit. Praeterea animarum migrationes multosque ante Adamum mundos prodigiorum instar comminiscitur. Evam autem ex Adamo esse, non eo modo, quo verbum vult ecclesiasticum, sed obscoene et impie dictitat. Angelos quoque se cum feminis miscere et liberos ex eis procerare somniat. Deinde Logon carnem non esse factum, sed ita visum duntaxat. Duos praeterea Patris Logos mirabiliter finxisse arguitur, quorum minor hominibus visus sit; imo ne hoc quidem, sed sic scribit: Dicitur quidem Filius etiam Logos, ὁμωνύμως patrio Logo. Nec vero hic est, qui caro factus est, neque etiam patrius ille Logos; sed vis quaedam dei tanquam a deo ipso profluens, mens effecta, hominum corda pervasit. Quae quidem omnia s. Scripturae testimoniis aliquot confirmare conatur. Quinetiam alia quoque id genus sexcenta blasphema voce nugatur, sive ipse, sive alius quis personam eius indutus. Et haec quidem blasphemiarum portenta octo libros implent. Dicit etiam de eisdem saepenumero, passim confuse, quasi stupore perculsus producit verba. Universi autem operis propositum fuisse videtur: Geneseos, Exodi, Psalmorum, divini Pauli epistolarum, Catholicarum, Ecclesiasticique interpretationes. Discipulus autem, ut ipse dicit, fuit Pantaeni"[2]). De quibus blasphemiis ac portentis quum neque Eusebius quidquam animadverterit neque Hieronymus, non versimile est solum, a Photio opus iam interpositum interpolatumque fuisse lectum, verum etiam manifestissimum. Sine controversia enim Eusebius atque Hieronymus non ita doctrinae christianae rudes fuerunt, ut errores tam graves non agnovissent. Sed

[1]) Ad Magn. Orat. Rom

[2]) l. l.

Photius ipse eiusmodi interpolationis vel totius operis deperditi loco interpositionis suspicionem aliquam habet; nam: sive ipse, inquit, (Clemens) sive alius quis personam eius indutus (nugatur). Nec vero ita interpolatum fuisse videtur hoc opus, ut Photius omnia Clementis verba erroribus interpositis aucta legisset, sed ita potius, ut omnia haereticis opinionibus illis recte adversantia eiecta essent. Photius enim in suo codice parvam s. s. Scripturarum partem explicatam esse testatur; Eusebius contra, in Hypotyposibus Clementis universas scripturas, non solum eas, quae omnium consensu approbentur, verum etiam illas, de quibus sit controversia, interpretationem nactas esse narrat. Itaque Photio magnum tantum veri operis fragmentum praesto fuit, idque ab haereticis turpissime depravatum[1]). Ad nos vero hoc non pervenit. Sed etiam praeclarum opus ipsum temporum iniuria periisse videtur. Nihil adhuc inveniri potuit, nisi parva quaedam fragmenta, a diversis scriptoribus servata. Quamquam vel ex his paucissimis, quantam iacturam fecerimus, licet coniici; quod tamen ut prorsus intelligatur, longum et gravissimum Eusebii testimonium ad verbum transscribam. „In libris, inquit, Ὑποτυπώσεων, ut summatim comprehendam, totius Testamenti Scripturae breves fecit explicationes, ne eos quidem libros, de quibus disceptatur, omittens: Iudae epistolam dico, et Catholicas, et epistolam Barnabae, et revelationem, quae Petri esse dicitur. Epistolam item ad Hebraeos Pauli esse affirmat, et scriptam quidem sermone ad Hebraeos Hebraico; Lucam autem diligenter eam, ut Graecis ederet, in Graecum vertisse, unde in huius epistolae interpretatione idem color, atque in Actis inveniatur. Inscriptionem porro, Paulus Apostolus, non sine causa in epistolae principio fuisse praetermissam; nam quum ad Hebraeos, praeiudicatam de eo opinionem suspicionemque habentes epistolam scriberet, ne statim initio eos prorsus averteret, nomen eum admodum prudenter non inscripsisse. Deinde autem magis infra haec addit: Iam vero, sicut beatus quidam presbyter dixit, quoniam Dominus, ipse Patris sui omnipotentis Apostolus, ad Hebraeos missus fuit, Paulus quippe missus ad gentes modeste quidem, quum ad Hebraeos scriberet, Apostolum Hebraeorum se non inscripsit, partim propter suam erga Dominum reverentiam, partim ne ut gentium praeco et Apostolus praeter officium ad Hebraeos scribere videretur. Porro autem Clemens in eisdem libris traditionem de temporum ordine, quibus Evangelia scripta erant, a presbyteris veteribus acceptam hoc modo exponit.

[1]) Nourrio hac de re (p. 1328—1329) nescientem me esse assensum nunc video.

Prima scripta dicuntur Evangelia ea, quae genealogias continent. Evangelium autem secundum Marcum ita sese habere. Quum Petrus publice Romae praedicaret verbum et Spiritu Evangelium exponeret, multos praesentes Marcum, quippe qui diutius eum fuisset comitatus memoriaque teneret omnia, obsecrasse, ut dicta mandaret scriptis. Hunc ergo, quum composuisset Evangelium, hoc petentibus ipsum tradidisse. Atque Petrum certiorem hac de re factum neque omnino prohibuisse neque fuisse adhortatum. Ioannem vero postremum, ea, quae ad corpus atque ad Christi humanitatem spectarent, in illis Evangeliis descripta esse videntem, a coniunctissimis discipulis rogatum, Spiritu divino commotum spiritale composuisse Evangelium"[1]).

Neque de tempore, quo Hypotyposes scriptae sint, neque de ratione quadam, quae inter ipsas et Stromata intercedat, quidquam potest statui certi. Quamquam, quum Clemens in Strom. libri I. prooemio se traditiones a Pantaeno inprimis acceptas scriptis mandaturum esse profiteatur, Eusebius autem eundem in Ὑποτυπώσεων libris Pantaeni scripturarum explicationes traditionesque exponere narret: Hypotyposes esse Stromatum continuationis partem aliquam nescio an forte quispiam haud prorsus sine iure coniecerit. Quam coniecturam eo quidem verisimilem nonnulla ex parte fieri puto, quod Clemens, quamvis plurima etiam ad s. s. Scripturarum interpretationes pertinentia se esse scripturum passim promittat, nunquam tamen de opere hac propria Ὑποτυπώσεων inscriptione, quod quidem ut elaboretur satis multum temporis desideraverit, quidquam indicat. Quid vero, quod Clemens ipse (Strom. IV. p. 564) se in Strom. brevem Scripturarum expositionem (κατ' ἐπιτομὴν τῶν γραφῶν ἔκθεσιν) tempore esse traditurum pollicetur? Sed de hac re quidquid placuerit, id teneas. Dum Ὑποτυπώσεων codex reperiatur, multae ac variae manent controversiae, quas disceptare huius loci non est.

II. Eusebius in quarto h. e. libro c. 26 de Melitone agit, episcopo Sardensi. Quum igitur, scriptis eius enumeratis, prima libri de Paschate verba transcripsisset: „huius autem libri, inquit, mentionem facit Clemens Alexandrinus in proprio suo de Paschate libro, quem ut componeret Melitonis scriptionem causam sibi fuisse dicit." Et hunc quidem Clementis de Paschate librum Eusebius alio loco s. l. his verbis nominat: Περὶ τοῦ πάσχα σύγγραμμα. Item Hieronymus (l. l.) vidit: „De Pascha librum unum." Hunc

[1]) l. l. c. 14.

quidem Photius non habuit ad manum, id quod Nourrium fugisse videtur. Photius enim nihil dicit, nisi a Clemente de Paschate scriptum esse alios testari. Quamobrem nescio an iam tum temporis librum illum deperditum fuisse affirmem. Quid autem propositum eius fuerit, Eusebius ipsius Clementis verbis aperte declarat. „In libro, inquit, de Paschate se a familiaribus suis coactum esse fatetur, ut traditiones, quas a presbyteris veteribus audiisset, posteris traderet scriptas; in eodem autem commemorat Melitonem, Irenaeum, aliosque nonnullos, quorum narrationes exponit"[1]). Etiam huius libri perpauca quaedam servata sunt in Chronici Paschalis prooemio.

III. Praeterea Eusebius (l. l.) commemorat Clementis „Disputationes de ieiunio et de obtrectatione" (Διαλέξεις περὶ νηστείας καὶ περὶ καταλαλιᾶς); quarum Hieronymus mentionem facit his verbis: „De ieiunio disceptatio .... De obtrectatione liber unus;" ita autem Photius: περὶ νηστείας καὶ περὶ κακολογίας, quamquam hic etiam hos libros non vidit. Ad quos accedit aliud opus, quod apud Eusebium ita inscribitur: Ὁ Προτρεπτικὸς πρὸς ὑπομονὴν εἰς τοὺς νεωστὶ βεβαπτισμένους; et quartum, cuius titulus apud eundem auctorem sic se habet: Κάνων Ἐκκλησιαστικὸς, ἢ πρὸς τοὺς Ἰουδαΐζοντας. Hoc autem Hieronymus laudat his verbis: „De Canonibus Ecclesiasticis et adversum eos, qui Iudaeorum sequuntur errorem, liber unus;" eisdem autem, sed Graecis verbis Photius, qui, quum liber ipse ei non esset praesto, Hieronymi verba vertisse tantum videtur. Sed haec omnia, paucis fragmentis exceptis, deperdita sunt. Nec vero Eusebius et Hieronymus omnia Clementis opera edita nacti sunt, quod quidem, praesertim quum Clemens validissima aetate ex Africa migraret in Asiam, nil mirum est. Fugit eos e. c. Liber de Providentia, cuius S. Maximus Confessor duo fragmenta in opusculis suis intexuit[2]). Sed ne hic quidem liber ad nos pervenit.

IV. Iam vero Clemens ipse in scriptis suis nonnullas disputationes, quas iam scripserit, nominat, quarum titulos cum locorum numeris indicabo.

1) Περὶ ἐγκρατείας, De continentia, p. 226.
2) Ὁ γαμικὸς λόγος[3]), Liber de nuptiis, p. 278.

---

[1]) H. e. VI. 13.

[2]) S. Maximi Opp. T. II. p. 144 et p. 152.

[3]) Ad hunc librum etiam verba: *διειλήφαμεν δὲ βαθυτέρῳ λόγῳ........ προσηγορία τάττεται* (p. 197.); quibus Nourrius (p. 1337.) propriam a libro de nuptiis diversam scriptionem significari haud recte opinatur, pertinere videntur.

3) Ἐξήγησις ἀρχῶν καὶ θεολογίας, Expositio Principiorum et Theologiae, p. 950.

Ut igitur has tres scriptiones a Clemente editas fuisse ipsius testimonio credimus, sic etiam earundem iacturam dolemus. Porro auctor multa se esse scripturum pollicetur, quae non habemus, quae partim scripta non esse videntur, partim interierunt. Sunt autem haec [1]).

1) Περὶ αναστάσεως, De resurrectione, p. 125 et 232.
2) Περὶ προφητείας, De prophetia, p. 416, 605, 699.
3) Περὶ ψυχῆς, De anima, p. 488, 516, 699.
4) Περὶ ἀρχῶν, De principiis, p. 516, 520, 564, 571, 603.
5) Περὶ τῆς ἀνθρώπου γενέσεως, De hominis ortu, p. 554.
6) Περὶ μετεμψυχώσεως, De animarum ab aliis post mortem ad alios transitione, p. 601.
7) Περὶ τοῦ Διαβόλου, De diabolo, p. 601.
8) Περὶ τοῦ ἕνα εἶναι τὸν θεὸν, τὸν διὰ Νόμου καὶ Προφητῶν καὶ Εὐαγγελίου κηρυσσόμενον, Unum esse deum, per Legem, Prophetas, Evangelium praedicatum, p. 604.
9) Πρὸς τὰς αἱρέσεις, Adversus haereses, p. 604.
10) Περὶ τῆς εὐχῆς, De precatione, p. 641.
11) Περὶ γενέσεως κόσμου, De ortu mundi, p. 827.
12) Ἡ θεωρία τῶν δογμάτων, De dogmatum doctrina, p. 867.

Quarum omnium disputationum nulla exstat. Quaeritur autem, utrum Clemens omnino eas exaraverit, nec ne. Sed aliud habeo, quod prius quaeram: sintne omnes singuli vel etiam plures proprii ac separati libri, an pertineant hae omnes dissertationes ad Stromatum continuationem. Ac primum quidem animadvertendum est, de omnibus, quae Clemens tempore se esse tractaturum promittit sine certo ac definito titulo, qualia Nourrius multa quasi propria opera promissa indicavit [2]), illud non quaeri, ut quae aperte in Stromatis deinceps disputanda proponantur. Sed nescio an etiam de ceteris cum inscriptionibus promissis, quae modo enumeravimus, idem sit dicendum. Verum quidem est, scriptionem quandam Clementis De anima exstitisse videri, unde Maximus locum haud ita magnum sermoni suo LIII De anima intexuerit. At vero hanc ipsam disputationem ita pollicetur Clemens, ut multo verisimilius

---

[1]) Nourrius haud recte (p. 1336.) verba illa: *σαφὲς δὲ ὡς .... ὑπερκείσθω ταννῦν*, huc spectare dicit, quae potius totum Strom. opus manifesto significant.

[2]) p. p. 1337, 1338, 1339.

credatur, eum illud, quod pollicitus sit, in Stromatis impleturum esse, quam in libris propriis. Ceterum fragmentum illud, quamvis de animis agat, tamen, quum tam parvum sit, ex quovis alio deperdito Clementis opere sumptum esse potest. Quid autem, quod illud Περὶ ἀρχῶν, saepenumero id quidem promissum, in libri Strom. IV prooemio disertis verbis in huius operis tenore tractatum iri auctor indicat? Similiter dogmatum doctrinam promittit, et ceteras disputationes haud prorsus aliter. Quinetiam Stromatum indoles atque finis, omnia illa in eis expositurum fuisse Clementem, ut suspicemur, suadent. Haec vero hactenus. Dissertatio autem de Clem. Alex. fragmentis, quae neque omnia adhuc collecta sunt diligenter, neque recte iudicata, sit exoptata. Huius loci non est.

§ 6.

Quid hic dicendum sit de libris Clementi suppositis.

Iam quum Clementem scriptorem, qualis fuerit, scriptorum eius aperiendorum multis quasi clavem praebendo ostendere nobis proposuerimus, quid de libris ei suppositis, qui eius imaginem perficere nullo modo possunt, hoc loco dicendum sit, in promptu esse videtur. Dicendum certe nihil, nisi eiusmodi libros esse. Sunt autem tria scripta, quae neque ipsius auctoris neque alius veterum cuiusquam testimonio confirmantur, neque vel argumento vel indole Clementem auctorem postulant, imo declinant. Quorum hae sunt inscriptiones:

1) Ἐκ τῶν Θεοδότου καὶ τῆς ἀνατολικῆς καλουμένης διδασκαλίας κατὰ τοὺς Οὐαλεντίνου χρόνους ἐπιτομαί.
2) Ἐκ τῶν προφητῶν ἐκλογαί.
3) Adumbrationes in epistolas catholicas.

De quibus quid iudicandum sit, si quis voluerit comperire, is legat inprimis ea, quae Nourrius subtiliter disputat p. 1310—1326. Est etiam propria dissertatio quaedam, qua de prima harum scriptionum multa accurate iudicantur, digna haud dubie, quae legatur, cuius titulus est: „Animadversiones ad nonnulla loca excerptorum ex Theodoto et doctrina orientali, Clementi Alex. vulgo attributorum," quam scripsit Dr. Engelhardt, Erlangae 1830. Sed ipsi iam ad graviora pro nostro quidem proposito inquirenda pergamus. —

Caput IV.

De Clemente philosopho.

§ 1.

Quid philosophum distinguat a philosopho.

Lingua Germana voce quadam utitur satis urbana, quae, quamvis philosophis et usurpata sit et audita sexcenties omnibus, an perpaucis tamen nescio cognita sit atque perspecta. Est autem notissimum illud Standpunct, quod latina voce prorsus idem declarante reddi nequit. Sed ea in illo vocabulo vis inest, qua philosophum a philosopho distinguimus. Itaque philosophandi via est principalis ac ratio, quam voce Standpunct significare volumus. Quam rationem, qualis sit, ut accuratius discamus, quid ipsa sit philosophia consideremus oportet. Quodsi philosophiam quam maxime generaliter definierimus, hanc esse veri inveniendi vel potius cognoscendi studium fatebimur[1]). Verum autem in hac definitione id esse arbitramur, in quo mens nostra tranquilla atque beata acquiescat. Atqui acquiescet mens nostra nunquam in eo, quod cadit sub sensus, ut quod ipsum per se nihil, quo constanter nitatur, habeat. Sed est quiddam, quod sustentat continetque illud, quod sensibus percipitur, ipsum quidem partim quodammodo per se sustentatum, partim etiam prorsus per se. Atque eiusmodi sunt rerum essentiae, quarum multae ut creatae quodammodo per se sustentantur, una autem quum est tum exsistit sine ullius rei praeter ipsam ope. At vero sunt, qui huiuscemodi essentiarum differentiam negent! Nihilominus hi quoque in essentiis ut in solo vero acquiescendum esse demum concedent, sive essentias ab eis, quae oculis cernimus, discernunt, sive hoc aliter sese habere opinantur, aliis essentias in hominibus solis inesse contendentibus, aliis proprie eas non esse nisi in rebus externis dictitantibus.

Quae quum ita sint, Clementi Alexandrino, philosophiam essentiarum scientiam vel etiam cognitionem definienti, assentiri non dubitabimus. Quamquam his verbis philosophiae finis potius de-

[1]) Strom. I. p. 375, 376, alias.

scribitur, quam ipsius tanquam studii natura. Sed hoc nescio an etiam rectissime fieri possit. Certe in generali illa notione modestiore hic finis propositus est, ut philosophiâ quaeri essentiarum cognitionem sine ullo dubio dicatur etiam recte. Quid ergo? Quanam re philosophi, i. e. qui essentiarum cognitionem quaerunt, inter se poterunt differre? Quin differre possint, vario ac diverso studiorum philosophorum fructu animadverso, nemo dubitabit. Alios enim aliam essentiarum cognitionem habere veram experientia docemur quotidiana. At vero quum philosophiae natura in studio quodam potius consistere videatur, quam in fini et fructu, philosophorum differentia in eo, quod philosophando fuerint assecuti, haud optime ponatur positaque iudicetur, praesertim quum vel illi prorsus idem queant invenire, qui in ipso philosophandi munere discrepant inter se quam maxime. Quemadmodum enim fieri potest, ut, dum alii statim ab initio viam a patria abducentem ingressi aberrant a propositis itineris finibus, alii principio quidem rectam ineuntes viam, postea autem non persecuti, in eandem terram, atque illi, alienam deveniant; itemque alia constantia viae, inconstantia alii urbem tandem vident exoptatam: sic philosophi quoque veritatem amabilem atque desideratam alii sibi constantes reperiunt, alii propter id ipsum, quod deserunt bonitate naturae amabili modo inconstantes viam inchoatam, adipiscuntur; contraque varia etiam ratione in errorem mendaciumque incidunt. Quam ob causam in eo, quod philosophando effecerunt singuli, quoniam idem studii fructus ipsius studii discrimen admittit, differentia eorum non est ponenda. Studii autem discrimen, ubi indagandum? Haud dubie in ipso studii principio. Atque ordiatur quidem oportet studium philosophum ab ea quaestione, qua, qualis ratio inter essentias cognoscendas et vim hominis cognoscentem revera intercedat, enucleatur. Qui ab alio principio initium faciunt, in aliquid veri nonnonquam εὐστοχίᾳ quadam mentisque bonitate incidere possunt; at vero si in omnem totamque inciderent veritatem, certam scientiam ac persuasionem invictam nunquam acquirerent. Haec igitur ratio per se quidem una est et eadem, siquidem eadem in quovis homine vis cognoscendi, eaedem omnino cognoscendae essentiae; sed quum una sit per se, in hominibus varia evadit humanis erroribus et multiplex. Namque ne ab eis quidem omnibus, qui eam investigare student haud temere, talis, qualis est, invenitur. Animorum enim imbecillitas, educatio, schola, consuetudo, amicitiae multum hac in re valent. Iam vero ipsa rationis illius statutae diffe-

rentia, sive cognita sive ignorata, differunt inter se philosophi.

Atque hoc ipsum indicare vult et quasi digito demonstrare nostrum: Standpunct. Id quod optime intelligetur, si a sensibus horumque perceptionibus similitudinem petierimus. Nam a sensibus illud ipsum Standpunct ad mentem translatum est. Quodsi regionis cuiusdam pulchrae et amoenae adspectum quaerimus iucundissimum, eum locum, vel potius loci punctum, quo ita stare possimus, ut inter sensus nostros et plenam totius huius naturae apparentis pulchritudinem recta intercedat ratio, indagamus. Stationis optimae punctum, si voce vocem reddere liceat, investigamus. Et sic quidem habeamus oportet, ubi stemus philosophaturi, ut recta inter mentem nostram et essentias ratio servetur. Atque sicut longam et amplam regionem adspecturi in locum ascendimus editum nullisque impeditum arboribus: ita quoque, ubi philosophantes volumus stare, omnia impedimenta removenda sunt. Velut opiniones praeiudicatas excidamus oportet quovis modo. Si quid enim interpositum est, ut omnia videamus perversa, fieri potest. Virga rectissima, aqua inter ipsam et oculos fusa, cernitur quasi obliqua. Similiter praeiudicatorum aqua omnia facit obliqua. Qui, quantum nocere possit philosophanti quamvis subtili opinio praeiudicata, admirari voluerit, is velim legat prooemium in Hegelii librum, qui inscribitur Logica. In quo, quum ideam, vel potius notionem, ut essentiarum summam initio in se sibique soli fuisse, quae deinceps, quomodo omnibus nescientibus, a se ipsa quasi deficiens in materiam demersa et commutata iam denique in homine ad se reverteretur, praeiudicatum ei esset: in hoc igitur qualis ac quanta, pulcherrimo saepenumero disputationis ordine et subtilitate, rerum omnium perturbatio opinionumque perversitas, qualis ac quanta veri cum falso consociatio!

Nec vero solum impedimenta sunt tollenda, sed, quod rei caput est, etiam vis in homine cognoscendi ut ipsa cognoscatur, enitendum est principio. Et noli quidem mihi obiicere, hoc si quis faceret, eum cognoscere aliquid velle priusquam, ubi staret ad cognoscendum, haberet. Nam stat homo alicubi semper, quamvis certum, ubi stet, locum adhuc nesciat. Stationem tenet etiam quandam in monte, qui iucundissimum adspectum quaerere incipit, antequam quaerit. Philosophi est igitur suam quasi stationem, quam tenentem se invenit factus sui conscius, examinare, qualis sit, et utrum optima, an minus. Atqui examinare eam omnino nequit, nisi prius et interim ea utatur, duce ipsa naturae suae bonitate in se ipsum

introspiciens, ut vim suam cognoscendi cognoscat ipsam. Quam cognitionem rursus niti humana natura cognita, in promptu est.

Quae quum ita sint, si Clementem ut philosophum describere voluerimus, primum, qualem hominis naturam agnoscat, inquirendum erit; deinde quam vim cognoscendi homini tribuat; denique quam haec ex eius placitis rationem habeat cum essentiis. Quibus indagatis probe et historiae, i. e. scriptis eius convenienter, qualis Clemens fuerit philosophus, demonstratum erit. Sed antequam triplicem illam quaestionem aggredimur, duo restant: alterum, ut, quicunque de Clemente philosopho adhuc scripserunt, hos de Clementinae philosophiae fructu, quem quisque nonnullis locis adhibitis pro vero haberet, disserentes tantum, de ipsius philosophandi ratione ac natura nihil probasse, brevi ostendamus; alterum, ut quaeramus, utrum Clemens omnino posse aliquid cognosci statuat, nec ne. Nam si nihil omnino cognosci posse opinaretur, supervacanea esset quaestio nostra triplex.

§ 2.

De Clemente philosopho viros eruditos haud recte iudicasse.

De Cemente Alexandrino philosopho viri eruditi iudicaverunt sexcenti in historiae tam ecclesiae quam philosophiae libris, in Patrologiis, in dogmatum expositionibus narrationibusque, in singulis de auctore illo dissertationibus, quorum sententias omnium transscribere et longum est pro hoc loco et supervacaneum. Neque eruditionis speciem, quam multi notandis libellis quibuscunque vilissimis captant et inveniunt, sed veritatem quaero. Quam ut defendam, generaliter pauca dixisse, satis erit. Omnes enim praeter unum, de cuius sententia dicemus infra; omnes, qui de Clemente philosopho certi aliquid pronuntiant, non philosophandi ratione eum metiuntur, sed fructu.

Sunt igitur, et hi quidem plurimi, qui Clementem philosophum esse dictitent non sine despicientia quadam ἐκλεκτικόν. Qui quidem Clementis philosophandi viam et rationem vocaverint ἐκλεκτικὴν, et philosopho ipsi inferunt iniuriam, quum certam habeat rationem ac stabilem, et nescio an rem omnino absurdam contendant. Nam scio equidem constare plerumque inter homines doctos, esse genus philosophandi quoddam ἐκλεκτικόν. Sed hoc genus quale est? Num forte in eo consistet, ut quis ad aliam veritatem cognoscendam utatur Protagorae sophistae philosophandi ratione, ad aliam

Platonis, Aristotelis ad aliam, ad aliam Epicuri, aliorum ad alias? At hoc quum per se ineptum sit, tum a Clemente alienissimum. An vero in hoc genus illud ἐκλεκτικὸν cernitur, ut quis omnino non philosophetur, sed modo ex hac schola philosopha aliquid verum existimet, modo ex alia? At iam non erit istud philosophandi genus quoddam, si hoc genus intelligunt. Quamquam reapse nemo omnino esse potest sine omni philosophandi ratione; homo esse desineret, qui ceterum sensibus et sana mente praeditus nullo modo philosopharetur, i. e, cognoscere averet. Sed plerorumque hominum philosophia non tam in prudenti doctrina arte progrediente versatur, quam in actione. Quemadmodum autem, cui neque oculi essent neque manus, is ex maxima frugum copia et optimarum et pessimarum promere optimas non posset nisi ore ipso singulas probaret: sic qui ne actione quidem philosophandi ratione uteretur non posset placita vera ex falsis seligere nisi vivendo omnia probaret, qua tamen probatione periret. Quinetiam haec probatio quomodo fiat nescio sine omni cognoscendi ratione. Sed videamus, quo, qui Clementem ἐκλεκτικὸν vocant, nitantur. Habent igitur ipsius auctoris verba, quae videntur esse apertissima. Clemens enim: „Philosophiam, inquit, neque Stoicam dico, neque Platonicam, neque Epicuream, neque Aristoteleam; sed quaecunque ab unaquaque harum sectarum recte dicta sunt, quae docent iustitiam cum pia scientia: hoc totum selectum dico philosophiam; quaecunque autem humanis separata ratiocinationibus adulterarunt, ea nunquam dixerim divina“ [1]). Iam quid, quaeso, ex his verbis magis necessario consequitur, quam haec sententia: Nihil ex cuiusvis sectae dictis seligo ut dictum ab ipsa, sed si quid in qualibet verum reperiatur, hoc seligo, quamvis etiam prava a secta defensum; seligo enim quidquid eam solam ob causam, quia verum. Utrum autem aliquid verum sit, an minus, hoc Clemens stans extra sectas iudicare ac discernere debet. At enimvero, ubinam stat, i. e. qualem ipse rationem statuit essentias inter et vim cognoscendi humanam? Haec quaestio de Clemente philosopho, quam nemo solvit, imo attingit, qui eum ἐκλεκτικὸν esse professus acquiescit. Clemens autem loco illo duos refutat adversarios, quorum alteri hanc vel illam sectam secuti omnia huius placita pro veris habebant ut profectis a sectae auctore ac principe, alteri, quaecunque philosophi tuebantur, ea omnia hanc ipsam ob causam, quod philosophi ea agnoscebant, reiicienda esse arbitrabantur. Hoc unum hic addo:

[1]) Strom. I. p. 338.

eiusmodi ἐκλεκτικός, qui neque respuat quidquam ut ab alio agnitum, neque contra habeat verum eandem ob causam, debet esse philosophus optimus quisque et sui iuris quam maxime.

Sed sunt praeterea qui Clementem partim dicant Stoicum esse, partim Pythagoreum, partim Neoplatonicum, partim aliorum auctorum discipulum, et hoc unum tantum miror equidem, quod nemo adhuc eum fecerit Epicureum. Quomodo enim probant id, quod contendunt, qui Stoicum, quomodo qui Pythagoreum, quomodo qui Neoplatonicum eum appellant? Sane facillime, i. e. sine multo labore. Conferunt singula dogmata quaedam, sive similia sunt, sive videntur, — parum refert, — conferunt. Ioannes Clericus, ut exemplo utar, qui Clementem ἐκλεκτικὸν esse dicit ad Stoicos tamen magis delapsum, opinionem suam probasse sibi videtur collatis inter se his sententiis, Clementis quidem: ὅτι μόνος χριστιανὸς πλούσιος, Stoicorum autem: ὅτι μόνος σοφὸς πλούσιος. Quum Clemens haud dubie consulto contra virtutis speciem ponat ipsam virtutem, Io. Cler. vidit in contrariis simillima. Deinde autem ne philosophorum dogmata quidem continentur verbis illis. Et si contineantur, neque ad Stoicorum philosophandi rationem pertineant, neque Clementem ostendant, qualis fuerit philosophus. Alii quidem prudentius elegerunt dogmata comparanda, sed quaestionis nostrae cardinem ne attigerunt quidem. Cum quibus igitur neque res nobis esse potest. Quamquam etiam hi quoque saepenumero ea placita proferunt, quae quidem et in Clementis scriptis et in eorum operibus, quos Clementis auctores esse volunt, reperiuntur; at vero horum non ita sunt, ut sint propria ac privata. Sed si qui etiam propria ac privata reperiunt, nihil demonstrant, quum debeant philosophandi rationem exponere, de sectae philosophae fructu quodam agentes.

Qui autem unus ad Clementis philosophandi rationem respiciens revera de ipso philosopho satis erudite ac subtiliter disseruit, huius libellum, Augusti Ferd. Daehnii quidem, cum gaudio legi, meque ei non posse assentiri dolenter fateor[1]). Daehnius igitur Clementem facit Neoplatonicum. Nec vero ipse cum multis viris ceterum eruditis in hac tamen re parum diligenter ac subtiliter versatis consentit, qui „Neoplatonicos philosophos eclecticos intellexerunt, quos Neoplatonicos ideo potissimum appellatos existimarunt, quod ex plurimis quidem philosophis nonnulla, ex Platone vero plurima sua fecissent, et Patres quosdam in eorum numero habuerunt, partim propterea quod etiam illos ex omnibus fere philosophorum scitis,

¹) De *ΓΝΩΣΕΙ* Clementis Alexandrini etc. Aug. Ferd. Daehne. Lipsiae, 1831.

quae placuerunt, elegisse arbitrabantur, partim quod illis ea potissimum placuisse contendebant, quae Neoplatonici probaverant"[1]). Sed rei caput potius aggrediens, i. e. rationem, quam essentias inter et vim hominis cognoscentem quum Neoplatonici statuerint, tum Clemens Alexandrinus, Neoplatonismi, quem vocant, indolem, quam ponit in „mysticismo" quodam, et nascentem et natae naturam describit his verbis. „Postquam Graeca philosophia, ethnicae religioni nunquam non perquam inimica, etiam in vulgus exiit, ac morum corruptela, ubi primum Romae sedem fixit, ad provincias sensim transiit, evenit, ut potissimum inde a seculo 1. p. Chr. patria sacra tantum non omnibus risui et contemtioni essent ac plerique omnes una cum fiducia, in veteribus Diis male locata, divina omnia missa facerent. Quo quidem ipso eos ad id mysticismi genus deductos esse certum puto, cui serius nomen dederunt. Est enim mysticismi (theoretici, cuius alumni immediata Dei cognitione gloriantur) duplex ratio, quarum altera praeter immediatam Dei cognitionem etiam aliam aliunde partam admittit, sed minus certam, sed minus perspicuam; altera hac sola immediata cognitione Deum cognosci posse contendit, neque aliam praeterea ullam probat. Iam vero apparet, uti opinor, id mysticismi genus, quod in ultimo loco collocavi, et atheismum eodem fundamento niti, quod mecum contendes, ubi intellexeris, tales mysticos et ἀθέους aeque negare: hominem (addunt mystici: sua facultate) quidquam divini cognoscere posse"[2]). Ad priorem igitur „mysticismi" rationem accedere dicit deinde Neoplatonicos: „quos, inquit, eo nomine ab omnibus philosophis, qui praecesserunt, distinctos esse censeo, quod non tantum mysticismum ad philosophiam adducerent, verum etiam demonstrare ac probare studerent, quo iure in philosophia sua eo uterentur. Hoc est, quod dico: Philosophi priores vel imprudentes, vel ita certe, ut eius rei rationem non redderent, mystica philosophia usi sunt; Neoplatonici primi non tantum agnoverunt, se, ubi philosophantur, humanam cognoscendi facultatem superare, verum etiam ex humana ac divina natura demonstrare voluerunt: hominem non sine idonea causa eam relinquere"[3]). Et huius quidem philosophiae Neoplatonicae auctorem nobis ac principem esse Plotinum dicit, scriptorem quidem, qui scriptam eam in Enneadibus primus nobis reliquerit. De quibus omnibus cur non assentiar, nihil habeo;

[1]) l. l. in Prooemio p. XI—XII.
[2]) l. l. p. 4—5.
[3]) l. l. p. 8.

quamquam illa non tam generaliter tantum explicata esse velim. Comparatio Clementinae philosophiae cum Neoplatonica ita facilius et nescio an accuratius institui possit. Sed hanc comparationem iam examinemus oportet. Ac primum quidem quod Daehnius prooemii loco affirmat, „utrumque virum (Plotinum ut Neoplatonicorum interpretem et Clementem) idem principium tenuisse“[1]), κοσμογονίαν, egregie fallitur. Verum quidem est, „Plotino ex cosmogonia omnia dependere,“ siquidem quemadmodum apud nostrae aetatis philosophos, quorum existimatio iam coepit evanescere, sic etiam apud Plotinum capitale, ut ita dicam, peccatum ac praestantissima temeritas cernitur in statuenda κοσμογονίᾳ; nam mundo facto et homine progresso, imo iam philosophante: omnia optime se habent atque procedunt pulcherrima ac summa consequentia. Sed quid Clemens nos de κοσμογονίᾳ docturus fuerit, quum proprium de hac re librum promissum ab eo non habemus, sive non est scriptus, sive perditus, nescimus. „Hoc addo, ait Daehnius, me non credere, eum cosmogoniae principio ex Plotini mente usum esse“[2]). Et recte quidem hoc addit. Similitudinem autem illam, qua etiam Clementi omnia pendeant ex κοσμογονίᾳ, non satis probat. Verba enim, quibus eam vult describi, haec sunt: „Illa igitur gnosticae traditionis scientia secundum veritatis regulam, qua eius naturam cognoscimus, vel adspicimus potius[3]), ex doctrina περὶ κοσμογονίας initium facit, ascendens ad τὸ θεολογικὸν εἶδος“[4]). Hinc ergo quid sequitur? Nihil profecto aliud, quam Clementem eam velle rerum consequentiam tenere atque ordinem, quem divina conservavit revelatio, ea divinitus communicatio, quae minime consistit in interna visione quadam et quasi adspectu mystico, sed venit per Prophetas praedicatione externa et verbo. Ut scripturae s. s. initium faciunt a mundi creatione, sic Clemens gnosticam traditionem inchoare vult ad perfectam dei cognitionem ascensurus. Vocem autem: ἤρτηται hoc loco nihil aliud declarare potest, nisi: initium facit, et hoc quidem initium idem esse, quod modo indicavi, probant verba sequentia, quae ad verba illa: ἐκ τοῦ περὶ κοσμογονίας ἤρτηται λόγου, explicanda aperte sunt addita.

---

1) l. l. p. 76—78.

2) l. l. p. 78.

3) *φυσιολογία* hoc loco, ut alibi, rei naturae cognitionem significat, i. e. qualis sit gnosticae traditionis natura atque essentia, aperit.

4) Strom. IV. p. 564: *Ἡ γοῦν κατὰ τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα γνωστικῆς παραδόσεως φυσιολογία, μᾶλλον δὲ ἐποπτεία, ἐκ τοῦ περὶ κοσμογονίας ἤρτηται λόγου· ἐνθένδε ἀναβαίνουσα ἐπὶ τὸ θεολογικὸν εἶδος.*

Pergit enim Clemens ita: Unde apte principium traditionis a generatione per Prophetas descripta faciemus[1]). In quibus illud ἤρτηται explicatur verbis: τὴν ἀρχὴν ποιησόμεθα. Pendent igitur Clementi omnia ex principio revelationis supernaturalis, quam vocamus; itaque etiam initium sumit inde, unde haec ipsa orditur. Qua ratione fit, ut a κοσμογονίᾳ ascendat ad τὸ θεολογικὸν εἶδος. At vero Plotini ratio prorsus est contraria. Nam ponit quidem initium hic quoque a κοσμογονίᾳ: quid autem aliud haec κοσμογονία quam θεογονία? Nam mundus gignitur ex eius opinione, quod τὸ ἓν propter immensam suam potestatem[2]) non potest se continere; quapropter se extendit, quemadmodum φῶς περιλάμπει. Mundi generatio Plotino videtur dei extensio, et mundus deus, ut ita dicam, extensus. Proprie igitur et principio pendent ei omnia ex deo potestatis suae incontinentia laborante. Quae quum ita sint, illa principiorum Clementis et Plotini comparatio nescio an haud facile possit defendi.

Iam vero ipsarum philosophandi rationum comparationem examinemus. Sed prius animadvertas velim, eam mihi viam non probari, qua Daehnius „praemittit Plotinum, quod quae dicat accuratius et distinctius dicat, quam Clemens, quem, quo Plotinum magis perspectum habeas, eo melius intellecturus sis.“ Nam hoc nomine Clementi omnia interponere poteris. Dices: Clemens obscure disputat hoc loco, Plotinus accuratius et distinctius, et ecce! nemo te unquam poterit refutare vel convincere. Sed rem aggrediamur. Ac primum quidem Daehnius, quid Plotinus docuerit de rerum omnium principio, exponit. De hoc igitur, nullius rei ne sui quidem quodammodo ipsius indigente, ex Plotini sententia neque quidquam potest cognosci neque ullo nomine definiri quidquam; sed est τὸ ἕν, ἓν μόνον, αὐτὸ ἕν[3]). Antequam autem Clementis doctrina comparatur, hic rursus, quod propter inferius Plotiniano ingenium philosophum minus diligenter ac distincte loquatur, accusatur. At enimvero habeo equidem aliam causam, cur haud prorsus Clementis doctrina in Plotini placita quadret, in eo scilicet positam, quod ille tradit dogmata christiana, hic autem philosopha non philosopha. Nam quae Clemens docet de dei unitate atque indigentiae vacuitate, ea non solum

---

1) Ibid: ὅθεν εἰκότως τὴν ἀρχὴν τῆς παραδόσεως ἀπὸ τῆς προφητευθείσης ποιησόμεθα γενέσεως. Et gnosticam quidem traditionem per Prophetas ad nos pervenire saepius dicit. cf. Strom. VI. p. 771.

2) Plotin. Enn. V. 3. 16.

3) l. l. p. 79—83.

in novo Testamento, verum etiam in veteri ubique occurrunt, ut cum ipso iam fiant Neoplatonici et Prophetae et Apostoli. Tum vero de dei unitate atque indigentiae vacuitate quomodo Clemens minus diligenter ac distincte loquatur, me prorsus non percipere, ingenue fateor. Verba a Daehnio ipso usurpata transscribam. Clemens igitur „summum deum ἀτέχνως ἓν εἶναι“ docet[1]), quo quid, quaeso, distinctius? Attamen id auctori non sufficit. Quare dicit alio loco deum non solum unum esse, sed supra unum et supra ipsam μονάδα[2]). Quid distinctius? Similiter illud: ἀνενδεὲς, vel ἀπαθὲς τὸ θεῖον, satis distincte dictum est[3]). Sed quod attinet ad rem, Daehnius, deum nullius rei indigere in communi infuisse Christianorum fide concedit; at „inde (contendit) non explicari, cur deus prorsus unum apellari debeat et cur hoc potissimum urgeatur. Quod, inquit, si quid video, tunc demum ita patebit, ut non amplius sit, quod quaeras, ubi eorum memor es, quae de Neoplatonismo exposuimus[4]).“ Haud dubie vidit nihil. Nam fides Christianorum communis non minus, deum prorsus unum et esse et appellari debere, confitetur, unum quoad essentiam, ad quam τὸ ἓν semper referendum. Deinde autem „cur hoc potissimum urgeatur“ a Clemente ad explicandum nihil hoc facilius, quum hic fortis christianae doctrinae defensor inde ab initio Protreptici ad libri Strom. VII finem, quavis data opportunitate, multos gentium deos esse falsos et fictos, unum contra verum deum ac vivum, omnibus hominibus probare studeat. Verumenimvero quod hic rei caput est, de „mysticismo“ illo usque ad hunc quidem locum neque in Plotini neque in Clementis argumentatione, quidquam videris. Ratiocinatur uterque et concludit.

Pergit autem Daehnius, etiam secundum Clementem deum non posse neque demonstrari (ἀναπόδεικτον) neque sciri (οὐκ ἐπιστημονικὸν) neque nomine suo appellari (ἀνωνόμαστον) probare[5]). Et haec quidem, ne multus fiam, sine longa expositione vera esse concedo. At num ideo Clemens Neoplatonicus? Sed eadem dogmata non indicant eandem philosophandi rationem. Aliud igitur quaeram: num ex placitorum similitudine colligitur, Clementem e posteriore Plotino sua mutuatum esse, anne contrarium? Nam de „artiore illo vinculo,

---

1) Strom. IV. p. 635.
2) Paed. I. p. 140: ἓν δὲ ὁ θεὸς καὶ ἐπέκεινα τοῦ ἑνὸς καὶ ὑπὲρ αὐτὴν μονάδα.
3) Strom. II. p. 471.
4) l. l. p. 84—85.
5) l. l. p. 85—89.

quo Ammonius cum Clemente societur"[1]) coniici potest, nihil vero sciri. Sed quid repeto altius? Daehnius in nota 115 ipse, in Philone haec omnia iam reperiri, largitur. Quod autem ad argumenta attinet, quibus eisdem ad dogmata illa probanda et Clemens et antea Neoplatonici usi sint, haec eadem esse non demonstravit. Consentiunt quidem nonnulla ex parte, quatenus et in rei indole et in logicae legum natura consensionem habeant oportet. Ceterum haec omnia, ut hoc iterum dicam, a neutro cognita sunt interna visione, sed ratiocinatione. Plotinus etiam Philonem saltem adamasse videtur externum adiutorem, Clemens autem et Philonem et Prophetas. Tantum autem philosophati sine „mysticismo," quali philosophandi ratione usi sunt? In hoc quaestionis propositae cardo vertitur, quem, quomodo vertatur, non ostendit Daehnius. Quinetiam ad altiora dogmata respiciens, haec nobis disertis verbis fatetur: „Sed iam ab illis (Neoplatonicis) recedit (Clemens), ubi de eo agitur, quomodo tandem interiorem dei per se prorsus incogniti, cognitionem adeptus sit[2])." Ergo Clemens non est Neoplatonicus, siquidem rationis inter rem cognoscendam et humanum cognoscendi modum statutae differentia differunt philosophi. At vero: „Assentitur quidem (Clemens Neoplatonicis), ait Daehnius porro, in eo ipso, quod ultimum vitae nostrae finem interiorem dei cognitionem appellat[3]), quin imo intimam cum eo consociationem; porro cum illis censet, demonstrari posse, qua ratione homini ad eam pervenire liceat (quod est caput mysticismi philosophici): ubi vero de ratione ipsa, qua id fieri possit, dicit: Christianus Neoplatonicum relinquit (cur non ita: Neoplatonicus Christianum relinquit?), tamen non ita, ut non in singulis et gravissimis ad eum revertatur"[4]). Sed placita neque consociant inter se philosophos neque distinguunt. Deinde autem si hoc „mysticismi philosophici caput" est, ut, „demonstrari posse," concedatur, „qua ratione (i. e. rationem esse, qua) homini ad interiorem dei cognitionem pervenire liceat," caput eius haud magni est pretii, quippe cuius essentia cernatur in sola concessione quadam vel opinione, quae certe sexcenta alia potius discernet, quam philosophum a philosopho. Sed illa ipsa

---

[1]) l. l. p. 17.
[2]) l. l. p. 88.
[3]) Assentitur etiam Christus: „Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum deum verum, et quem misisti, Iesum Christum." Io. XVII. 3.
[4]) l. l. p. 88—89.

cognoscendi ratio discernenda est principio. Quae quum ita sint, Daehnius ipse, Clementem esse Neoplatonicum, desperat. Iam vero demonstrat quoque deinceps, eum a Plotino separatum esse toto coelo. Nam haec est Plotini placitum: sumus divinae essentiae participes, — anima enim humana μέρος τοῦ θεοῦ, —: ergo in nobismetipsis deum incognitum cognoscimus. „Non alieno lumine deum intuemur, sed hoc ipsum, quo eum cognoscimus, est illud, quod nobis cognoscendum est[1]).“ Contraque ita se habet dogma Clementis, qui essentia hominem a deo differe disertissime identidem affirmat. Daehnii autem verbis utar. „Et ipsi quoque, inquit, Clementi demonstrandum fuit, qui fieri possit, ut interiore dei cognitione glorietur, quem alias prorsus incognitum professus fuit. Ad aliud igitur provocavit, quod ipsi, quippe Christiano, sane proximum fuit: contendit Christum, in quo omnes thesauri sapientiae reconditi (cf. Strom. V. p. 586), qui vel ipsa sapientia sit (cf. Strom. IV. p. 537 — citat Daehnius ed. Sylburg. — ὁ δὲ υἱὸς σοφία τέ ἐστι καὶ ἐπιστήμη καὶ ἀλήθεια καὶ ὅσα ἄλλα τούτῳ συγγενῆ), neque quidquam vel ipsum latuisse, vel quomodo hominibus apte traderet ignorasse, eumque certe iis, qui vere Christiani sint, sive γνωστικοῖς omnia revelasse, etiam ea, quae homo per se cognoscere prorsus non valet. Cum Clemens hunc in modum fidem Christianam cum philosophia sua consociaret, haec accuratius consideranda sunt“[2]). Tria hic habeo, quae moneam: Primum: Daehnius, Clementem revera non esse Neoplatonicum, ut qui prorsus aliam cognoscendi rationem statuat, his ipsis demonstravit. Alterum: de consociatione illa fidei christianae cum philosophia Neoplatonica tum demum sermo esse poterit, quum placitum illud, quo deum quoad essentiam, — nam de hac sola agitur, — ab humana natura nuda cognosci non posse censent, Neoplatonicorum proprium ac privatum esse, probatum fuerit. Sed hoc Philonis est, hoc s. s. est scripturarum. Nonne enim scriptum est: Deum nemo vidit unquam?[3]) Et statim additur: Unigenitus filius (vidit), qui est in sinu Patris, ipse ennarravit. En habes dogma utrumque, et aptissime quidem copulatum sine philosophia Neoplatonica. Verba hic non diiudicentur, sed res ipsae. Quaecunque enim

---

[1]) l. l. p. 89.

[2]) l. l. p. 94—95.

[3]) Evang. sec. Ioann. I. 18. cf. Matth. XI. 27: „Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.“

dogmata a mente humana recipiuntur, quamvis probe ac sincere quam maxime recepta, accipiunt tamen aliquam huius formam. Tertium: reliqua est demonstratio, quomodo, sive qua ratione homo ex Clementis sententia omnia a Christo revelata recipiat, i. e. reliquum est, ut qualis Clemens fuerit philosophus christianus, vel theologus, demonstretur. Iam enim theologiam hoc loco attigimus. Quibus omnibus ita comparatis, apparet, a Daehnio nihil certi ac definiti de Clementis philosophandi via et ratione stabilitum esse, multo autem minus, Cementem esse Neoplatonicum, probatum, quinimo contrarium. Quae autem deinceps de singulis placitis Clementis, quomodo e Potini Enneadibus possint explicari, disserit, ea huc non pertinent. Haec igitur hactenus. Nam, ut ipsi rem promissam aggrediamur, nunc restat.

§ 3.

Clementem omnino cognosci posse ab homine docere.

Clementem igitur omnino cognosci posse ab homine docere, e quavis librorum eius pagina haud difficile discitur; quinetiam ipsi libri sunt demonstratio quaedam huius doctrinae, quos certe non scripsisset, nisi aliquid ex eis ab hominibus posse cognosci, quinimo nisi a semetipso aliquid cognitum esse, arbitratus esset. Idem vero ex omnibus eis locis colligitur, ubi gentes hortatur, ut, abiectis erroribus, cognoscere studeant veritatem, vel ubi christianos vult eniti, ut penitus intelligant divina. Idem etiam docet omnibus philosophandum esse dicens, ut unusquisque homo discat sive litteris, sive auditu[1]). Idem porro diserte profitetur, quum, sitne demonstratio, qua certo cognoscamus, quaerens, esse demonstrationem inter omnes, qui sensus non tollant, constare, respondeat[2]). Ipsum autem sensus non tollere et esse demonstrationem concedere, probant ea, quae loco illo statim concluduntur. „Quum autem sit, inquit, demonstratio, descendamus oportet ad quaestiones etc.“ Cognosci posse ab hominibus in universum docet etiam fragmentum l. VIII., quod quomodo recte demonstretur, ut πίστις ἐπιστημονικὴ nascatur, ostendit. Maxime autem et disertissime illud docet eo loco, quo τὴν ἐποχὴν Pyrrhonis, famosam illam, refutat, idque praeclare. In qua refutatione etiam operae pretium est, ingenii acumen, subtilitatem, brevitatem admirari. Concludit autem, „posse verum cognosci[3]).“ Quod quamquam non nude docet, sed dicit

1) Paed. III. p. 299.
2) Strom. VII. p. 888: *οἶμαι πάντας ἂν ὁμολογήσειν (εἶναι ἀπόδειξιν).*
3) l. c. VIII. p. 923—924: *εἶναι τὸ ἀληθὲς γνώριμον.*

solum, sequi id ex ipsa opinione Pyrrhonis explosa, tamen idem prorsus ab ipso probari, propter sententiarum coniunctionem concedendem est.

Quae quum ita sint, iam cognoscendi viam, qualis a Clemente recta habeatur, indagemus. Sed pro arte et instituto nostro in § 1 h. c. exposito aliud prius inquirendum est. Nam cognoscendi via, nisi explorate percepta causa cognoscente sive cognoscendi principio, quod vocamus, nequaquam invenitur. Atqui cognoscendi principium ex tota hominis indole et natura explicandum. Itaque ab hominis natura ex Clementis sententia ordiamur describenda.

§ 4.
De hominis natura.

Hominis igitur naturam Clemens docet esse duplicem: unam rationis participem, expertem alteram. Homo, inquit, ex parte rationis participe constat et altera experte, anima[1]) et corpore[2]). Ubicunque Clemens totum hominem brevi definitione complecti vult, animam et corpus eum esse dicit. Veluti quum parvum mundum eum appellet, hunc explicaturus addit: animam et corpus[3]). Haec autem artissimo inter se iuncta sunt vinculo, ut ex hisce duabus partibus una eademque fiat natura humana. Itaque alicubi tria in homine esse affirmans, iram, cupiditatem (quae ad corpus pertinent, ut infra demonstrabimus), rationem (animam): si ratio imperet irae et cupiditati, haec tria omnia simul idem fieri docet, hominem gnosticum[4]). Pendet autem coniunctio animae et corporis omnino ex virtute; nam peccati fructus est mors, i. e. perfecta corporis ab anima separatio[5]). Et huiusmodi quidem consociatio atque adeo copulatio fieri potest, quia corpus et anima sunt quidem differentia (διάφορα), at vero minime contraria (ἐναντία)[6]). Est quidem differentia quaedam

---

[1]) Hac voce reddam ubique Graecum vocabulum *ψυχῆς*, cuius variam vim ac significationem mox exponam.

[2]) Strom. IV. p. 567: *Ἐκ λογικοῦ καὶ ἀλόγου συγκείμενος (ἄνθρωπος), ψυχῆς καὶ σώματος.*

[3]) Protr. p. 5: *σμικρὸν κόσμον τὸν ἄνθρωπον, ψυχήν τε καὶ σῶμα αὐτοῦ.*

[4]) Strom. III. p. 542.

[5]) l. c. p. 569: *ὁ τοῦ σώματος ἀπὸ τῆς ψυχῆς χωρισμὸς*, sive: *διάλυσις τῶν πρὸς τὸ σῶμα τῆς ψυχῆς δεσμῶν.*

[6]) l. c. p. 639: *Ἐχρῆν δὴ οὖν τὴν σύνθεσιν τοῦ ἀνθρώπου ἐν αἰσθητοῖς γενομένην ἐκ διαφόρων συνεστάναι, ἀλλ' οὐκ ἐξ ἐναντίων, σώματός τε καὶ ψυχῆς.*

inter ipsa, quae spectat ad essentiam, ita ut alterum alteri opponi possit tanquam imperans obedienti; quinetiam ita, ut „sapientis et gnostici anima, velut in corpore peregrinans, hoc severe et austere utatur, non nimiam in ipsum affectionem ostendens vel indulgentiam: ut quae statim, si migrandi tempus eam vocaverit, relictura sit tabernaculum: Advena, inquit, sum in terra et peregrina sum ego vobiscum.“ Atque haec differentia tam magna est, ut Basilides hanc admiratus in eum errorem inductus sit, ut animam essentia esse supra hunc mundum opinetur. „Hoc autem non ita se habet; unius enim omnia sunt dei, neque erit quisquam natura, i. e. essentia mundi hospes, quum sit una quidem essentia (quod ad rei creatae conditionem attinet), unus vero deus.“ Quamvis autem anima non sit divinae essentiae, attamen tantum essentia sua differt a corpore, ut hoc, sicut homo peregrinans deversoriis in via, ita utatur[1]). At vero hac similitudine arta illa copulatio tolli videtur. Sed hoc nunquam concedet Clemens, quinimo hominem ut hominem ex utraque constare semper tenet habetque persuasum. Quapropter etiam corpus et animam tanquam unum totum quoddam copulans appellat humanitatem (ἀνθρωπότητα), i. e. humanam naturam[2]). Atque haec ipsa ἀνθρωπότης in omnibus hominibus singulis inest eadem.

Et corpus quidem in omnibus natura sua idem esse, demonstrare ex Clementis sententia supervacaneum duco, ut quod nemo unquam sanae mentis in dubium revocaverit. De animis autem haec dicit. „Ipsae enim per se pares sunt animae; animae neutrae nec masculae nec feminae[3]).“ Haec sunt manifesta. Alio autem loco non minus aperte docet: „Constat inter nos, eandem in unoquoque genere naturam eandem etiam habere virtutem. Atqui non aliam, quod attinet ad τὴν ἀνθρωπότητα, naturam habere videtur mulier, aliam autem vir; atenimvero eandem: ergo etiam virtutem[4]).“

Quibus ita comparatis, ut penitus cognoscamus naturam, quae

[1]) Haec omnia eadem continentur pagina.

[2]) Paed. l. I. p. 101: *Παιδαγωγὸς, ἡ σοφία, ὁ Λόγος τοῦ Πατρὸς ὁ δημιουργήσας τὸν ἄνθρωπον, ὅλου κήδεται τοῦ πλάσματος· καὶ σῶμα καὶ ψυχὴν ἀκεῖται αὐτοῦ ὁ παναρκὴς τῆς ἀνθρωπότητος ἰατρὸς, ὁ Σωτήρ.*

[3]) Strom. VI. p. 790: *Αὐταὶ γὰρ καθ' αὑτὰς ἐπ' ἴσης εἰσὶ ψυχαί· αἱ ψυχαὶ οὐθέτεραι οὔτε ἄῤῥενες, οὔτε θήλειαι.*

[4]) l. c. p. 590: *ὡμολόγηται δ'ἡμῖν τὴν αὐτὴν φύσιν κατὰ γένος ἕκαστον τὴν αὐτὴν καὶ ἴσχειν ἀρετήν. οὐκ ἄλλην τοίνυν πρὸς τὴν ἀνθρωπότητα φύσιν ἔχειν ἡ γυνὴ, ἄλλην δὲ ὁ ἀνὴρ φαίνεται, ἀλλ' ἢ τὴν αὐτήν. ὥστε καὶ τὴν ἀρετήν.*

est omnium hominum communis, utramque partem per se examinemus oportet. Sunt autem Graeca verba, quae vocibus animae et corporis latine reddo, ψυχὴ et σῶμα. Quid est igitur ψυχὴ, quid σῶμα? Quum autem, „meliorem hominis partem esse animam, corpus vero deteriorem, inter omnes constet:[1]" prius, quid ex Clementis doctrina melior illa pars sit, quaeramus, ut meliore cognita, deterior huius luce illustrata facilius intelligatur, quid sit, quid sibi velit. ἡ ψυχὴ igitur, quid est?

Ἡ ψυχὴ consistit in hisce tribus: ratione, ira, cupiditate[2]); i. e. anima ratiocinatur (λογίζεται), irascitur (θυμοῦται), concupiscit (ἐπιθυμεῖ). Sed huius loci Nourrium audiamus interpretem. „Neque dixeris, inquit, velim, eum (Clementem) docere triplicem[3]) esse hominis animam: τριγενοῦς οὖν ὑπαρχούσης τῆς ψυχῆς. Ea quippe loquendi ratione tres tantum denotat animae facultates, illasque sic distinguit: prima est, τὸ νοερὸν, ὁ δὲ λογιστικὸν καλεῖται· Intelligentia, quae ratiocinandi facultas appellatur. Haec autem est, inquit, interior homo, quae exteriori imperat, et ipse a deo agitur. Secunda est: τὸ θυμικὸν θηριῶδες ὂν, πλησίον μανίας οἰκεῖ. Illa pars, quam irae tribuunt, quae est iracunda, haud ita procul a furore habitat. Tertia denique πολύμορφον δὲ τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ τριτὸν, ὑπὲρ τὸν Πρωτέα τὸν θαλάττιον δαίμονα ποικίλον· In varias autem formas se mutans tertia est cupiditas, quae plus, quam Proteus marinus, daemon varius', etc. Ex his autem liquet Clementi triplicem animam nihil esse aliud, quam unam eandemque animam spiritualem et rationalem, triplici facultate, seu, ut loquuntur philosophi ac theologi, tribus potentiis praeditam[4])." Et haec quidem Nourrius. Hoc igitur, Clementem neque illo loco neque alio animam rationalem ex tribus proprie separatis sed in ipsa coniunctis partibus compositam esse docere, libenter ei largior; at vero animae rationali iram et cupiditatem tanquam proprias facultates sive potentias, illud ego nunquam. Walchius autem, „quo sensu effatum eius (Clementis) de triplici

[1]) l. c. p. 639: *κρεῖττον μὲν τοῦ ἀνθρώπου ὡμολόγηται ἡ ψυχὴ, ἧττον δὲ τὸ σῶμα.*

[2]) Paed. III. p. 250: *Τριγενοῦς οὖν ὑπαρχούσης τῆς ψυχῆς, τὸ νοερὸν, ὁ δὴ λογιστικὸν καλεῖται, ὁ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ἔνδον, ὁ τοῦ φαινομένου τοῦδε ἄρχων ἀνθρώπου· αὐτὸν δὲ ἐκεῖνον ἄλλως ἄγει ὁ θεός. τὸ δὲ θυμικὸν, θηριῶδες ὂν πλησίον μανίας οἰκεῖ. πολύμορφον δὲ τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ τρίτον.*

[3]) Negat tres animae separatas partes a Clemente doceri.

[4]) App. p. 711.

anima sit intelligendum, vix intelligi posse“ censet[1]). Cui respondeo: Tibi ne vix quidem, nobis haud difficile. Locus enim ipse se interpretatur. Ex Nourrio autem haec tantum quaero: an τὸ θυμικὸν λογικόν? Nam anima rationalis tota ratio et nihil in ea rationi non conveniens. At vero θηριῶδες potius τὸ θυμικόν[2]). An τὸ ἐπιθυμητικὸν λογικόν? Nihil cupiditate minus λογικόν[3]). Rationali igitur animae, τῷ λογικῷ, utrumque abiudicandum, et τὸ θυμικὸν et τὸ ἐπιθυμητικόν. Attamen modo utrumque animae τῇ ψυχῇ, a Clemente disertis verbis tribui vidimus. Quid ergo? An differe inter se animam et λογικὸν dicamus maxima differentia? Et tamen anima nihil nisi ipsum λογικὸν[4]). Una ergo voce in duas sententias ducimur contrarias. Quod quomodo se habeat, ut comprehendamus, primum τὸ λογικὸν, quid sit, enucleemus. Quum enim multis locis, quibus Cementis de hominis natura sententiam aperte dici perspicuum est, ψυχὴ prorsus idem significet ac λογικὸν, certe eis ipsis locis ψυχὴ τῷ λογικῷ poterit explicari, et omnino quatenus anima et ratio idem declarant, unius significatione reperta, alterum quid sit, non minus erit in promptu.

Ratio igitur (τὸ λογικὸν sive λογιστικὸν), qua ratiocinamur (διαλογιζόμεθα), est principatus (τὸ ἡγεμονικὸν) in homine[5]). Quamobrem seiungenda est prorsus ab ira et cupiditate, quae semper oportet principatui obediant[6]). Rationis autem, qna ratiocinamur, una vis est cognoscendi (τοῦ γνωρίζειν sensu proprio). Est enim cognitio (γνῶσις proprie dicta, i. e. hoc loco: cognoscendi initium sive, ut nos dicere solemus, principium), qua solae potentiae rationales cognoscendi principia evadent[7]). Et si quidem Clemens τὸ λογικὸν nuncupat τὸ λογιστικὸν, ad hanc potissimum ratiocinandi vim, qua cognoscimus, respicit[8]). Haec autem cognoscendi facultas τοῦ λογικοῦ tam propria est, ut hoc ea agente quasi alitur. Qnamobrem cognitio coelestis illa, de qua infra disseremus uberius, a Clemente vocatur cibus rationalis. Sed habet etiam ratio illa, quae est principatus in homine, alteram vim, vim quidem eligendi[9]).

---

1) Miscell. s. p. 555.
2) Paed. III. p. 250.
3) Ibid. p. 250—251.
4) Strom. IV. p. 567. alibi.
5) l. c. VI. p. 808. Saepenumero.
6) Ibid. cf. l. III. p. 542. Paed. III. p. 250—251.
7) l c. VI. p. 737. Hunc locum infra accurate explicare conabimur.
8) Paed. III. p. 250. Strom. VI. p. 808; alias.
9) Ibid. p. 808: *τὴν προαιρετικὴν δὲ τὸ ἡγεμονικὸν ἔχει δύναμιν.*

Atqui ubicunque τὸ ἄλογον nuncupatur σῶμα, τὸ λογικὸν appellari solet a Clemente ψυχή. Ergo animam corpori oppositam apud Clementem eam hominis partem esse largiendum est, quae et cognoscendi et eligendi facultate viget. Et sane anima non minus quam τὸ λογικὸν saepenumero dicitur cogitare, ratiocinari[1]); et similiter libere eligendi facultas ei tribuitur; velle est enim proprium animae munus[2]). Quid igitur? Num anima ea vi, qua sit potentia quaedam sive substantia cognoscens atque eligens, quadrat in eum locum, quo triplici modo agens inducitur, ratiocinans, irascens, concupiscens? Minime ita. Nam haec quidem ab ira et cupiditate plane abhorret. Sed ψυχῆς vocem apud Clementem non semper idem valere, fateri iam non est cunctandum.

Est enim quoque anima quaedam, ψυχή, quae concupiscit, id quod non illo tantum loco, quo de agimus, docetur, verum etiam alibi[3]); itemque saepe de anima sermo est, quae irascitur[4]). Haec igitur anima irascens et concupiscens a priore, quae cognoscit et eligit, separanda est sine dubio. Quam autem vim ei huiuscemodi locis tribuamus? Est nulla alia, nisi vis corporis vitalis, sive ipsum corpus vivum, ψυχὴ σωματική[5]). Nam partem etiam rationis expertem, quae et ipsa haud minus quam principalis illa pars ad humanae naturae essentiam pertinet, dicimus ἐψυχῶσθαι[6]). Nam caro est, quae concupiscit, spiritus carnis vitalis[7]). Per spiritum corporeum, i. e. per vim corporis vitalem, per animam eius sentit homo, concupiscit, voluptate afficitur, irascitur, nutritur, augetur[8]). At vero quamvis haec corporis anima concupiscat et irascatur, nunquam tamen raciocinantem se praebebit. Ergo ne haec quidem loco illo, unde ad humanam naturam accuratius explicandam orsi sumus, intelligi potest.

Restare igitur videtur, ut Clementem Platonis illud de triplici anima placitum pervulgatum retulisse tantum, suae quidem subtilis essentiarum separationis oblitum, coniiciamus. Sed si hoc conie-

---

1) Paed. II. p. 219.
2) Strom. II. p. 443: *ἔργον δὲ τὸ μὲν βούλεσθαι ψυχῆς.* cf. II. p. 368.
3) l. c. III. p. 538. VI. p. 808.
4) l. c. et Paed. III. p. 250.
5) Strom. VII. p. 880.
6) l. c. VI. p. 808.
7) Ibid.: *ἡ σὰρξ ἐπιθυμεῖ, τὸ πνεῦμα τὸ σαρκικόν.*
8) Ibid.: *διὰ τοῦ σωματικοῦ ἄρα πνεύματος αἰσθάνεται ὁ ἄνθρωπος, ἐπιθυμεῖ, ἥδεται, ὀργίζεται, τρέφεται, αὔξεται.*

cerimus, ex duobus malis alterutrum nobis accidet: aut Clementi imprudentiam haud parvam supponere cogemur, aut cum Walchio, quomodo totus locus intelligendus sit, nesciemus. Non nego quidem verba ipsa a Platone esse sumpta, sed verborum sensus discrimine illo, quod in Evangelio est inter ψυχὴν λογικὴν et σωματικὴν, multa ex parte mutatus est. Ratio, ira, cupiditas, quae tantum differunt inter se, iam non potuerunt a christiano homine uni eidemque tribui essentiae. Quamquam ne Plato quidem neque animam quandam a corpore plane segregatam neque animam prorsus corpoream ita diviserit. Sed quae Plato non distincte seiunxit, ea Clemens accuratissime seiuncta recte distribuit. Namque τὸ μὲν λογικὸν (vim cognoscendi et libere eligendi) animae rationali, τῇ ψυχῇ τῇ λογικῇ, tribuit, τὸ δὲ θυμικόν τε καὶ τὸ ἐπιθυμητικὸν animae carnali sive corporeae, τῇ σαρκικῇ sive σωματικῇ [1]). Itaque re certe Clemens distinxit accuratissime; sed vocabulis non utitur stabili modo et constanti. Iam vidimus enim vocem ψυχῆς eum usurpare vi duplici; nam modo ψυχὴ significat apud eum ipsam mentem, modo vim corporis vitalem. Quamquam haec res prudenti lectori non fiet impedimento. Etenim si mentem significet, vox ψυχῆς aut opponitur σώματι, aut ei attributum est λογικῇ, aut dicitur διαλογίζεσθαι vel βούλεσθαι, nunquam vero ἐπιθυμεῖν vel ὀργίζεσθαι; contraque si vim corporis vitalem declaret, neque σώματι opponitur, neque vel διαλογίζεσθαι vel βούλεσθαι dicitur, sed ψυχὴ σωματικὴ sive σαρκικὴ appellatur, quae irascitur et concupiscit.

Iam vero, ut quaestionem statim solvam, est etiam tertia vocis ψυχῆς significatio apud Clementem, quae totum hominem complectitur, vim et mentis et corporis vitalem coniunctam, id quod eo minus miramur, quo saepius auctor utramque separatam eadem nominet voce. Sed brevi hoc demonstrabo. Ubi Clemens a Stoicis deum essentia constare ex corpore et spiritu doceri refert, ipse diserte addit: sicut utique anima (constat κατ' οὐσίαν ex corpore et spiritu [2]). Quod autem τὸ λογικὸν hoc loco, quum voce ψυχῆς totam voluerit significare humanam naturam, appellat πνεῦμα, hoc partim ex Stoicorum verbis repetitis explicatur, partim nihil est singulare vel novum. Occurrit enim saepenumero; quinetiam anima corporea

---

[1]) Strom. V. p. 678 aperte dicit, partem hominis rationis expertem bipartito dividi, in iram et cupiditatem, *εἰς θυμὸν καὶ ἐπιθυμίαν.* cf. III. p. 542.

[2]) Ibid. p. 699: *φασὶ γὰρ σῶμα εἶναι τὸν θεὸν οἱ Στωϊκοί, καὶ πνεῦμα κατ' οὐσίαν, ὥσπερ ἀμέλει καὶ τὴν ψυχήν.* Illud *ἀμέλει* indicat, hanc comparationem esse ex Clementis sententia.

πνεῦμα vocatur, πνεῦμα σωματικὸν, σαρκικόν [1]). Loquitur porro alias Clemens de ea parte animae, quae sit rationis expers [2]); est igitur pars quoque eiusdem animae, quae rationis est particeps, unde vocem ψυχῆς etiam hic totum hominem comprehendere apparet.

Quae quum ita sint, videamus, utrum haec tertia vocis ψυχῆς significatio in locum illum quadret, an haec etiam minus. Verumenimvero non solum eam quadrare probabimus, sed etiam ex ipsius loci indole eandem apertissime enucleabimus. Et primum quidem τὸ λογιστικὸν, sive νοερὸν, sive λογικὸν homo est, ait Clemens, interior, qui huiusce, quem cernimus, hominis imperium tenet [3]). Neque igitur τὸ λογιστικὸν facultas quaedam animi est, ut Nourrius opinatur, neque, id quod Walchius fatetur, intelligentiam nostram et notionem fugit, quid sit. Est enim homo interior, animus ipse, qui vi cognoscendi praeditus et eligendi imperat homini exteriori, huicce, quod cernimus, corpori [4]). Hoc ipsum deinde corpus esse eo loco, quem modo interpretamur, iram et cupiditatem, τὸ θυμικόν τε καὶ ἐπιθυμητικὸν, vel inde sequitur, quod utrumque τῷ λογικῷ, homini interiori, opponitur his verbis: hicce homo apparens. Tum vero diserte etiam vocatur homo exterior [5]), et τὸ σαρκικόν. Accedit etiam, quod τὸ θυμικὸν dicitur θηριῶδες, cupiditas autem omni modo enititur, ut occultet hominem, interiorem illum, qui eius imperium tenere debet. Quibus de causis nihil est, cur dubitemus, quin hic totius humanae naturae, et animi et corporis descriptionem habeamus.

Itaque hoc iam constabit inter nos: hominem esse σύστασιν [6]), sive σύνθεσιν [7]) ex animo [8]) et corpore, duabus quidem essentiis,

---

[1]) Strom. VI. p. 808.

[2]) l. c. VII. p. 849: ἄλογος μέρος τῆς ψυχῆς.

[3]) l. s. c.: τὸ νοερὸν, ὃ δὴ λογιστικὸν καλεῖται, ὁ ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ἔνδον, ὁ τοῦ φαινομένου τοῦδε ἄρχων ἀνθρώπου.

[4]) Haec distionctio interioris et exterioris hominis Clementi est usitatissima. In Protr. p. 79 interiorem νοῦν appellat, cui opponitur: ἄνθρωπος ὁρώμενος, γηγενής. Porro quidem p. 89 sermo est de homine ἐγκεκρυμμένῳ ἔνδον. In Paed. autem l. II. p. 195 similiter homo interior distinguitur ab exteriore; itemque p. 219. Atque in Strom. III. p. 526 hunc usum ss. scripturis niti indicat. Ubique autem homo interior significat τὸ λογικὸν, exterior vero partem rationis expertem.

[5]) p. 251.

[6]) Strom. VI. p. 808.

[7]) l. c. IV. p. 639.

[8]) Iam liceat brevitatis causa τὴν ψυχὴν λογικὴν appellare animum.

non contrariis, sed quoad creationem unius conditionis, at vero differentibus multum. Quarum una, animus, tendit ad deum[1]). Est enim hic factus ad imaginem et similitudinem dei. Quare dignitas eius maxima. Quantum fieri potest in eo, quod creatum est, suo utitur iure. Itaque ea est eius natura, ut a seipso moveatur[2]). Et movetur quidem semper; eo potest venire, ut non agat corporis instar, sed ipse per se agat et cogitet[3]). Atque tanta est subtilitate et simplicitate, ut nullius materiae teneatur potestate et appelletur ἀσώματικος[4]). Tam magnus creatus est a deo, ut iam coram ipso deo sit per se amabilis. Quamobrem Filius dicit Patri: Dilexisti ipsos, quemadmodum me dilexisti[5]). Quare etiam animus actionum suarum rationem reddere debet, aut gaudium, aut supplicium aeternum accepturus, ut qui sit immortalis[6]). Huiusmodi autem essentia non generatur eodem modo, atque corpus, οὐ κατὰ τὴν τοῦ σπέρματος καταβολὴν, sed intromittitur in corpus extrinsecus, ut cum ea vi vitali, quae rationis est expers, unum constituat hominem[7]). A quonam intromittitur? Ab ipso deo; ψυχὴ ἡ λογικὴ desuper a deo in faciem inspirata est[8]). Unde etiam, cur animus principatus sit in homine, manifestum est[9]); qui est in corpore tanquam gubernator in navi[10]), cuius oculus est ratio, brachium libera voluntas. At vero corpus, altera illa essentia, terrenum est[11]), agens versatur in terra, tendit ad terram[12]). Neque sui iuris est neque propter semetipsum, sed animi ὄγρανον[13])

---

[1]) Ibid. p. 567: *τέταται δὲ ἡ ψυχὴ πρὸς τὸν θεόν.*

[2]) l. c. VI. p. 788: *αὔτη οὖν φύσις ψυχῆς ἐξ ἑαυτῆς ὁρμᾶν.* Animadvertas velim, quam Clemens, qualis sit oporteat essentia, cui libere eligendi vis tribui possit, penitus perspexerit. Atque pervidit etiam, ex libero hominis arbitrio et culpam pendere et meritum.

[3]) Paed. II. p. 219: *μὴ ἐνεργούσης ἔτι σωματικῶς τῆς ψυχῆς, ἀλλὰ καθ' αὐτὴν ἐννοουμένης.*

[4]) Strom. VI. p. 766—767.

[5]) Paed. I. p. 101—102: *δὶ αὐτὸν αἱρετὸν τῷ θεῷ.*

[6]) Strom. V. p. 701: *ἀθάνατος.*

[7]) l. c. VI. p. 808.

[8]) l. c. V. p. 703: *ψυχὴν δὲ τὴν λογικὴν ἄνωθεν ἐμπνευσθῆναι ὑπὸ τοῦ θεοῦ εἰς πρόσωπον (λέγει εἰκότως ὁ Μωϋσῆς).*

[9]) l. c. VI. p. 808 *τὸ ἡγεμονικόν.*

[10]) Paed. II. p. 183.

[11]) Protr. p. 79: *ἄνθρωπος ὁρώμενος, γηγενὴς,* i. e. *τὸ σῶμα.*

[12]) Strom. IV. p. 567: *ἀλλὰ τὸ μὲν σῶμα γῆν τε ἐργάζεται καὶ σπεύδει εἰς γῆν.*

[13]) l. c. VI. p. 825.

et natum propter animum[1]). Neque subtile est neque simplex, sed ut τὸ ὑποκείμενον principium sumit ἀπὸ τῶν παθητικῶν et nutritur et augetur[2]), donec morte solvatur ab animo et in terram revertatur (l. s. l.). Quamobrem neque veritatem cognoscit neque libere eligit bonum, sed sentit tantum, concupiscit, voluptate afficitur, irascitur (l. l.).

Atque hanc igitur hominis σύνθεσιν, humanam naturam ex duabus partibus iam non partibus constantem ubique defendit Clemens, id quod facillime, modo loquendi eius usum perspectum habeas, agnosces[3]). Summa autem huius § haec est. A Clemente duplicem tantum hominis naturam agnosci: unam principalem et imperantem, alteram subiectam et obedientem; deinde autem et hanc et illam, imo nonnunquam etiam totum hominem ab ipso appellari ψυχὴν, ita tamen, ut, ubicunque altior natura inferiori opponitur, prae hac: illa ψυχῆς nomine ornetur. Sed duas hasce hominis essentias modo vocat λογικὸν καὶ ἄλογον, modo ψυχὴν καὶ σῶμα, modo ἡγεμονικὸν καὶ ὑποκείμενον, ἄρχων καί ἀρχόμενον, etc.

Quodsi pergamus ad inquirendum, utrum Clemens homini ita nato vim attribuat cognoscendi, nec ne: quaestio iam talis sese offeret:

---

[1]) l. c. III. p. 557.... *ψυχῆς, δι' ἣν καὶ τὸ σῶμα.*

[2]) Strom. VI. p. 808.

[3]) Redepenning. (Origen. p. 216) a Clemente inter animum et corpus mediam esse animam (in der Mitte zwischen Geist und Körper stehe die Seele) doceri opinatur, quae non sit altior quaedam vis corporea, sed vincta vel frigida animi particula. Quod ut probet, p. 808 conferri iubet. Sed res digna erat, quae diligenter ac subtiliter explicaretur. Neque enim, quod ad me quidem attinet, pagina 808 eiusmodi quidquam aperte, ut nulla egeat interpretatione, docet. — Nec vero possum satis mirari, qua diligentia Guerikius (De schola Al. II. p. 139) Clementi triplicem hominis partitionem tribuat, cuius ipse partes singulis ex locis singulas colligit. „Hominem enim ex Clementis sententia tribus contineri partibus, corpore et duplici anima *λογικῇ* et *σωματικῇ*" contendens locos citat, quibus Clemens minime hominem partitur, sed aut de solo corpore ut homine exteriore, aut de anima *σωματικῇ*, i. e. de vi corporis vitali, aut de anima *λογικῇ* loquitur. At vero qui, quae libro Strom. VIII. de demonstrandi ratione continentur, recte perceperit, non profecto ita demonstrabit. Ceterum non vidit Guerikius, *σῶμα* et *ψυχὴν σωματικὴν* apud Clementem nihil differe. Quod autem hominem Clementi ex allegorica decalogi interpretatione etiam decem partibus contineri admonet, hoc ipse, si iterum legerit, non probabit. Nam ex eiusmodi partitione decima hominis pars fieret spiritus sanctus. Sed Clemens illam, non partitionem, similitudinem potius ita inchoat: *ἔστι δὲ καὶ δέκας τις περὶ τὸν ἄνθρωπον αὐτόν.* Quibus nihil minus comprehenditur, quam humanae naturae partitio. —

§. 5.
Utri hominis naturae Clemens cognoscendi vim tribuat.

Quid autem Clementi de cognoscendi vi visum fuerit, ut recte anquiramus, ordiamur ab hoc loco: „Dicitur autem alio modo (quam mystico, quo τὴν γνῶσιν dicit esse hortum spiritalem ipsumque Servatorem nostrum) etiam duplex cognitio: una quidem **communiter** dicta, quae in omnibus hominibus inest similiter, intelligentia et perceptio, quae ex notitia uniuscuiusque τῶν ὑποκειμένων vulgo apparet, cuius omnes potentiae, non solum quae participes sunt rationis, sed aeque etiam eae, quae eiusdem non sunt participes; et hanc quidem ego nunquam nominaverim cognitionem, ut cui sit ingeneratum a natura, ut sensibus percipiat. Altera autem, quae **praecipue** nominatur cognitio, a libero arbitrio et ratione χαρακτηρίζεται, qua solae potentiae λογικαὶ fient γνώσεις (i. e. potentiae cognoscentes), quae eis, quae comprehenduntur mente, secundum nudam animi actionem pure ac sincere animum adiiciunt[1].“ Quibus verbis quin utrique hominis naturae vis cogno-

---

[1]) Strom. VI. p. 737: *Λέγεται δὲ καὶ ἄλλως διττὴ ἡ γνῶσις· ἡ μὲν κοινῶς, ἡ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμοίως, σύνεσίς τε καὶ ἀντίληψις, κατὰ τὸ γνωρίζειν ἕκαστον τῶν ὑποκειμένων πανδήμως ἐμφαινομένη, ἧς οὐ μόνον αἱ λογικαὶ (δυνάμεις), ἀλλ' ἴσως καὶ αἱ ἄλογοι μεθέξουσιν· ἣν οὐκ ἄν ποτε ἔγωγε γνῶσιν τε ὀνομάσαιμι, καὶ τὴν δι' αἰσθητηρίων ἀντιλαμβάνεσθαι πεφυκυῖαν· ἡ δὲ ἐξαιρέτως ὀνομαζομένη γνῶσις, ἀπὸ τῆς γνώμης καὶ τοῦ λόγου χαρακτηρίζεται· καθ' ἣν μόναι αἱ λογικαὶ δυνάμεις γνώσεις γενήσονται, αἱ τοῖς νοητοῖς κατὰ ψιλὴν τὴν τῆς ψυχῆς ἐνέργειαν εἰλικρινῶς ἐπιβάλλουσαι.* Haec verba, quamquam per se quidem non obscura, tamen propter cogitationum subtilitatem multis dubitationes movisse videntur non parvas. Veluti totum illud enunciatum: *ἡ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμοίως σύνεσίς τε καὶ ἀντίληψις*, ad verbum neque interpreti latino neque Pottero placuisse videtur. Volunt enim verba *ὁμοίως.... ἀντίληψις* „parenthesi includere,“ ut significent: „quemadmodum etiam *σύνεσίς τε καὶ ἀντίληψις* (duplex est).“ Sed quid, quaeso, e tali comparatione emolumenti redundat? Impedimenti certe plurimum. Quid deinde illud *ἡ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις* declarat, praesertim quum eiusdem quasi cognitionis etiam *αἱ ἄλογοι δυνάμεις* particeps sint? Quo accedit, quod *ἡ γνῶσις* proprie nuncupata non minus in omnibus sit hominibus. Nec denique auctor, si vocabula illa comparare voluisset inter se, dixisset: *ὁμοίως σύνεσις*, sed vel *ὁμοίως συνέσει* (cf. p. 802. l. 13.), vel *ὁμοίῃ συνέσει* (cf. p. 594. 40.), vel *ὡς σύνεσις*, ut plerumque. Quamobrem *ὁμοίως* coniungendum esse arbitror cum his verbis: *ἡ ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις*, interpretandum autem ita: „quae in omnibus hominibus inest pari modo, intelligentia et perceptio.“ Altera enim *γνῶσις*, quamvis etiam in omnibus hominibus reperiatur, non pari tamen modo inest, sed differt in singulis et *μεγέ-*

scendi quaedam adscribatur, non est dubium; sed quae in ceteris etiam animantibus insit rationis expertibus, — quae hominis est propria eam solam ob causam, quia corpus haud minus atque animus est pars eius naturae constituens — : hanc igitur omnium animantium cognitionem ab altera, cuius solae potentiae λογικαὶ sint participes, tantum differre dicit, ut vix ei unquam cognoscendi nomen concedere audeat. Atqui quum γνῶσιν omnem in brutis animantibus tollat, tamen σύνεσίν τε καὶ ἀντίληψιν eisdem largiri nullo modo dubitat. Quid est igitur σύνεσις? Τὸ συνιέναι proprie dicitur „mittere in unum,“ „coniicere.“ Unde usu venit, ut huic voci paullatim eadem vis, quam „animadvertendi“ verbo (wahrnehmen) tribuimus, subiiciatur. Itaque significat saepe τὸ συνιέναι: seipsum, animi vires ad attendendum colligere, ut idem sit, atque προσέχειν τὸν νοῦν. Possunt autem animadverti tum res externae, quae sensus tangunt, tum animi actiones interiores, quae sensu quodam proprio percipiuntur interno. Et in homine quidem, ut qui ψυχὴ sit et σαρκικὴ et λογικὴ, utraque vis animadvertendi inest. Prior autem vis, animadvertendi res externas, sola in brutis animalibus, i. e. in tota, in universa natura corporea valet. Sed loco, quo de agimus, de priore quidem vi sermo est, at vero ut est in homine, qui hanc etiam ipsam auget atque extollit quodammodo ad altiorem gradum. Quapropter Clemens caute docet, eam in omnibus hominibus quidem esse pari modo, ὁμοίως, nec vero in omnibus animantibus, i. e. in hominibus et bestiis ὁμοίως. Nam ratio hominis eorum, quae τὸ ἄλογον animadvertit sive percipit, notiones effingit sive intelligentias, id quod τὸ ἄλογον per se non potest. Natura igitur corporea per se quidem, qualis est in brutis animalibus, perceptiones tantum habet, coniuncta autem cum animo etiam notiones. Utrumque vero, et perceptio et notio a Clemente appellari assolet σύνεσις. Quamobrem ubi de συνέσει in homine agitur, ita potest definiri: intelligentia rei sensibus perceptae sive notio σύνεσις est. Quae συνέσεως vocabuli vis ac significatio aperte declaratur his verbis: „σύνεσις est scientia eius, quod potest in unum conferri (i. e. rei universae sub sensus cadentis), sive collatio stabilis (i. e. ea notio, quae similibus conferendis probata stabilitatem nacta est), sive vis ea conferendi, unde nascitur prudentia et scientia, et unius

---

θει et *ἀκριβείᾳ*. *Σύνεσιν* autem et *ἀντίληψιν*, quae manifesto copulantur inter se ad unam notionem, appellari a Clemente *γνῶσιν* illam, quam *γνῶσιν* non esse vocandam dicit, haec explicatio: *τὴν δὲ αἰσθητηρίων ἀντιλαμβάνεσθαι πεφυκυῖαν,* tam aperte declarat, ut simpliciter et considerate iudicanti nullum dubium relinquatur. Atque iudicat etiam recte quidem Nourrius l. l. p. 1228.

singulorumque et omnium, quae in unam conferuntur notionem[1]).“ Sed in ceteris animantibus σύνεσις nihil aliud est, nisi perceptio, impressa quaedam rei sensibus subiectae imago atque adumbratio. Quae quidem, qualis sit, ex addita ἀντιλήψεως voce plane liquet. Nam duae hae voces σύνεσίς τε καὶ ἀντίληψις particulis τε και ita coniunctae sunt, ut altera alterius vim explicet atque augeat. Ἀντίληψις autem l. l. nihil aliud esse potest, nisi perceptio sensibus facta. Accuratius enim expositurus, quid sit ἡ γνῶσις, sive ipsa ἡ δύναμις γνωστικὴ, quam γνῶσιν vocare nolit, Clemens, quo haec munere sua natura fungatur, explanat hoc modo: τὴν δι' αἰσθητηρίων ἀντιλαμβάνεσθαι πεφυκυῖαν, i. e. illam, cui natura ingeneratum est, ut sensibus percipiat. Sed percipiendi verbum haud quaquam accurate reddit illud τοῦ ἀντιλαμβάνεσθαι, quod pulcherrime, quomodo sensus ad res percipiendas se habeant, indicat, ut in ipso τὸ ἀλλήλως aptissime appareat. Quod, quo reddam verbo latino, nescio; pluribus igitur utar verbis. ἀντιλαμβάνεσθαι est: adversus externarum rerum impulsum receptum agendo et quasi repellendo percipere. Sed est σύνεσίς τε καὶ ἀντίληψις, quamquam utraque per se quidem non tam id, quod recipiendo repellendoque efficitur, quam ipsa actio significatur, tamen usu plerumque rei alicuius imago quaedam atque adumbratio, φαντασία, vel notio in homine et intelligentia. Quae quum ita sint, naturae corporeae, cuius etiam homo corpore suo est particeps, non quidem cognitio proprie dicta tribuenda est, attamen quasi cognitio, intelligentia atque perceptio. Iam quum haec naturae corporeae vis intelligendi atque percipiendi alio modo etiam haud inepte vis cogitandi, non quidem ex ratione, sed ex sensibus cogitandi, appellari possit: Clemens sine dubio non probaverit illam naturae definitionem, qua sit „res extensa,“ sed alteram potius, qua eam esse substantiam dicimus cogitantem, at vero suo modo, i. e. naturaliter.

Reliquum est, ut alteram cognitionem, quae praecipue γνῶσις nominetur, brevi etiam examinemus. Hanc autem in solis potentiis λογικαῖς inesse auctor ingenue fatetur. Itaque iam de alterius humanae naturae partis cognitione simulque cognoscendi facultate agitur, quam item optime ex ipsius Clementis explicatione, qualis sit, pervidebimus. Et haec quidem auctoris explicatio est: ἡ δὲ ἐξαιρέτως ὀνομαζομένη γνῶσις ἀπὸ τῆς γνώμης καὶ τοῦ λόγου χα-

---

[1]) Strom. II. p. 468: *Σύνεσίς ἐστι ἐπιστήμη συμβλητοῦ, ἢ σύμβλησις ἀμετάπτωτος, ἢ συμβλητικὴ δύναμις, ὧν φρόνησίς ἐστι καὶ ἐπιστήμη, καὶ ἑνὸς καὶ ἑκάστου, καὶ πάντων τῶν εἰς ἕνα λόγον.* Huic igitur *συνέσει* deinceps statim opponitur *ἡ γνῶσις* ut scientia ipsius essentiae, *ἐπιστήμη τοῦ ὄντος αὐτοῦ.*

ρακτηρίζεται. Notam igitur atque formam propriam, qua animi cognitio ab altera, quae naturae corporeae est ingenerata, discernitur, accipit illa ἀπὸ τῆς γνώμης καὶ τοῦ λόγου, ex quibus τὸ λογικὸν hominis constat. Etenim ἡ γνώμη pertinet ad τὴν προαιρετικὴν τῆς ψυχῆς λογικῆς δύναμιν. Et est quidem non iam potentia solum libere eligendi, sed potentia agens, quae agendo constanter certo modo crevit, ut ita dicam, in habitum, semper idem eligendi (nostrum: Gesinnung)[1]). Ὁ λόγος autem similiter cognoscendi habitum significat repetita ratiocinatione acquisitum. Quamobrem alteram cognitionem, γνῶσιν proprie nuncupatam, ab altera hominis parte rationis participe libere instituta ratiocinatione formari dicit. Nec vero ea percipit tantum res, quatenus sub sensus cadunt, sed ad τὸ ὂν αὐτὸ, i. e. ad τὰ νοητὰ pertinet, quae sola animi virtute comprehenduntur[2]). Nam haec „cognitio scientia est essentiae ipsius" (l. l.).

Quodsi utraque hominis pars cognoscendi vi quodammodo est praedita, quaeritur, utrâ ad veritatem perveniatur, utrum neutra, an alterutra, an utraque. Sed priusquam hanc quaestionem aggredimur, nobis ipse cognoscendi finis est indagandus, qualem statuat Clemens, vel ut aliis verbis utar, quid sit Clementi veritas, inquirendum est.

§ 6.

Quid sit veritas.

Si ex Clemente quaerimus, quid sit veritas, aperte respondet: „veritas est scientia veri[3])." Quare quaestio nostra dividitur

---

[1]) Haec γνωμῆς significatio apud Clementem ubique obvia. Cf. e. c. Strom. VII. p. 856, ubi regalem dei cultum fieri docet: διὰ τῆς θεοσεβοῦς γνώμης τε καὶ γνώσεως, quae manifesto spectant ad voluntatem et cognitionem.

[2]) Verba: καθ' ἣν μόναι αἱ λογικαὶ δυνάμεις γνώσεις γενήσονται, non possum silentio praeterire. Potterus enim coniicit, „quum vox δυνάμεις e sententia praecedente post λογικαὶ excidisset (id quod verum esse videtur), post λογικαὶ repetitum ab imperito scriba eam in textum forte receptam esse." Quod fieri potuisse facillime non nego. Sed voce δυνάμεις eiecta, quum γνώσεις exsistat subiectum, quomodo explicabitur? γνώσεις ἐπιβάλλουσαι, quid est? ἐπιβάλλουσαι ad δυνάμεις aptissime refertur, ineptissime ad γνώσεις. Itaque aut intelligendum est: δυνάμεις γενήσονται γνώσεις, i. e. δυνάμεις γνωστικαί; aut, id quod magis placet, legendum est pro γνώσεις γενήσονται verbum γνώσονται, vel etiam: γνώσεις (accus.) γεννήσουσιν, ut sit: λογικαὶ δυνάμεις solae gignent cognitiones, velut Strom. I. p. 335. σύνεσις dicitur ἀγχίνοιαν γεννᾶν ζητητικὴν διὰ φιλοσοφίας ἀληθοῦς. Sed quum, qualis codicis conditio sit hoc loco, nesciam, nihil pro certo statuerim. Quidquid autem probaveris, vis loci capitalis minime mutabitur.

[3]) Strom. II. p. 468: ἀλήθειά τε ἐπιστήμη ἀληθοῦς.

statim in duas quaestiones, quarum una quaerit, quid sit verum, altera, quid sit scientia. Quid igitur Clemens verum esse dicit, τὸ ἀληθές? Verum versari dicit in his quattuor: sensu, mente, scientia, opinione [1]). At hoc dici de vero non per se, sed quatenus inter ipsum et hominem ratio quaedam intercedat, sponte apparet. Hac autem ratione vel generaliter tantum cognita, — accuratius infra de ea disseremus, — ad veri definitionem perveniemus. Ac primum quidem, scientiae et opinioni non eandem esse rationem ad verum, quam sensui et menti, animadvertendum est. Nam scientiae essentiam docet Clemens eodem loco constare ex sensu atque mente [2]), quam alio loco constare affirmat διὰ τοῦ λόγου ita, ut alio λόγῳ labefactari non possit [3]). Unde consequi videtur, opinionem ex sensu atque mente constare videri potius, quam reapse constare, ut quae λόγῳ ἀμεταπτώτῳ, i. e. ratiocinatione, quae labefactari non possit, careat. Sed quomodo scientia ex sensu constat atque mente? Ita quidem, ut scientia his viribus, sensu et mente nitatur. Quare etiam dici potest, verum in his tantum versari, sensu ac mente. Et sensus quidem veri, dum rerum notitiam quandam nanciscitur, modo suo est particeps. Quae autem ei subiecta sunt, appellantur hanc ipsam ob causam, quia τῇ αἰσθήσει subiecta sunt, τὰ αἰσθητά. Sed sunt etiam, quae sensus fugiant, percipiantur autem mente. Haec igitur, ad quae solus pertinet ὁ νοῦς, sunt τὰ νοητά. Iam vero τὰ νοητὰ et τὰ αἰσθητὰ sunt ipsa vera, quorum notitia, dummodo recte percepta fuerit, ad scientiam ducit. Sunt enim τὰ πρὸς αἴσθησίν τε καὶ νόησιν ἐναργῶς φαινόμενα demonstrationum, quarum finis scientia, principia nullius ipsa demonstrationis indigentia [4]). Nam illud ipsum est, quod etiam l. s. l. in sensu ac mente versari τὸ ἀληθὲς dicitur. Quamobrem hic etiam auctor sensus ac mentis commune esse docet τὸ ἐναργές. Nec vero haec sunt totum τὸ ἀληθές; sunt potius ea veri pars, quae apparet vel τῇ αἰσθήσει, i. e. corporis sensui, vel νοήσει, i. e. mentis sive animi quasi sensui, et percipitur sine demonstratione evidenter. Quae pars consistit in eis, quae fiunt, tum quoad naturam corpoream, tum quoad mentem sive animum. Differunt autem inter se fieri

---

[1]) Ibid. p. 435: *Τεσσάρων δὲ ὄντων, ἐν οἷς τὸ ἀληθὲς, αἰσθήσεως, νοῦ, ἐπιστήμης, ὑπολήψεως, κ. τ. λ.*

[2]) Ibid. p. 435: *Ἐκ δὲ αἰσθήσεως καὶ τοῦ νοῦ ἡ τῆς ἐπιστήμης συνίσταται οὐσία.*

[3]) Ibid. p. 468—469: *ἡ δὲ ἐπιστήμη διὰ τοῦ λόγου συνίσταται καὶ ἀμετάπτωτός ἐστιν ἄλλῳ λόγῳ.*

[4]) Strom. VIII. p. 917.

et esse[1]). Et ad haec quidem, quae sunt, penetramus per ea, quae fiunt. Etenim ex eis, quae evidenter apparent, ratiocinando et concludendo ea, quae sunt, i. e. essentias, omnium, quae fiunt, causas consequimur[2]). Causis autem cognitis, essentiis, quae neutri sensui apparent sponte atque evidenter, inventis, et ea, quae fiunt (apparentia ὑποκείμενα[3]), et ea, quae sunt (quae non cernuntur oculis) scimus. Nam quidquid evidenter apparens percipimus, id, donec causam eius concludendo cognoverimus nondum scimus, quia omnino tum demum scimus, quum viderimus causam[4]). Quodsi causam alicuius rei viderimus, et causam scimus et id, quod efficit, τὸ νόημά τε καὶ τὸ ὑποκείμενον. Scientia veri est igitur proprie scientia causae, qua etiam rei evidenter apparentis perceptio fit scientia. Atque veritas est scientia, sive cognitio demonstratione stabilita causarum, sive essentiarum, in quibus maxime consistit τὸ ἀληθές. Cognitionem igitur sive scientiam veri, quae est veritas, duplicem teneamus: unam essentiarum, τοῦ ὄντος αὐτοῦ, alteram eis, quae fiunt, consentientem[5]). Verorum autem scientia est veritatis habitus[6]). Huic quidem veritatis definitioni aliam Clemens prorsus congruentem alio loco quasi ex tempore reddidit. „Vera est, inquit, sententia, quae id, quod est (τὸ ὄν) inveniens assequitur[7])." Vera sententia hoc loco nihil aliud est, nisi scientia. Sed pergamus ad quaestionem, quae sequatur oportet.

§ 7.

A natura corporea veritatem acquiri nullam.

Omne igitur animal etiam rationis expers sensibus percipit, δι' αἰσθητηρίων ἀντιλαμβάνεται (l. l.). Sed haec perceptio, ἡ ἀντίληψις per se quidem nullo modo veritatis est comprehensio, quia causae rei perceptae scientiam non continet. Quinimo τὰ νοητὰ, in quibus solis ratiocinatione ad veritatem pervenitur, τοῖς ἀντιληπτοῖς μὴ

---

[1]) Ibid. p. 932: *διαφέρει δὲ (τε* non recte legitur!*) τὸ εἶναι τοῦ γενέσθαι.*

[2]) Ibid. p. 917. De vera demonstratione.

[3]) Strom. VIII. p. 928: Philosophorum inquisitio versari dicitur *ἐν τοῖς νοήμασι καὶ τοῖς ὑποκειμένοις,* ubi *τὰ ὑποκείμενα* ad *τὰ ἐναργῶς φαινόμενα* refero, *τὰ νοήματα* autem ad essentias.

[4]) Ibid. p. 925: *ἐπίστασθαί ἐστιν ὅταν ἴδωμεν τὴν αἰτίαν.*

[5]) l. c. II. p. 468: *γνῶσις δὲ ἐπιστήμη τοῦ ὄντος αὐτοῦ, ἢ ἐπιστήμη σύμφωνος τοῖς γινομένοις.*

[6]) Ibid. *ἡ δὲ ἕξις τῆς ἀληθείας ἐπιστήμη ἀληθῶν.*

[7]) l. c. I. p. 420: *ἀληθὴς δὲ (ἡ δόξα) ἡ τὸ ὂν εὑρίσκουσα καὶ τούτου τυγχάνουσα.*

κινηθεῖσι πρὸς γνῶσιν a ratione separatis opponuntur [1]). Ἀντίληψις enim, quae in homine mentis ope intelligentia, quae νοερά, fieri potest, in corvis voces humanas imitantibus prorsus seiungenda est a scientia [2]). Sensus autem, unde nascitur perceptio, dummodo animal, quod sentit, etiam ratione sit praeditum, scalae quidem sunt scientiae, minime vero sua ipsorum vi atque indole scientiae efficientes: sed ex sensu ac mente scientiae constat essentia [3]).

§ 8.

Meliorem hominis patrem, τὸ λογικὸν, ad veritatem pervenire posse.

Quibus ita comparatis, si quampiam veritatis cognoscendae vim in homine inesse voluerit Clemens, hanc meliori eius parti tribuat oportebit. Cognoscere autem hominem ac scire posse illi est persuasissimum [4]). Quam enim praeclare, ut illud iam uberius exponam, quam praeclare Pyrrhonios non a rebus incertis solum sed plane ab omnibus assensionem cohibentes (ἐπέχοντας) refutat! Placitum enim illud, inquit, quo assensio cohibetur ab omnibus, primum, ut a seipso assensionem cohibeat, consequens est. Nam aut verum esse aliquid concedit, quamvis minimum: tum, quia non omnibus assensio neganda est, ipsum dissolvitur; aut nihil omnino verum esse contendere perseverat: tum ne ipsum quidem veri quidquam dicere posse in promptu est. Porro aut verum dicit, aut falsum; si verum, veri aliquid posse reperiri liquet, sin minus: vera relinquit, quae tollere voluit; in quo enim mendax ostenditur ἐποχὴ tollens, in hoc sublata vera esse ostenduntur [5]). Haec igitur per se patent. Sed homini a Clemente veritatis reperiendae facultatem tribui supra satis probasse nobis videmur: sin homini, hominis parti rationis participi, quum alteri parti eam abiudicaverimus, tertia autem non exsistat. Et quod quidem merito ita concludimus, id etiam disertis verbis a Clemente declaratur. Sunt enim τὰ νοητὰ γυμνασία τῷ νῷ [6]). Namque animus (ὁ νοῦς, ψυχὴ ἡ λογικὴ) creatus est ad scientiam [7]). Quae quum ita sint, quae Clementi cognoscendi via et ratio placuerit, investigemus.

---

[1]) Strom. VI. p. 819.
[2]) Ibid.
[3]) l. c. p. 435: *ἀλλ' ἡ μὲν αἴσθησις ἐπιβάθρα τῆς ἐπιστήμης.*
[4]) Cf. § 3. h. c.
[5]) Strom. VIII. p. 923. l. 12 sqq.
[6]) l. c. I. p. 335.
[7]) l. c. VII. p. 880 .... *τοῦ (θεοῦ) τὴν ψυχὴν εἰς ἐπιστήμην κτίσαντος.*

§ 9.
Quomodo cognoscatur, vel Clemens qualis sit philosophus.

Iam vero sumus in eo, ut, Clemens qualis sit philosophus, aperte ac simpliciter ostendatur. Quid enim sit cognoscendum, habemus perspectum: sunt quidem essentiae et per eas etiam τὰ φαινόμενα, i. e. totum verum. Tum vero etiam scimus, quaenam sit hominis cognoscendi facultas. Quid igitur reliquum est aliud, quam ut inquiramus, qualem rationem Clemens statuerit inter essentias cognoscendas et vim cognoscendi humanam? Et in hac quidem statuenda totus est Aristoteleus, i. e. autem: Clemens ut philosophus est Aristoteleus [1]). Sed prius Clementem ex suis ipsius scriptis philosophum agnoscere studeamus sine ulla opinione praeiudicata; deinde autem quam brevissime Aristotelem comparemus.

Neque igitur Clemens, quasi Platonem secutus, τοῖς αἰσθητοῖς minus tribuit, neque cum Stoicis, quod solis non debeatur sen-

---

[1]) Quamquam in § 2. h. c., ne longus essem, errores de Clemente philosopho enumerare nolui, tamen non possum, quin hic pauca exempla attingam saltem. Est enim profecto operae pretium, animadvertere, quam libenter viri doctissimi, quibus alias auctoritas divina fere ludibrio est, in multis auctoritati humanae fidem, quam carbonariorum vocamus, habeant. Nam quum quispiam, Clementem vel Neoplatonicum, vel Stoicum esse, egregio scilicet lapsu, contendisset: idem deinceps plurimi nihil dubitantes, nihil perscrutantes, narrant et repetunt. Quam leviter autem hoc fiat, ex uno licet exemplo intelligatur. Guerikius enim scribit, „Clementem (Strom. V. p. 679) more suo Platonizante dixisse, a Platone manifesto testimonio probari, Christum etc." l. c. II. p. 125. Quid igitur? Num forte is Platonissat, qui Platone sententiae cuiuslibet utitur teste? Qui hoc sentit, is, credo, Clementem non solum Platonissare dicet, verum etiam eundem Homerissare, Heraclitissare, Aeschylissare, Democritissare, Epicurissare etc. etc. etc. (sexcenti alii auctores a Clemente in nonnullis probati possunt afferi), affirmare non dubitat. — Aliud autem exemplum afferam eorum, qui eum faciunt ἐκλεκτικόν. Bruckerus igitur id Clementi propositum fuisse contendit, ut „Platonem, Aristotelem et Stoicos cum christianis placitis conflaret in unum doctrinae corpus." Quod quidem ad philosophandi rationem non pertinet. Sed si verum esset, aut christianam doctrinam mutaret opus fuisse, aut philosophorum commenta, concedo. In quorum etiam optimorum scriptis quum multa nihil aliud esse nisi commenta libenter fateretur, imo hortaretur hanc ipsam ob causam, ut omnes ad Christum se converterent: minime in mentem ei poterat venire, ut quae vera et divinitus communicata habebat, ea ad illa, quae ut falsa respuebat, accommodaret. Quae autem a philosophis recte dicta erant ideoque consentientia cum christianis dogmatis, ea debebat agnoscere, et id quidem, non quia ab illis probata erant, sed quia vera probabantur; quo accessit, quod his agnitis via ad Christum philosophis facilius patefieri videbatur. Quid ergo? Num Clemens, dum, quae et hic et illic vera apparebant, ea sponte conflari dicit, ipse conflare conatur? —

sibus, id ne sciri quidem contendit: sed ex sensu atque mente scientiae constat essentia (l. l.). Neque sine sensu, neque sine mente, unquam exsistet scientia. Quale autem sensuum munus? Sensus sunt scientiae scalae (l. l.). Quas scalas si nemo ascendit, nihil refert, an exsistant, nec ne. Et sic quidem in eo, quod est rationis expers, animali, quamvis sensibus praedito, scalae non ducunt ad scientiae altitudinem, scientia nullo modo nascitur. Sed est, qui ascendat scalas in homine, ὁ νοῦς, mens, animus. Ad cognitionem autem veritatis (εἰς γνῶσιν) non acceditur nisi demonstratione ἐπιστημονικῇ[1]). Itaque sensuum scalas ascendit, qui recte demonstrat. Est igitur, quum sit, qui ascendat, etiam, qui demonstret, i. e. animus. Et quomodo, quaeso, demonstrat? Certe sensibus aliqua ex parte adiuvantibus[2]), id quod ex eis, quae supra dicta sunt, necessario consequitur; siquidem sensus scientiae sunt scalae. Quinetiam ea est inter corpus et animum coniunctio, ut, qui sensus sustulerit, demonstrationem ipsam tollere omnem cogatur[3]). Res autem ita se habet. Sint quaedam oportet, quae, quum ut evidentia sponte et omnibus appareant, per se nulla egeant demonstratione[4]). Nam si ea quoque, e quibus primum demonstratur, demonstranda essent, nihil igitur ante ullam demonstrationem haberetur certum atque evidens: progredi in infinitum cogeremur neque unquam, demonstrandi quasi fundamento perpetuo regrediente, demonstraremus quidquam[5]). Sed per se certa illa et credibilia habemus: τὰ πρὸς αἴσθησίν τε καὶ νόησιν ἐναργῶς φαινόμενα (l. l.), e quibus si quis, ut consequens est, concluserit, reapse demonstrat[6]). Haec igitur evidenter apparentia sunt quasi scalae, quas sensus, ut ad scientiam ascendat animus, huic praebent. Quae vero sensu vel exteriori (αἰσθήσει corporis) vel interiori (νοήσει sive αἰσθήσει cuidam animi) — namque sunt, quae corporis oculis appareant, τὰ αἰσθητά, sunt, quae animi oculis, τὰ νοητά; quemadmodum enim sensus ad τὸ αἰσθητόν, sic νόησις ad τὸ νοητὸν se habet[7]); — quae igitur sensu alterutro per-

---

[1]) Strom. VIII. p. 914.

[2]) l. c. I. p. 377: *ἡ ὄψις συμβάλλεται καὶ ἡ ἀκοὴ καὶ ἡ φωνὴ πρὸς ἀλήθειαν, νοῦς δὲ ὁ γνωρίζων αὐτὴν προσφυῶς.*

[3]) l. c. VII. p. 888: *οἶμαι πάντας ἂν ὁμολογήσειν (εἶναι ἀπόδειξιν), ἄνευ τῶν τὰς αἰσθήσεις ἀναιρούντων.*

[4]) Cf. § 6. h. c.

[5]) Strom. VIII. p. 917: *ἑκάστης ἀποδείξεως ἀποπόδειξιν αἰτοῦντες εἰς ἄπειρον ἐκβησόμεθα, καὶ οὕτως ἀνατραπήσεται ἡ ἀπόδειξις.*

[6]) Ibidem.

[7]) l. c. VI. p. 809: *ὡς αἴσθησις πρὸς τὸ αἰσθητὸν, οὕτως νόησις πρὸς τὸ νοητόν.*

cipiuntur, partim ita percipiuntur, ut prorsus sint evidenter apparentia, de quibus dubitari plane nequeat; partim autem ita tantum, ut, quum posse falsa esse videantur, vera tamen non sine ratione existimentur; et haec quidem non dicuntur evidenter apparentia, sed ἔνδοξα, ut quae a communi opinione non abhorreant. Illis autem scientia utitur, haec, ut nobis persuadeatur, possunt efficere (πειθὼ ἀπεργάζεσθαι). Sed totum locum huc pertinentem transscribam. „Nulla, ait Clemens, oratio simplex et prima vocatur ratiocinatio, etiamsi vera, sed est haec quidem composita minimum ex hisce tribus: duabus propositionibus, una conclusione. Porro aut omnia egent demonstratione, aut etiam quaedam ex eis (ex tribus illis) sunt credibilia (sine demonstratione). Quodsi prius verum est, uniuscuiusque demonstrationis postulantes demonstrationem procedemus in infinitum: et sic quidem evertetur demonstratio. Sin autem alterum verum, haec ipsa credibilia per se erunt demonstrationum principia. Iam vero philosophi universorum principia demonstrari non posse consentientes fatentur. Quamobrem, si est demonstratio, omnino necesse est prius aliquid sit per se credibile, quod dicitur primum et supra demonstrationem. Ad fidem igitur, quae demonstrari nequit, reducitur omnis demonstratio. Erunt autem alia quoque praeter illum ex fide fontem demonstrationum principia, ea, quae evidenter tum sensu apparent, tum mente. Nam quae cadunt sub sensum, sunt simplicia nec possunt solvi; quae autem ad νόησιν pertinent, ea sunt simplicia, cum ratione, primaque. Quae porro ex his gignuntur, sunt quidem composita, at nihilominus evidentia, credibilia primisque magis cum ratione. Quam vero propriam rationis faculatem habemus omnes natura insitam, eius est videre consequentia et repugnantia. Quae quum ita sint, si qua fuerit eiusmodi inventa oratio, ut ex eis, quae iam sunt credibilia, aliis, quae nondum sunt credibilia, fidem possit praebere: hanc ipsam esse dicemus essentiam demonstrationis. Dictum est autem, etiam fidei et demonstrationis genus esse duplex: unum quidem, quod solam persuasionem praestat audientium animis; alterum vero, quod efficit scientiam. Si quis igitur orsus ex eis, quae sunt sensu et mente evidentia, convenien-

tem intulerit conclusionem: vere is quidem demonstrat; sin autem ex opinabilibus solum (i. e. probabilibus et verisimilibus), nec vero primis, hoc est, neque sensu neque mente evidentibus, convenientem quidem inferat conclusionem, concludit is revera, nec tamen efficiet demonstrationem ἐπιστημονικήν; at vero si non convenientem, ne concludit quidem[1])."

Recta autem conclusio pendet ex sana ratione. Rei ergo cardo vertitur in propositionibus examinandis. Quamobrem Clemens ei, qui demonstrandi facultate ceterum sit praeditus, maximam veritatis propositionum curam esse habendam affirmat. Atque „dico, inquit, eum, qui sit demonstraturus, oportere haec duo observare in omnibus: unum, ut veras assumat propositiones, alterum ut consequentem inferat conclusionem. . . . Et diversis quidem opus est propositionibus, et eis, quae quaestioni propositae conveniant. . . . Nam si non convenerint, fieri non potest, ut recte inveniat quidquam, quum tota quaestio ignoretur. . . . In omnibus ergo, quae quaeruntur, est aliquid antea cognitum, quod quum sit omnino credibile ex seipso, creditur sine demonstratione. A quo quidem est progrediendum ad inquisitionem; ipsum autem statuatur eorum, quae videntur esse inventa, κριτήριον[2])."

Atque ut utrumque fiat recte, ut quum vera proponamus, tum consequentem inferamus conclusionem, neque caute solum atque non sine mentis acumine ad demonstrationem accedere Clemens nos iubet, verum etiam ἀφιλονείκως, ἀφιλοδόξως, ἀφιλαύτως, φιλαληθῶς. Deinde praescribit eam progrediendi rationem ad propositiones assumendas quaestionemque, quam imitentur nostrates velim vehementer. Est autem simplex et aperta. Nam primum, inquit, definiendum, quid sit id, de quo quaeritur; et tam quidem accurate, ut quivis eiusdem linguae peritus, voce pronunciata, statim, quid pronuncians cogitet, percipiat. Tum vero, an exsistat, quod est definitum, nec ne, disceptetur oportet; denique si esse constiterit definitum, quae sit eius vis ac natura investigandum est[3]).

Quibus omnibus ita disputatis, qualis Clemens sit philosophus, iam est expositum generaliter. Generalem autem

---

[1]) Strom. VIII. p. 917—918.
[2]) Ibid. p. 918.
[3]) Strom. VIII. p. 914—915.

expositionem nobis proposueramus. Sed ostendimus, qualem Clemens philosophandi viam et rationem probaverit θεωρίᾳ; restat ut eandem ab eo in vita hominum, quales natura bona esse solent, agnitam esse demonstremus. Hoc igitur eius hac de re placitum. Homo primo admiratur[1]), (dum sensus quidem tanguntur ab eis, quae apparent); deinde se nescire existimat. Ignorationis autem scientia prima est disciplina[2]). Qui enim se ignorare animadverterit, is sciendi desiderio capietur. Quid ergo? Quaerere incipiet; inquirere scienter demonstrando sincero cum veritatis amore instituet[3]). Nam quid illud admirari? Admirari solemus, quod rei cuiuspiam causam ignoramus. Quaecunque autem sensibus percipimus, ea sunt effecta, non efficientia. Quodsi rem aliquam, quae nondum cecidit antea sub sensus nostros, οὔτε πρὸς αἴσθησιν οὔτε πρὸς νόησιν ἐναργῶς φαινομένη unquam antea, primum perceperimus, quum, quibus exsistat, causas nesciamus, admiramur. Sin quaesierimus, cur admiremur, ob hoc ipsum id fieri reperiemus, quod causae nobis ignotae sint. Iam quum, nisi causas noverimus, non dicamur scire, simulatque, quid sit, quod admiremur, quaestionem moverimus, nescire nos existimabimus. Est autem homini a natura insitum et innatum, ut veritati cognoscendae studeat. Quare animi affectionem illam, qua nescire nos existimamus, statim sciendi desiderium sequetur causarumque inquisitio, quae fit demonstrando. Quapropter hoc etiam modo animum sensibus non solum incitari primum, sed scalis quoque, quibus ad veritatem ascendat, ab eis donari in promptu esse videtur.

Hanc autem philosophandi rationem esse Aristoteleam, nunc brevi indicemus.

§ 10.

Qualis Aristotelis fuerit philosophandi ratio.

De Aristotele philosopho hic accurate ac subtiliter disputare, non est mihi in animo, — hoc proprium librum postularet haud mediocrem, — sed pauca indicare tantum, ut ei, qui philosophiae Aristoteleae sit parum peritus, satis offeratur ad rem diiudicandam, neve eruditus inveniat nimium. Neque igitur omnes locos ad unamquamque rem probandam colligam, sed unum vel paucos, qui sufficiunt ad rem indicandam.

---

[1]) l. c. VII. p. 867. Quae quamquam non sunt dicta καθόλου, tamen vim ea universam habere facile intelligitur.

[2]) l. c. V. p. 654.

[3]) l. c. VIII. p. 914.

Ac primum quidem hominis naturam in duas dividi partes Aristoteles diserte docet, priorem rationis participem, expertem alteram[1]). Hanc autem constare vult in homine ἐκ τοῦ θρεπτικοῦ s. φυτικοῦ καὶ τοῦ ὀρεκτικοῦ; dico vero in homine, quia apud Aristotelem diligentissime distinguendum est inter animam brutorum animalium, a mente prorsus segregatam, et animam humanam cum mente artissime copulatam. Animae autem humanae divisionem, quali hic utimur Aristotelea, discimus ex Eth. Nic. I. 13., ubi hoc etiam animadvertendum, Aristotelem, quamvis τὴν ψυχὴν ἀπὸ τοῦ σώματος diligenter separet, tamen totam vim hominis vitalem significare sola ψυχῆς voce. Nam ipsius ψυχῆς dicit esse τὸ μὲν ἄλογον, τὸ δὲ λόγον ἔχον, quorum prius item sit duplex. Est enim τὸ μὲν τοῦ ἀλόγου causa, quod homo nutritur et augetur, id quod cum plantis et pecudibus habet commune. Quid igitur vitale relinquitur corpori? Nisi egregie fallor: nihil. Altera autem τοῦ ἀλόγου pars est cupiditas vel omnino appetitus (τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικόν). Cupiditas enim non est totum τὸ ὀρεκτικόν, ad quod etiam pertinet ira, θυμός, τὸ θυμικόν[2]). Quinetiam habet tertiam partem βούλησιν[3]). Sed βούλησις, i. e. desiderium, ex appetitu nascitur, quatenus hic est in homine, quum ira et cupiditas etiam in ceteris reperiantur animantibus[4]). Adscribuntur etiam in libris περὶ ψυχῆς, qui proprie agunt de anima per se sine mente, huic αἴσθησις, ἡδονή, λύπη[5]).

Iam quaeritur, utrum hanc animam ad scientiam et veritatem pervenire dicat Aristoteles, quae omnibus animalibus quinimo inchoata plantis est communis, nec ne. Brevi dicam. Sunt animae a plantis ad hominem tres quasi gradus: τὸ θρεπτικόν, τὸ αἰσθητικόν, τὸ ὀρεκτικόν. Quorum de altero tantum quaeri potest, quatenus cognitionem attingat. Hoc igitur a tactu ordiens progreditur ad vim φαντασίας. Quinque enim sensus, in quibus unum inest αἰσθητήριον κοινόν, percipiunt, unde movetur; qui motus est φαντασία. Ex hac autem nascitur ἡ μνήμη[6]). Nihil praeterea. Quapropter anima ut solius naturae corporeae propria etiam ex Aristotelis sententia

---

[1]) Eth. Nic. I. 13. cf. VI. 1—2.

[2]) Eth. Eud. II. 7.

[3]) Ibid.

[4]) Eth. Eud. II. 10.

[5]) Operae pretium est, hunc locum Clementis addere, qui legitur Strom. VI. p. 808: διὰ τοῦ σωματικοῦ ἄρα πνεύματος αἰσθάνεται ὁ ἄνθρωπος, ἐπιθυμεῖ, ἥδεται, ὀργίζεται, τρέφεται, αὔξεται.

[6]) Haec quam brevissime ex libris περὶ ψυχῆς indicavi.

est vis quaedam vitalis quodammodo cogitans; num forte scientiae quoque et veritatis particeps? Minime hoc quidem. Quod quamvis ex eis, quae indicavi, iam sequitur, tamen etiam verba eius afferam, quibus idem sine ulla ambiguitate docet. „In eo duntaxat, inquit, quod ratiocinatur, et in eis, quae ratiocinandi facultatem habent, nasci potest (scientia)“ [1]).

Quamobrem alteram hominis partem, τὸ λόγον ἔχον, consideremus. Animadvertendum est autem primum, τὸ λόγον ἔχον una voce appellari ab Aristotele νοῦν [2]). Hic igitur veri cognoscendi vi praeditus est. Et de eo quidem discrimine, quo aut παθητικὸς aut ἐνεργητικὸς nominatur, quum totus νοῦς vim suam totam explicet cum anima corporea coniunctus, neutram neque παθητικὴν neque ἐνεργητικὴν ostendens sine mutua actione, tacere possum. Sed τοῦ λόγον ἔχοντος sive τοῦ νοῦ ad veritatem cognoscendam alio item modo sunt discernenda: τὸ μὲν ἐπιστημονικὸν τὸ δὲ λογιστικόν [3]). Quorum priori contemplamur talia, quorum omnium principia non aliter sese possunt habere; posteriori autem ea, quae possunt [4]). Itaque ut viam cognoscendi Aristoteleam perspiciamus, iam principia illa cognitionis examinemus, qualia sint, pro quorum differentia Aristoteles duplicem etiam τοῦ νοῦ veritatis cognoscendae facultatem differe censet. Haec igitur principia sunt illa ἐναργῶς φαινόμενα Clementis, quae Aristoteles in Anal. post. modo, ut ille quidem postea, vocavit ἀναπόδεικτα, modo ἀναγκαῖα, modo ἄμεσα. Quae ut recte intelligamus, illud consideremus, omnium, quae sunt, altera sensibus percipi posse, eosdem fugere altera [5]). His autem, ut quibus rerum causae contineantur, nititur scientia. „Nam tum scire nos dicimus unumquidque, quum primam causam nosse nobis videamur“ [6]). In eis autem, quae sensibus percipiuntur, quatenus

---

[1]) Top. V. 1: (*ἐπιστήμη*) *ἐν λογιστικῷ μόνον καὶ τοῖς ἔχουσι λογιστικὸν πέφυκε γίνεσθαι.* Huc quoque pertinet eiusdem definitio, quam hominis solet instituere in Top: *ζῷον ἐπιστήμης δεκτικόν.*

[2]) Eth. Nic. VI. 2. cf. Metaph. *α.* 1, ubi *τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς* haud dubie est *τὸ τῆς ψυχῆς λόγον ἔχον.* Haec autem fragmenta, e quibus l. *α* constat, quoquo pertinent, sunt Aristotelea.

[3]) Eth. Nic. VI. 2.

[4]) Ibid.: *ὑποκείσθω δύο τὰ λόγον ἔχοντα, ἓν μὲν ᾧ θεωροῦμεν τὰ τοιαῦτα τῶν ὄντων ὅσων αἱ ἀρχαὶ μὴ ἐνδέχονται ἄλλως ἔχειν· ἓν δὲ ᾧ τὰ ἐνδεχόμενα.*

[5]) Metaph. *A.* 8. *τῶν δ' ὄντων τὰ μὲν αἰσθητὰ τὰ δ' ουκ αἰσθητά.* Haec omnium philosophorum sententia ab Aristotele hoc loco probatur.

[6]) Metaph. *A.* 3: *τότε γὰρ εἰδέναι φαμὲν ἕκαστον, ὅταν τὴν πρώτην αἰτίαν οἰώμεθα γνωρίζειν.* cf. *α.* 1: *οὐκ ἴσμεν δὲ τὸ ἀληθὲς ἄνευ τῆς αἰτίας.* 2: *τότε γὰρ εἰδέναι οἰόμεθα, ὅταν τὰ αἴτια γνωρίσωμεν.* cf. Anal. post. I. 2. II. 11. etc.

sunt huiusmodi, causae non insunt. Quare „si nihil est praeter τὰ καθ' ἕκαστα (i. e. τὰ αἰσθητά[1]), nihil etiam fuerit νοητόν, sed omnia αἰσθητὰ neque cuiusquam rei scientia, nisi forte quispiam αἴσθησιν dixerit esse scientiam"[2]). Sed ad rerum causas, quae sunt τὰ νοητά, vel alio modo τὰ καθόλου, eis, quae sensibus percipiuntur, neglectis, non penetramus. Nam quum sint τὰ καθόλου, ad quae ὁ λόγος, ὁ νοῦς pertinet, simpliciter (ἁπλῶς, i. e. φύσει) quidem priora, at vero cognitione (τῇ γνώσει) priora τὰ κατὰ τὴν αἴσθησιν[3]): cognoscendi initia sumenda erunt ex sensibus. Etenim quum rem sciamus, causa, qua talis est, cognita, „dicimus scire nos demonstratione. Demonstrationem autem dico eam, quae ad scientiam ducit, ratiocinationem"[4]). Ratiocinatio autem flagitat πρότερα καί γνωριμώτερα, ex quibus concludendum est. Atqui quod est prius et magis cognitum naturâ, id nobis minime prius et magis cognitum, sed id potius, quod propius est a sensu, a quo longius est illud, quod simpliciter est prius et magis cognitum. Longissime autem ab eo sunt τὰ καθόλου, proxime τὰ καθ' ἕκαστα[5]). Quae vero proxime sunt a sensu nostro dum sentimus et percipimus, nondum scimus. Quia enim haec sunt καθ' ἕκαστα, scientia autem versatur ἐν τῷ καθόλου, sciri δι' αἰσθήσεως non dicimus[6]). Attamen ex sensu ad scientiam via aperitur. Quid enim? Quum priora nobis et magis cognita sunt ea, quae a sensibus sunt propiora, demonstratio autem instituatur oportet ex prius notis: nonne haec ipsa cognoscendi initia a sensibus erunt petenda? Et sane quidem „ex eis, quae nobis notiora sunt et certiora, via patet ad ea, quae sunt natura notiora et certiora". Nam quoniam non eadem et nobis et simpliciter nota sunt; „ex eis, quae minus certa sunt naturâ, nobis vero certiora, ad certiora naturâ et notiora pro-

---

[1]) Metaph. B. 1 quaestio movetur, *πότερον τὰς αἰσθητὰς οὐσίας εἶναι μόνον φατέον*, quam solvendam c. 4. aggreditur his verbis: *εἴτε γὰρ μὴ ἔστι τι παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα.*

[2]) l. c. *εἰ μὲν οὖν μηθὲν ἐστι παρὰ τὰ καθ' ἕκαστα, οὐθὲν ἂν εἴη νοητὸν, ἀλλὰ πάντα αἰσθητὰ καὶ ἐπιστήμη οὐθενὸς, εἰ μή τις εἶναι λέγει τὴν αἴσθησιν ἐπιστήμην.*

[3]) l. c. Δ. 11.

[4]) Anal. post. I. 2: ... *φαμὲν δὲ καὶ δι' ἀποδείξεως εἰδέναι. ἀπόδειξιν δὲ λέγω συλλογισμὸν ἐπιστημονικόν.*

[5]) Anal. post. I. 2: *οὐ γὰρ ταὐτὸν πρότερον τῇ φύσει καὶ πρὸς ἡμᾶς πρότερον, οὐδὲ γνωριμώτερον καὶ ἡμῖν γνωριμώτερον. λέγω δὲ προς ἡμᾶς μὲν πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως, ἁπλῶς δὲ πρότερα καὶ γνωριμώτερα τὰ πορρώτερον. ἔστι δὲ πορρωτάτω μὲν τὰ καθόλου μάλιστα, ἐγγυτάτω δὲ τὰ καθ' ἕκαστα.*

[6]) l. c. cap. 31.

grediamur necesse est" [1]). Iam vero haec nobis prius notiora et certiora non demonstrantur ipsa quidem, quum rationatio ex eis, ne eodem identidem revolvatur, ordiatur sine demonstratione; nam „demonstrationis principium minime demonstratio" [2]). Sunt autem partim necessaria, ut quae non aliter sese possint habere, partim opinabilia tantum (vel etiam verisimilia, probabilia), quae possunt ita sese habere, ut creditur, possunt etiam aliter [3]); vel ut aliis utar verbis: (demonstrationis) „principia sunt partim ex necessitate, partim probabilia" [4]). „Omnis igitur ratiocinatio aut ex necessariis propositionibus, aut ex eis, quae plerumque recte se habent, (verisimilibus); quodsi propositiones necessariae sunt, etiam conclusio erit necessaria, sin eae, quae plerumque verae, etiam conclusio erit huiusmodi" [5]). Ex necessaria conclusione autem sequitur scientia, ex opinabili opinio [6]). Et hoc quidem loco intelligitur, cur Aristoteles τὸ λόγον ἔχον, τὸν νοῦν diviserit in duas partes, quarum una sit τὸ ἐπιστημονικὸν, altera τὸ λογιστικόν (l. l.). Nam τὸ ἐπιστημονικὸν spectat ad conclusionem necessariam, unde nascitur scientia, τὸ δὲ λογιστικὸν ad opinabilem, unde τῷ λογίζεσθαι ἢ βουλεύεσθαι proficiscitur ἡ δόξα [7]). Sed haec hactenus; logica enim, quae accuratiorem cognoscendi viam describunt, exponere non est propositum.

Quod autem ad vitam attinet, Aristoteles quoque homines ad philosophandum et quidem ad philosophandum ratione demonstrata quasi naturaliter duci docet. „Admirando enim, inquit, homines et qui nunc sunt et qui antea fuerunt initium philosophandi posuerunt, initio quidem dubia ante pedes posita admirati, deinde paullulum ita progressi etiam de maioribus dubitantes, veluti de lunae affectionibus solisque ceterorumque astrorum deque huius rerum universitatis generatione. Dubitans autem et admirans se

[1]) Phys. I. 1: *πέφυκε δὲ ἐκ τῶν γνωριμωτέρων ἡμῖν ἡ ὁδὸς καὶ σαφεστέρων ἐπὶ τὰ σαφέστερα τῇ φύσει καὶ γνωριμώτερα· οὐ γὰρ ταὐτὰ ἡμῖν τε γνώριμα καὶ ἁπλῶς.*

[2]) Anal. post. II. 19: *ἀποδείξεως ἀρχὴ οὐκ ἀπόδειξις.* Sed totum caput legere forte iuvabit. Cf. I. 3 sqq., ubi prima sint sine demonstratione credibilia necesse esse, nisi omnis evertatur demonstratio et scientia, probatur.

[3]) Anal. post. *A.* 33. cf. Top. I. 1, ubi *τὰ ἀναγκαῖα* appellantur *ἀληθῆ καὶ πρῶτα, τὰ ἐνδεχόμενα* vero *ἄλλως ἔχειν* dicuntur *ἔνδοξα.*

[4]) Anal. post *A.* 32: *αἱ ἀρχαὶ αἱ μὲν ἐξ ἀνάγκης, αἱ δ'ἐνδεχόμεναι.*

[5]) l. c. 30: *πᾶς γὰρ συλλογισμὸς ἢ δι' ἀναγκαίων ἢ διὰ τῶν ἐπὶ τὸ πολὺ προτάσεων· καὶ εἰ μὲν αἱ προτάσεις ἀναγκαῖαι, καὶ τὸ συμπέρασμα ἀναγκαῖον, εἰ δ'ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ τὸ συμπέρασμα τοιοῦτον.*

[6]) Anal. post. *A.* 33.

[7]) Eth. Nic. VI. 2. cf. Anal. l. c.

ignorare putat..... Ut autem effugiant ignorationem, philosophantur" homines etc.[1]).

§ 11.

De Clemente philosopho epilogus.

Iam vero si quis et Clementis et Aristotelis philosophandi rationem probe a nobis ac sincere expositam esse largitus fuerit, is, quominus Clementem appellemus Aristoteleum, nihil prohibebit. Sin me in expositione errasse quoquomodo dixerit, hoc, credo, demonstrabit. Nec tamen Clementem Aristoteleum esse ratus, hoc ita affirmaverim, ut eum, omnium philosophorum comparatis philosophandi rationibus, Aristoteleam optimam visam elegisse contendam; quinetiam omnino, quomodo ad eam probandam commotus vel adductus sit, non discernam.

Quaerenti autem, uter philosophando profecerit plus, Clemensne an Aristoteles, haec dixerim. Ingenio philosopho Aristoteles facile evadit superior, at vero antecedit Clemens fine beato. Namque Evangelii luce adiutus multo altius, „physicis illis, quae continentur ex effectione et ex materia ea, quam fingit et format effectio[2])," relictis, ad alium duplicem essentiarum numerum ascendit, qui deum complectitur creatorem sui ipsius conscium et mundum creatum ex nihilo, nisi divina cogitatione. Hunc vero mundum quum tripartitum agnosceret, pervidit unam quidem essentiam in eo quoad creationis conditionem, hanc unam autem divisam in tres diversas nec vero contrarias, naturam, animum, hominem, hunc compositum et constantem ex natura animoque. Atque animum tantum a natura differre voluit, ut solus esset simplex et immortalis non essentia solum, verum etiam sui conscientia, non dei natura, sed divina imagine et similitudine proposita excellens. Quum ita porro esset ei persuasum, propriam hominis nobilitatem, interiorem animi libertatem, libere agendi facultatem accuratius, subtilius, fortius defendit, unde non potuit non definire huius vim ad veritatis cognitionem. Et hac quidem definitione non solum hominem iustis effert laudibus, quibus diutius in philosophia fuerat orbatus, sed etiam, humanis viribus et per se et mutua actione adiuvante penitus cognitis, qualis inter essentias cognoscendas et vim humanam cognoscentem ratio intercedat, plane perspexit. Veluti sensus nescio an artius, quam Aristoteles, ipsorum circumscripserit terminis. Quamquam haec singula enucleare hic non est in animo mihi; progrediendum potius ad id, quod propositi est reliquum. —

[1]) Met. *A*. init.

[2]) Cic. Acad. I. 2.

Caput V.

De Clemente theologo.

---

§ 1.

Quid theologum distinguat a theologo brevi exponitur.

Quum propositum sit nobis, ut de Clemente disseramus theoogo: primum, quanam re theologum a theologo discernamus, brevi dicendum est. Quodsi quid habent theologi uniuscuiusque proprium et χαρακτηριστικὸν, id ponimus in via et ratione, quam inter deum quomodocunque se revelantem et vim cognoscendi humanam statuunt. Atque ratio sponte evadit duplex, duabus in divina revelatione rebus nostram cognoscendi aviditatem excitantibus, revelationis facto et eiusdem argumento. Vis enim cognoscendi nostra et ad revelationis factum (sit huic loquendi modo venia; reddo autem nostrum Offenbarungsthatsache) — tam creationem quam redemptionem dico revelationis factum, — pertinet, et ad revelationis argumentum (Offenbarungsinhalt). Quamobrem haec disputatio nostra per se dividitur in duas potissimum partes, quarum prior, possitne ex Clementis sententia revelationis factum utrumque a nobis cognosci, quaeret; altera exponet, quatenus revelationis argumentum a mente humana percipiatur. Singulae autem utriusque partis generalis partitiones, quae utrique subiiciendae erunt, in disputando facile et fient et probabuntur.

§ 2.

Quomodo revelationis factum cognoscatur in creatione.

Ac primum quidem, quid est, quaerere, utrum in creatione dei revelationis cuiusdam factum cognosci possit, nec ne? Certe nihil aliud nisi quaerere, utrum, deum esse, ex hac rerum universitate cognoscere possimus, an minus. Nam si de creatione

loquimur, ipsa voce factum dei creantis agnoscimus. Sed factum illud is cognoscet, qui per hunc, quem cernimus ac percipimus mundum, perviderit deum creatorem. Etenim deus, antea quasi velis obtentus ex aeternitate, creaturus progreditur, ut ita dicam, e velis, non ita quidem, ut rei cuidam ipsi quoque ex aeternitate se revelaret ad eam formandam et illustrandam. Deus enim non ex materia aliqua mundum fabricatus est, sed ex nihilo creavit; idque nulla vi aut necessitate coactus, sed sua sponte et voluntate instituit. Neque vero ulla alia fuit causa, quae illum ad opus creationis impelleret, **nisi ut rebus, quae ab ipso effectae essent, bonitatem suam impertiretur.** Revelationis igitur factum prius esse incipit, quam ei, qui hoc agnoscant, id quod tamen non impedit, ne sit revelationis factum, quod etiam in historia mundi τῇ ἐνεργείᾳ αὐτοῦ procedens semper aperit dei, qui creavit, maiestatem. Sed qualis deus ex his, quae oculis tum corporis tum animi cernimus, perspiciatur, hic non quaeremus, neque quomodo quae vel ad ipsius essentiam vel ad rationem inter ipsum atque mundum pertinent mente comprehendimus. Talia enim quaestionis de revelationis argumento sunt propria. Quae quum ita sint, huius quidem inquisitionis summa in eo inest, ut, quid Clementi de deo per hanc rerum universitatem cognoscendo creatore visum fuerit, explanetur.

§ 3.

Utrum deum ex hoc mundo cognosci a nobis posse Clemens doceat.

Quid Clementi de deo per hanc rerum universitatem cognoscendo creatore visum fuerit, expositeri, primum Cohortationem eius ad Graecos mecum velim inspiciatis. In qua quum magnum philosophorum numerum res creatas habuisse pro creatore exemplis confirmasset, pergit his verbis. At ego vero Dominum spirituum desidero, Dominum ignis, mundi opificem, **deum** requiro, qui soli lucem largitur, **non opera dei.** Quem vestrum nanciscar inquisitionis huius adiutorem? Platonem quidem, si tibi videatur, haud omni ex parte repudiamus. Quomodo igitur, o Plato, deus investigandus? „Patrem enim et effectorem huius rerum universitatis et invenire difficile est, et quum inveneris, ut eum prorsus eloquaris, fieri nequit.“ Quare tandem, quaeso, per ipsum? „Nullo modo enim potest enuntiari.“ Euge, o Plato, attigisti veritatem, ne igitur defatigere, sed una mecum

suscipias boni inquisitionem! Omnibus enim simul hominibus, inprimis autem eis, qui in litteris sunt versati, instillatum est aliquid divinitus effluens (ἐνέστακταί τις ἀπόῤῥοια θεϊκή). Quapropter vel inviti, unum esse deum, omnes concedunt, interitus ortusque expertem, qui supra coeli dorsa alicubi, in sua propria specula vere semper versetur [1]). Quibus verbis Clemens disertissime contra Platonem posse deum unum ex hac rerum universitate cognosci, quinimo cognosci vel ab invitis δι' ἀπόῤῥοιάν τινα θεϊκήν. Sed possit in hoc offendere quispiam, quod de ἀποῤῥοίᾳ quadam θεϊκῇ sermo est. Attamen haec quidem ἀπόῤῥοια neque, ex universa divinae mentis essentia animos nostros carpi hauririque, significat, — quod vetat diserta Clementis doctrina, — neque pertinet ad revelationem, quam vocamus [2]), supernaturalem.

Est autem illuminatio quaedam, qua animi oculus roboratur et acuitur, ut per res effectas cernat effectorem; est nihil aliud, nisi gratia, quam ecclesia tenet infidelibus donatam praevenientem et adiuvantem excitando, illuminando, corroborando, pertinentem eam ad voluntatem quoque. Quamobrem Clemens etiam, Menandrum, qui soli de deorum cognitione gratias agendas esse opinatus sit, refutans haec addit: Neque enim sol unquam ostendet deum verum, sed Logos salubris, qui sol est animae, per quem solum intus in profunda mente ortum ipsius mentis oculus illuminatur [3]). Nam is quoque, qui sine revelatione super-

---

[1]) Protr. p. 59. 1—18.

[2]) Recte discernimus revelationem theologiamque naturalem et supernaturalem. Naturalem enim dicimus eo sensu, ut eam, prout fert hominis natura, e rerum natura accurate considerata acquiri censeamus. Itaque in hac theologia naturali quum omnis rerum a sensibus intelligentiaque (Begriff) disiunctarum cognitio (Idee) e solida, quam de rerum utcunque perceptarum natura instituerimus, consideratione et ratiocinatione exsurgat; tum mentis nostrae naturam, i. e. naturalem cognoscendi vim atque modum, qualis natura nobis insitus est, haud excedit. Supernaturalem autem vocamus eam, quae altius evolat, quam nudae mentis nostrae naturae concessum est; quam potius revelationem, hanc rerum naturam praetervecti, e verbis vel factis eius, qui ipse est supra omnem naturam creatam deducimus. — Haec definivimus, ne in quotidiana notionum omnium confusione, dum attributis istis utor, alius aliud sibi fingat.

[3]) Protr. p. 59: οὐδὲ γὰρ ἥλιος ἐπιδείξει ποτ' ἂν τὸν θεὸν τὸν ἀληθῆ· ἀλλ' ὁ (hoc sine dubio in codd. nonnullis servatum restituendum est pro οὐδὲ) λόγος ὁ ὑγιής, ὅς ἐστιν ἥλιος ψυχῆς, δι' οὗ μόνου ἔνδον ἀνατείλαντος ἐν τῷ βάθει τοῦ νοῦ καὶ τοῦ νοὸς αὐτοῦ καταυγάζεται ὄμμα.

naturali ad deum pervenit, nunquam eo cognitionis progressus esset, nisi Christus per gratiam, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminantem, id ei meruisset. Haec igitur res ita se habet.

Atque Clemens sibi ipse consentaneus et constans, deum sui ipsius conscientia praeditum ab omnibus et poetis et philosophis diligenter cogitantibus creditum fuisse ubique ponit, inprimis Strom. l. V. dimidio altero. Cognoscunt autem philosophi deum creatorem (ποιητὴν), non Patrem[1]). Res enim creatae postulant creatorem: post creationem effectorem desideramus[2]). Sed quum rerum, quae sensibus (exteriori et interiori) percipiuntur, genus sit duplex: unum, quod sensu exteriori percipitur, — totus hic mundus, quem his cernimus oculis quique omnino quoad effectus sensui exteriori subiicitur, i. e. natura corporea, τὸ αἰσθητόν· — alterum, quod cadit sub sensum interiorem, τὸ νοητὸν, quod animos complectitur: quaeritur, utro genere duce secundum Clementem ad deum cognoscendum perveniatur. Respondendum: utroque. Nam quod ad naturam attinet corpoream: hac diligenter contemplanda deum eiusdem effectorem agnosci et saepenumero et apertissime docet. Loquitur autem plerumque eiusmodi locis de totius mundi contemplatione. Et hac quidem via Pythagoram, Socratem, Platonem eo cognitionis processisse affirmat, ut deum esse intelligerent. Hi enim dei se vocem audire dicunt. Clemens autem, quae sit vox illa, inquirens, quum in illud Moysis: dixit et factum est, incidat, dei vocem nihil aliud esse profitetur, nisi dei opus, hunc mundum. Mundi igitur et creatione contemplanda et conservatione illos ad dei cognitionem penetrasse. Pythagoras, inquit, Socrates, Plato, qui dei se vocem exaudire dicunt, dum huius rerum universitatis fabricam, quam deus et fecit perfecte et continet perpetuo, contemplantur, illud quidem Moysis: **Dixit et factum est**, audierunt, quo dei verbum opus ipsum esse declarat. Utrum Clemens philosophorum dicta hic recte interpretetur, an minus, nihil refert; ab ipso vero mundum esse tanquam dei verbum, quod deum testetur atque revelet, doceri, in promptu est[3]). Porro autem hic locus, quem iam

---

[1]) Strom. V. p. 731: *τὸν θεὸν πατέρα μηνύει ὁ υἱὸς ἐν τοῖς πεπιστευκόσι.* cf. 730.

[2]) l. c. II. p. 455: *μετὰ τὴν κτίσιν τὸν ποιητὴν ἐπιποθοῦμεν.*

[3]) Strom. V. p. 707: *Πυθαγόρας, Σωκράτης, Πλάτων λέγοντες ἀκούειν φωνῆς θεοῦ, τὴν κατασκευὴν τῶν ὅλων θεωροῦντες ἀκριβῶς ὑπὸ θεοῦ γεγο-*

sum transscripturus, minime est negligendus. Est enim alioqui homo ita natura generatus, ut ad deum se habeat familiariter. Quemadmodum igitur equum non cogimus arare, neque venari taurum, sed trahimus potius unumquodque animal, ad id, ad quod natum est: sic hominem, ad coeli contemplationem natum, vere plantam coelestem, ad deum cognoscendum hortamur atque, ut viaticum sibi in omnia secula suffecturum, dei cultum, comparet, proprium ipsius, excellens singulareque prae ceteris animantibus comprehendentes suademus. Da, inquam, agriculturae operam, si es agricola: dum autem agros colis, cognosce deum![1]) Et haec quidem Clemens, postquam antea eum, qui de Logo nihil unquam audierit, excusationem erroris sui habere inscitiam docuit, quum addiderit, sequitur, ut his ipsis prior sententia generalis nonnulla saltem ex parte finibus circumscribatur. Nam hinc neminem sanae mentis, nisi crediderit, prorsus excusari posse consequitur. Sed hoc attigisse satis est. Contemplatio autem coeli loco illo idem valet atque via ad dei cognitionem, id quod inde apparet, quod Clemens eam ipsam ob causam hominem hortatur, ut deum cognoscat, quod ad coeli contemplationem natus sit. Deum igitur natura contemplanda cognosci posse Clementi placere hoc testimonio egregio confirmatur. Quinetiam hac via Abraham ad dei cognitionem ascendisse contendit: Abraham, inquit, ex coelorum contemplatione transscendens ad fidem in deum etc.[2]). Eandemque viam omnibus gentibus, ne omnino impii fierent et ab ipso alieni, a deo esse datam. Haec enim ipsa via, ait Clemens, data fuit gentibus, ut per astrorum cultum deum suspicerent[3]).

νυῖαν καὶ συνεχομένην ἀδιαλείπτως· ἀκηκόασι γὰρ τοῦ Μωυσέως λέγοντος· Εἶπε, καὶ ἐγένετο· τὸν λόγον τοῦ θεοῦ ἔργον εἶναι διαγράφοντος.

[1]) Protr. p. 80: *Πέφυκε γὰρ ἄλλως ὁ ἄνθρωπος οἰκείως ἔχειν πρὸς θεόν· ὥσπερ οὖν τὸν ἵππον ἀροῦν οὐ βιαζόμεθα, οὐδὲ τὸν ταῦρον κυνηγετεῖν, πρὸς ὃ πέφυκε δὲ ἕκαστον τῶν ζῴων περιέλκομεν· οὕτως ἀμέλει καὶ τὸν ἄνθρωπον ἐπὶ τὴν οὐρανοῦ γενόμενον θέαν, φυτὸν οὐράνιον ὡς ἀληθῶς, ἐπὶ τὴν γνῶσιν παρακαλοῦμεν τοῦ θεοῦ, τὸ οἰκεῖον αὐτοῦ καὶ ἐξαίρετον καὶ ἰδιωματικὸν παρὰ τὰ ἄλλα ζῷα κατειλημμένοι, αὔταρκες ἐφόδιον αἰώνων, θεοσέβειαν παρασκευάζεσθαι συμβουλεύοντες. γεώργει, φαμὲν, εἰ γεωργὸς εἶ· ἀλλὰ γνῶθι τὸν θεὸν γεωργῶν.*

[2]) Strom. I. p. 334: *Ἀβραὰμ, ἐκ τῆς τῶν οὐρανίων θέας μετιὼν εἰς τὴν κατὰ θεὸν πίστιν κ. τ. λ.* cf. VI. p. 780.

[3]) l. c. VI. p. 795: *ὁδὸς γὰρ ἦν αὕτη δοθεῖσα τοῖς ἔθνεσιν, ἀνακύψαι πρὸς θεὸν διὰ τῆς τῶν ἄστρων θρησκείας.* cf. p. 807.

Nec vero natura solum duce ad deum licet progredi, verum etiam animo contemplando. Nam ex divino, quod est in nobis, causam efficientem, quoad eius fieri potest, una contemplamur[1]). Quibus verbis Clemens explicare vult Apostoli illud: Videmus nunc per speculum. Per speculum enim videmus κατ' ἀνάκλασιν (per luminis reflexionem), quae est in eo, nosmetipsos cognoscentes[2]). Quale est igitur speculum, per quod deum hic videmus? Divinum illud, quod est in nobis, τὸ ἐν ἡμῖν θεῖον, i. e. animus, in quo, quum ad imaginem dei et similitudinem factus sit, deum, ipsum imaginis ἀρχέτυπον, κατ' ἀνάκλασιν cognoscimus. Dum enim τὸ νοερὸν in homine se ipsum agentem νοεῖ, dum τὰ νοητὰ animadvertit, intelligitque vim suam viventem multaque et patientem et efficientem: cognoscat se ut causam affectionum omnium suarum et actionum necesse est, nec tamen ut solam causam ex nulla alia re pendentem, sed necessario, dummodo pergat cogitare, non solum ad naturam extra se, verum etiam ad deum ducitur, causam ἁπλῶς exsistentem, quam vocamus absolutam. Et sic quidem deus per animi speculum non solum tanquam causarum ultima atque summa videtur, sed etiam ut deus vivus ac verus sui iuris et conscius. Atque hoc est speculum, per quod deum cognoverunt, quotquot inter Graecos subtiliter sunt philosophati. Per imaginem, inquit, repercussam et translucentem (κατ' ἔμφασιν δὲ καὶ [τε καὶ?] διάφασιν, quas voces accurate latine reddere nequeo), deum pervident, qui apud Graecos subtiliter sunt philosophati. Nam imbecillitate nostra fit, ut imagines nostrae (dei) verae sint tales, quales in aquis cernuntur, et quales videmus per alia corpora pellucida atque perspicua[3]). Est autem hoc speculum tam sincerum et pellucidum, ut, eo qui utatur, deum non possit non videre: quicunque cognoverit seipsum se cognoscendo deum simul cognoscet. Videtur autem maximum, quod homines didicerunt, fuisse illud: **Cognoscere semetipsum**; nam

---

[1]) l. c. I. p. 374: *ἐκ τοῦ ἐν ἡμῖν θείου τὸ ποιητικὸν αἴτιον, ὡς οἷόντε, συνθεωροῦμεν.*

[2]) Ibid. cf. I Cor. 13. 12.

[3]) Strom. I. p. 374: *καὶ κατ' ἔμφασιν δὲ καὶ διάφασιν οἱ ἀκριβῶς παρ' Ἕλλησι φιλοσοφήσαντες διορῶσι τὸν θεόν· τοιαῦται γὰρ αἱ κατ' ἀδυναμίαν φαντασίαι ἀληθεῖς* (nescio, qua re commotus Lowthius legi iubeat: *ἀληθῶς;*), *ὡς φαντασία καθορᾶται ἐν τοῖς ὕδασιν, καὶ ὁρῶμεν* (minime *ὁρῶμεν καί*, quia similitudo per *ὡς* incepta continuatur) *τὰ διὰ τῶν διαφανῶν καὶ διαυγῶν σωμάτων.*

seipsum si quis cognoverit, **deum sciet**, deum vero sciens similis fiet deo[1]).

Sed quum nihil sine revelatione supernaturali cognosci, nisi demonstrando, Clementi persuasum sit, ad dei cognitionem vel natura vel animo duce per demonstrationis viam perveniri arbitretur oportet. Et sane quidem considerandum est et examinandum. Quum sit autem, ait Clemens, vera dialectica philosophia cum veritate permixta, **res considerans, potentiasque et potestates examinans transcendit ad praestantissimam omniam essentiam; quinetiam conatur ultra progredi ad huius rerum universitatis deum**, non rerum quidem mortalium profitens notitiam, sed divinarum coelestiumque scientiam[2]). Ex eis enim, quae sunt vel κατ' αἴσθησιν vel κατὰ νόησιν ἐναργῶς φαινόμενα, concludendo penetrandum est ad causas, causae autem examinandae, ut caute a causa ex aliis pendente ad absolutam transscendatur[3]).

Quodsi deus ex Clementis sententia mundi creator potest cognosci, ex eiusdem etiam persuasione mundum creatum, i. e. revelationis factum quoddam cognosci ab hominibus oportet. —

---

[1]) Paed. III. p. 250: ἦν ἄρα, ὡς ἔοικε, πάντων μέγιστον μαθημάτων, τὸ γνῶναι αὑτόν· ἑαυτὸν γάρ τις ἐὰν γνῴη, θεὸν εἴσεται· θεὸν δὲ εἰδώς, ἐξομοιωθήσεται θεῷ.

[2]) Strom. I. p. 374: μικτὴ δὲ φιλοσοφία οὖσα τῇ ἀληθείᾳ (nihil mutandum!) ἡ ἀληθὴς διαλεκτική, ἐπισκοποῦσα τὰ πράγματα, καὶ τὰς δυνάμεις καὶ τὰς ἐξουσίας δοκιμάζουσα ὑπεξαναβαίνει περὶ τὴν πάντων κρατίστην οὐσίαν· τολμᾷ τε ἐπέκεινα ἐπὶ τὸν τῶν ὅλων θεόν· οὐκ ἐμπειρίαν τῶν θνητῶν, ἀλλ' ἐπιστήμην τῶν θείων καὶ οὐρανίων ἐπαγγελλομένη.

[3]) Iam fore spero, ut, qui haec legerit, eorum levitatem agnoscat, qui deum esse ex Clementis sententia demonstrari non posse dictitant. Labuntur autem hi viri egregio errore, quod ea, quae Clemens de dei essentia disputat, nihil iudicantes ad eam quaestionem, utrum deus omnino sit, nec ne, perverse referunt. Sed Ritterum audiamus (l. c. p. 434): „Clemens schließt sich hiermit (daß es nämlich von Gott keinen Beweis gebe) der Ueberzeugung an, ... daß Gottes Sein (Existenz) nicht bewiesen werden könne und kein Gegenstand der Wissenschaft sei; denn alles müsse aus seinen Gründen bewiesen werden, Gott aber habe keinen Grund." Quibus igitur, deum esse, non posse demonstrari probetur, haec verba transscribit: ἀλλ' οὐδὲ ἐπιστήμῃ λαμβάνεται τῇ ἀποδεικτικῇ· αὕτη γὰρ ἐκ προτέρων καὶ γνωριμωτέρων συνίσταται, τοῦ δὲ ἀγεννήτου οὐδὲν προϋπάρχει. Strom. V. p. 695—696. Quorum haec: τοῦ δὲ ἀγεννήτου οὐδὲν προϋπάρχει, minus recte versa sunt his verbis: „Gott hat keinen Grund." Nam si ad verbum interpretamur, sic dicendum: eo, quod non est genitum, nihil est prius. Ex prioribus quidem demonstrandum esse Clemens docet, sed haec priora omnis demonstrationis initio necesse est ἐναργῶς φαινόμενα sint, nec vero causae. Consequitur autem ex verbis illis nihil aliud, nisi deum essentiae suae causam non extra se habere. Quaproptrr essentia eius a nobis nullo modo prorsus po-

§ 4.
Possitne revelationis divinae factum quoddam cognosci ab homine in redemptione.

Iam vero ventum est ad revelationem divinam in redemptione factam sive ad revelationem supernaturalem. Quam agnosci a Clemente reapse esse factam primum erit demonstrandum. Nam hanc si negaverit, de ratione inter ipsam et humanam cognoscendi facultatem statuenda sermo iam erit nullus. Sed antequam hoc aggredimur, inquiramus rursus oportet, utrum revelatione supernaturali nobis opus fuisse doceat; deinde videndum est, factamne eam esse persuasum habeat; denique, possitne, factam eam esse, cognosci, exponendum.

§ 5.
Revelatione supernaturali opus esse.

Id igitur, quod quondam, num die an nocte, nescio, nonnullis in mentem venit, Clementi nullam probari revelationem supernaturalem, nihil impedio, quominus in nugis numeretur. Sive enim Protrepticum legeris, sive Paedagogum, sive Stromata: nihil facilius ad intelligendum, nihil evidentius, nihil certius, quam inter revelationem naturalem et supernaturalem discrimen maxime definitum.

Ac primum quidem hominibus revelatione supernaturali opus esse Clementi est persuasissimum. Probat igitur ubique Clemens hanc sententiam: Ea est humanae mentis et intelligentiae ratio, ut, quum **alia multa, quae ad divinarum rerum cognitionem pertinent, ipsa per se**, magno adhibito labore et diligentia, investigaverit ac cognoverit, maximam tamen illorum partem, quibus aeterna salus comparatur, cuius rei inprimis causa homo conditus atque ad imaginem et similitudinem dei creatus est, naturae lumine illu-

---

test comprehendi. Alterum autem, quod magis reprehenderim, in eo consistit, quod Ritterus locum, qui est de dei natura cognoscenda, et cognoscenda quidem ex seipsa, ex sui ipsius evidentia, ad eam quaestionem refert, qua, possitne, deum esse, demonstrari, an minus, disceptatur. Cuiusmodi alter locus hic est: *ὁ μὲν οὖν θεός, ἀναπόδεικτος ὤν, οὐκ ἔστιν ἐπιστημονικός*. Strom. IV. p. 635. Sequitur enim: *ὁ δὲ υἱὸς σοφία τε ἐστὶ καὶ ἐπιστήμη καὶ ἀλήθεια . . . . καὶ δὴ καὶ απόδειξιν ἔχει καὶ διέξοδον.* Est igitur sensus: Nemo novit Patrem nisi filius et cui voluerit filius revelare.

strata (sola) cognoscere aut cernere nunquam potuerit. Quare fit, ut pauci tantum viri praeclari veritatis quidem assequantur aliquantum, vulgus autem prorsus iaceat in tenebris, duplici obtentum ἀθεότητι: priore, quod deum, quum eum, qui vere est deus, minime agnoscant, ignorant, altero autem hoc errore, quod eos, qui non sunt, esse arbitrantes hos deos nominant, qui vere non sunt, nihil aliud, nisi nomen assecuti[1]).

Nec vero solum pauci sunt, qui veritatem attingunt, sed ne hi quidem plenam ac totam invenerunt. Graeca philosophia non comprehendit veritatis magnitudinem[2]). Seiungitur Graeca veritas (i. e. ea, quam Graeca philosophia investigavit) a nostra (christiana) et **cognitionis magnitudine**, et demonstratione praestantiore vique divina et similibus[3]). Gravissima enim dogmata ignorat. Neque de dei Filio, neque de ea, quam regit Providentia, οἰκονομίᾳ similiter, atque nos, disserit (philosophia)[4]). Quae autem cognoscit, ea neque tam accurate, neque tam distincte exponit[5]). Neminem fore spero, cui huiusmodi loci mea egere videantur explicatione. Ad verbum enim, quae sunt probanda, probant. Quibus ita comparatis, non solum plerique philosophiâ ad salutem pervenire prorsus nequeunt, verum etiam pauci isti, qui veritatem aliquam fuerint nacti, vix salvabuntur. Nam accedit, quod philosophia imbecillior est, quam quae mandata Domini conficiat[6]). Itaque quum sapientia mundi nos deserat, deducamus desuper veritatem de coelis[7])!

---

[1]) Protr. p. 19—20: *διττῇ ἐνεσχημένοι (ἄθεοι) τῇ ἀθεότητι· προτέρᾳ μὲν καθ' ἣν ἀγνοοῦσι τὸν θεὸν, τὸν ὄντως ὄντα μὴ γνωρίζοντες θεόν, ἑτέρᾳ καὶ δευτέρᾳ ταύτῃ πλάνῃ τοὺς οὐκ ὄντας ὡς ὄντας νομίζοντες, καὶ θεοὺς τούτους ὀνομάζοντες τοὺς οὐκ ὄντως ὄντας.*

[2]) Strom. I. p. 366: *ἡ Ἑλληνικὴ φιλοσοφία οὐ καταλαμβάνει τὸ μέγεθος τῆς ἀληθείας.*

[3]) Ibid. p. 376: *χωρίζεταί τε ἡ Ἑλληνικὴ ἀλήθεια τῆς καθ' ἡμᾶς ..... καὶ μεγέθει γνώσεως καὶ ἀποδείξει κυριωτέρᾳ καὶ θείᾳ δυνάμει καὶ τοῖς ὁμοίοις.*

[4]) l. c. VI. p. 802: *οὔτε γὰρ περὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ οὔτε περὶ τῆς κατὰ τὴν πρόνοιαν οἰκονομίας ὁμοίως ἡμῖν διαλαμβάνει (φιλοσοφία).*

[5]) Ibid: *τὰ πρὸς ἀκρίβειαν δὲ καὶ τὰ ἐπὶ μέρους οὐκ ἔτι σώζει.*

[6]) l. c. I. p. 366: *ἐξασθενεῖ πράττειν τὰς κυριακὰς ἐντολάς.*

[7]) Protr. p. 3: *κατάγωμεν ἄνωθεν ἐξ οὐρανῶν ἀλήθειαν.*

§ 6.

Revelationem supernaturalem exsistere.

Nec vero solum revelatione supernaturali opus esse agnoscit, verum etiam eandem exsistere affirmat. Utrumque enim testamentum a philosophia ita prorsus segregat, ut illius deus sit causa principalis, i. e. ut veritatem de coelo immediate, ut dicimus, communicatam homines audiendo percipiant; huius autem secundaria, per res quidem creatas se ipse creatorem manifestans, ut hac via vix tandem veritas demonstrando laboriose acquiratur. Omnium enim bonorum deus est causa; sed aliorum quidem **principaliter** velut Testamenti et veteris et novi; aliorum autem **per consequentiam** sicut philosophiae[1]). Imo eam ipsam ob causam differt christiana doctrina a philosophorum placitis quamvis veris et cognitionis magnitudine et demonstratione praestantiore vique divina et similibus, quod deus ipse immediate eam communicavit. A deo enim docti sumus nos quidem, ut qui a dei Filio litteras vere divinas didicerimus; unde non perinde ac nos movent (philosophi) animas, sed diversa disciplina[2]). Sed nolo in re tam aperta esse multus, qua negata, Clementis sententia de Logo, qui est ei ὁ φανερώτατος ὄντως θεός, prorsus everteretur.

---

[1]) Strom. I. p. 331: *πάντων μὲν γὰρ αἴτιος τῶν καλῶν ὁ θεός· ἀλλὰ τῶν μὲν κατὰ προηγούμενον, ὡς τῆς τε διαθήκης τῆς παλαιᾶς καὶ τῆς νέας· τῶν δὲ κατ' ἐπακολούθημα, ὡς τῆς φιλοσοφίας.* Quomodo Ritterus, qui tam magna cum confidentia de Clemente inique iudicat, huic sua commenta interponat, ex huius loci ad intelligendum facillimi interpretatione licet colligere: „Zwar zögert er (Clemens) noch einen Augenblick, dem jüdischen Gesetze die Philosophie gleich zu setzen, wenn er unter den Gütern, welche alle von Gott sind, Güter des ersten Ranges und untergeordnete Güter unterscheidet, zu jenen aber das alte und neue Testament, zu diesen die Philosophie zählt ꝛc." (l. c. p. 426—427.). Iam ut de eo taceam, quod locus ille non agit de ratione, quae sit inter legem Iudaicam et philosophiam, ut qui ad totam revelationem supernaturalem diserte referatur: Ritterus prorsus eum perturbat ac pervertit, *τὸ* enim *κατὰ προηγούμενον* et *κατ' ἐπακολούθημα* cum voce *αἴτιος* coniungenda sunt, minime vero ad *τὸ καλῶν* referenda, quod ut videas, nihil opus est, quam ut grammaticae nonnulla ex parte sis peritus.

[2]) Strom. I. 376: *θεοδίδακτοι γὰρ ἡμεῖς, ἱερὰ ὄντως γράμματα παρὰ τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ παιδευόμενοι· ἔνθεν οὐδ' ὡσαύτως κινοῦσι τὰς ψυχὰς ἀλλὰ διαφόρῳ διδασκαλίᾳ.*

§ 7.

Revelationem supernaturalem factam esse cognosci posse.

Sed quum revelationem supernaturalem, Clemente auctore, et necessariam esse et exsistere constet: deinceps, utrum ex eiusdem sententia cognosei possit ab homine, nec ne, anquirendum est. Et in universum quidem eum illud docere, faeillimum est ad animadvertendum. Omnium enim, quae seripsit, consilium id habuit, ut deum supernaturali via revelatum hominibus, quî possit revera eognosci, profiteretur et in auditorum salutem nunciaret. Qui, e. g., Protrepticum sineere et cogitate perlegerit, hunc libellum, ut loco demonstravimus, eam ob causam ab auetore haud difficile cognoscet scriptum esse, ut euivis bonae voluntatis homini persuaderetur, deos gentium inprimis Graecorum esse vel fictos, vel daemonia, vel res ereatas, vel philosophorum quorundam placita vana; deum autem verum et vivum **per filium revelatum** coelos feeisse. Duplicem enim esse gentium a deo separationem, unam, quod deum vere exsistentem ignorarent, alteram, quod non exsistentes deos esse opinarentur (l. l.). Utramque vero, et infidelitatem[1]) et superstitionem, — quarum altera ab altera nunquam segregata reperitur, ne apud aequales quidem nostros et nostrates, quamvis χαρίεντας, — utramque igitur homini culpae esse vertendam. Quum enim credendum fuisset Prophetis, iam ipsum manifesto loqui Logon, ut pudorem incuteret infidelitati[2]). Quodsi Clemens deum verum et vivum ut via supernaturali (per Prophetas et per Filium) revelatum praedicat, ipse, revelationem supernaturalem factam esse, se cognovisse arbitretur necesse est. Nec vero hoc solum, sed sequitur etiam, a quovis homine eandem cognosci posse ei fuisse persuasum. Nam si ignoratio culpae vertitur, vinci eam posse oportet. Et profecto Clemens eam cuique, qui Evangelium audivit, culpae vertit. Qui quidem, inquit, Logon nondum audivit, veniam erroris habet ignorationem; qui vero auribus accepit, mente autem consulto fert infidelitatem, quo videbitur esse pruden-

---

[1]) Hae infidelitatis voce libenter utar, ut eius, qui credere noluerit, significem impietatem. Fides deo debetur. Qui non eredit, esse deum, quomodo fidem ei servabit?

[2]) Protr. p. 8: *καὶ αὐτὸς ἤδη σοὶ ἐναργῶς ὁ Λόγος λαλεῖ, δυσωπῶν τὴν ἀπιστίαν.*

tior, eo perniciosior ei cognitio[1]). Sed enucleemus hanc rem accuratius.

Siquidem igitur, quaecunque cognoscuntur, ea demonstratione cognoscantur oportet, nulla autem est demonstratio, nisi nonnulla, utpote tam evidenter apparentia, ut nemo sanae mentis unquam de eis dubitet, vera habentur neque ipsa quidem ulla demonstratione egentia; merito primum, quae sint ista in cognoscendo revelationis supernaturalis facto evidenter apparentia, quaerimus. Sunt autem, ut statim dicam, ea, quae audiuntur praedicata **ut verba dei.** Nec vero haec ita evidenter apparere a nobis dicuntur, quasi omnia, quae a quovis homine ut verba dei praedicentur, protenus divina intelligantur audiendo et teneantur; sed ita duntaxat, ut auditori sit persuasissimum, se haec ipsa ut verba dei praedicata **audire**, praedicantem nihil aliud eloqui, pronuntiare, quam ipse audiat: nihil vero amplius. Nam fides, quae cognitionem certam sequitur, per auditum et praedicationem[2]). Quamobrem qui alioqui mortui erant nec verae vitae participes, tum quidem, postquam cantici novi (Evangelii Christi) **auditores** tantum facti sunt, revixerunt[3]). Et hoc fidei initium, quod in audiendo cernitur, tam necessarium est, ut, qui non audierit, eum erroris veniam habere ignorationem Clemens non dubitet affirmare (l. l.). Itaque etiam Christum apparuisse doctorem dicit[4]); nos autem sumus a deo docti (θεοδίδακτοι, l. l.). Nec porro veritas ex imitatione docetur; — ex imitatione docent, qui probabile quaerunt, non id, quod verum est, τὸ πιθανὸν, οὐ τὸ ἀληθές; — sed ex disciplina[5]). **Catechesis** enim ad fidem ducit[6]). Nullus ergo vera catechesi melior aurium ornatus, per naturales auditus meatus descendens. Oculi autem uncti Logo et aures ad sensum perforatae divinarum auditorem rerum et sanctarum contemplatorem efficiunt, ipso Logo vere veram

---

[1]) l. c. p. 79: *ὁ μὲν ἄπυστος τοῦ Λόγου συγγνώμην τῆς πλάνης ἔχει τὴν ἄγνοιαν· ὁ δὲ εἰς ὦτα βαλλόμενος καὶ τῇ ψυχῇ παρὰ τῆς γνώμης φέρων τὴν ἀπείθειαν, ὅσῳ γε φρονιμώτερος εἶναι δόξει, πρὸς κακοῦ ἡ σύνεσις αὐτῷ.*

[2]) Strom. II. p. 442: *πίστις δι' ἀκοῆς καὶ τῆς τῶν Ἀποστόλων κηρύξεως.*

[3]) Protr. p. 5: *οἱ δὲ τηνάλλως ὡς νεκροὶ, οἱ τῆς ὄντως οὔσης ἀμέτοχοι ζωῆς ἀκροαταὶ μόνον γενόμενοι τοῦ ᾄσματος, ἀνεβίωσαν.*

[4]) Ibid. p. 7: *ὁ Λόγος, ὃ ἦν πρὸς τὸν θεὸν, διδάσκαλος ἐπεφάνη.*

[5]) Strom. VI. p. 817: *ἐκ μιμήσεως δὲ ἀλήθεια οὐ διδάσκεται, ἀλλ' ἐκ μαθήσεως.* cf. Paed. I. p. 125.

[6]) Paed. I. p. 116: *ἡ μὲν γὰρ κατήχησις εἰς πίστιν περιάγει.*

ostendente pulchritudinem, quam neque oculus vidit neque auris audivit antea[1]).

Sed illud audire, unde τὸ ἐναργῶς φαινόμενον nascitur, nondum est ipsum cognoscere, causa, quae audita vera esse persuadet, desiderata. Nihil enim, causa ignorata, ex Clementis sententia cognoscitur. Sed visus, auditus, voxque conferunt quidem ad veritatem, mens autem est, qui eam naturaliter cognoscit[2]). Quapropter: Audite me, inquit .... et quae dicta erunt, condita in mente tenete[3]). Qui audierunt et crediderunt, ei quidem salvantur[4]). Ut autem credatur, quum audiisse verba dei non sit satis, quaeritur, quo adiumento praeterea opus sit. Opus est igitur, ut gratia divina illuminans et praeveniat et adiuvet. Quoniam autem, ait Clemens, cognitio oritur una cum illuminatione, circa mentem refulgens, statim etiam discipuli audimus, qui doctrinae expertes fuimus, illa doctrina prius aliquando accedente; nam certum tempus definiri haud potest. Catechesis enim ad fidem deducit; fides autem simul cum baptismo a sancto docetur Spiritu[5]). Videri autem potuerit cuipiam totus hic locus de sola baptismatis gratia agere; videatur, non est ita. Nam si esset, num posset contendi: tempus, quo audimus discipuli antea rudes, definiri nequit? Tempus esset haud dubie ipsum baptismatis momentum. Sed de φωτίσματι sermo est, quod illuminat, dum sumus ἀμαθεῖς; ideoque non solum τῆς κατηχήσεως diebus, verum etiam antea. Nec vero aures una cum gratia divina fidei perficiendae sufficiunt.

Accedat igitur oportet tertium aliquod, et id quidem solius

---

[1]) l. c. II. p. 248: *οὔτε μὴν ἄλλος ἀμείνων ἂν εἴη τῶν ὤτων κόσμος, εἰς τοὺς κατὰ φύσιν τῆς ἀκοῆς καταβαίνων πόρους, κατηχήσεως ἀληθοῦς, ὀφθαλμοὶ δὲ ὑπαληλιμμένοι Λόγῳ, καὶ ὦτα εἰς αἴσθησιν διετετρημένα, θείων ἀκουστὴν καὶ ἁγίων ἐπόπτην παρασκευάζουσιν, δεικνύντος ὡς ἀληθῶς τοῦ Λόγου τὸ κάλλος τὸ ἀληθινὸν, ὃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, οὐδὲ οὖς ἤκουσε πρότερον.*

[2]) Strom. I. 377: *ἡ ὄψις συμβάλλεται, καὶ ἡ ἀκοὴ καὶ ἡ φωνὴ προς τὴν ἀλήθειαν· νοῦς δὲ, ὁ γνωρίζων αὐτὴν προσφυώς.*

[3]) Protr. p. 83: *ἀκούσατέ μου, καὶ μὴ τὰ ὦτα ἀποβύσατε, μηδὲ τὰς ἀκοὰς ἀποφράξητε (ἀποφράξατε), ἀλλ' εἰς νοῦν βάλεσθε τὰ λεγόμενα.*

[4]) Strom. VI. p. 765: *οἱ ἀκούσαντες καὶ πιστεύσαντες.*

[5]) Paed. I. p. 116: *ὅτι δὲ ἡ γνῶσις συνανατέλλει τῷ φωτίσματι, περιαστράπτουσα τὸν νοῦν, καὶ εὐθέως ἀκούομεν μαθηταὶ οἱ ἀμαθεῖς· πρότερόν ποτε τῆς μαθήσεως ἐκείνης προσγενομένης· οὐ γὰρ ἂν ἔχοις εἰπεῖν τὸν χρόνον. ἡ μὲν γὰρ κατήχησις εἰς πίστιν περιάγει· πίστις δὲ ἅμα βαπτίσματι ἁγίῳ παιδεύεται Πνεύματι.*

animi munus gravissimum. Nam si auribus et gratia fides perficeretur, omnis non credentium culpa caderet in deum. Quod absit! A culpa enim eius, qui optimum non elegit, deus prorsus alienus, neque ulla ex parte causa[1]). Sed munus illud gravissimum in eo consistit, ut auditor, quae praedicata ut verba dei audiverit, ea omnia probet, examinet, probata aut eligat aut reiiciat. Iam vero aliorum est verbum fenerari, aliorum autem probare et aut eligere aut non eligere: iudicium vero in ipsis iudicatur[2]). De electione, qua quidem ad fidem perficiendam opus est, ad cognoscendum autem non item, hic non agimus[3]). Sed quid est τὸ δοκιμάσαι? Nihil aliud nisi rem ita probare examinando, ut recte possit diiudicari, utrum sit approbanda, an reiicienda. Eiusmodi autem probatio, quum scientiam habeat finem, nihil vero, causa non nota, sciatur, quomodo institui possit, nisi demonstrando? Et ita quidem res se habet. Ut recte probetur, demonstrandum est. Nam primum ex eis, quae sunt ἐναργῶς audita, perscrutando ea indagare oportet, quae vel ἐναργῶς vel demonstratione aliunde petita apparent vera; e quibus ut certis deinceps certo demonstratur. Etenim eo redit omnis quaestio, ut verba tanquam divina praedicata demonstretur reapse esse verba divina. **Divinitas** enim verborum neque exteriori neque interiori sensu potest unquam percipi; sed opus est, ut haec concludatur ex eo, quod deus sit, qui primus ea communicaverit. At vero, inquiet quispiam, hoc profecto Clemens τῷ δοκιμάσαι indicare velle non potest, quum a deo, qui sit solus fide dignus, ut

---

[1]) Strom. I. p. 318: *τῇ δὲ αἰτίᾳ τοῦ μὴ τὰ (τὸ) βέλτιστον ἑλομένου θεὸς ἀναίτιος.*

[2]) Strom. I. p. 318: *αὐτίκα τῶν μὲν ἐκδανεῖσαι τὸν λόγον ἔργον ἐστίν· τῶν δὲ δοκιμάσαι καὶ ἤτοι ἑλέσθαι, ἢ μή· ἡ κρίσις δὲ ἐν αὐτοῖς κρίνεται.*

[3]) De fide enim, quae adhibetur maxime argumento revelationis, cuius nos nunc potius quaerimus originem, in altera huius disputationis parte disseremus. Quum autem animi actiones artissime cohaereant inter se atque sese excipiant, non potuit fieri, quin, dum revelationis facti cognitionem acquiri posse probamus, fidem et argumento adhibitam et pariter ad factum pertinentem attingeremus. Ascendimus enim ab auditu per cognitionem ad fidem. Quae quasi fastigium quoddam esse videtur cognitionis humanae, eius quidem, quae in credendi rationibus versatur; fides enim, quam adhibemus revelationis supern. argumento, admodum alta est et munita, ut quae pertineat ad altitudinem divitiarum et sapientiae et scientiae dei, nec facile labefactatur. E fastigio igitur hic redeamus oportet ad fundamentum, quod quidem et ipsum est initium quoddam fidei, ad probandam revelationis supernaturalis originem.

dicta demonstret, non esse postulandum apertissime fateatur[1]), quinimo asseveret, si quis Dominum, doctrinae principium, alio egere principio fuerit opinatur, ei, Dominum iam non esse principium, fore, ut concedendum sit[2]). Sed id, quod in hac argumentatione praemittitur, verum est, quod concluditur, falsum, quia perverse concluditur. Nam id minime demonstrandum ex Clementis sententia, cur res revelata quaedam ex sua ipsius evidentia habenda sit vera, sed rem revera esse revelatam. Neque enim τὸ διότι quaeritur, sed τὸ ὅτι. Si deus ut ipsa veritas agnoscitur, quaecunque ex hoc fonte manant, eis nulla alia causa, qua probentur, opus est, quam quod inde manant. Quamobrem, ut, quae divinitus tradita praedicantur, cognoscantur, unum est, quod fieri oportet, ut primum praedicatorem Christum vel deum esse vel quae nuntiet a deo accepisse demonstretur; alterum, ut demonstretur, quae sive scripto sive sine scripto traditionibus adhuc praedicantur, a Christo ea ut primo fonte petita esse. Quodsi utrumque demonstratum est, praeterea, cur res quaedam revelata, per se considerata, vera sit, ut credatur, demonstrationes flagitare a deo, veritate ipsa, ineptum est. Namque voce Domini nihil firmius, nihil certius, nihil verius, nihil demonstratione omni superius. Qui est igitur, ait Clemens, ex semetipso fidelis, ei merito fides habetur in Dominica scriptura ac voce, quae per Dominum operatur in hominum beneficium. Ad rerum autem inventionem ipsa (Domini voce) utimur κριτηρίῳ. Quidquid vero iudicatur, id, priusquam fuerit iudicatum, non creditur, ut neque principium sit id, cui opus est iudicio. Merito ergo quum fide comprehenderimus principium, quod nequit demonstrari, abundanter demonstrationes ab ipso principio de principio sumentes, voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis. Neque enim hominibus simpliciter affirmantibus fidem habeamus, ut quibus liceat etiam enunciare contrarium. Quodsi simpliciter, quod visum fuerit, dixisse non est satis, sed dictum oportet etiam probare: non hominum exspectamus testimonium, sed voce Domini

---

[1]) Strom. II. p. 442.

[2]) l. c. VII. p. 890: *ἔχομεν γὰρ τὴν ἀρχὴν τῆς διδασκαλίας τὸν κύριον, διά τε τῶν Προφητῶν, διά τε τοῦ εὐαγγελίου καὶ διὰ τῶν μακαρίων Ἀποστόλων πολυτρόπως καὶ πολυμερῶς ἐξ ἀρχῆς εἰς τέλος ἡγούμενον τῆς γνώσεως. τὴν ἀρχὴν δ' εἴτις ἑτέρου δεῖσθαι ὑπολάβοι, οὐκέτ' ἂν ὄντως ἀρχὴ φυλαχθείη.*

probamus id, quod quaeritur, quae omnibus demonstrationibus magis digna est fide, vel potius ipsa sola demonstratio[1]). Sed hic locus iam ulterius progreditur. Scriptura enim sacra et traditio nostra (φωνή) fide sunt dignae — quod attinet ad argumentum; nam a Christo sive ab Apostolis eas esse profectas demonstrandum est, hoc loco autem ponitur; — sunt illae igitur fide dignae eam ipsam ob causam, quod deum, solum fide dignum, habent auctorem. Et quia ipsa veritas, quaevis dixerit, etiam de se ipsa, in his fide digna est: sacrae scripturae itemque traditioni, etiam de se ipsis loquentibus, credendum est. Itaque ex ipsis de ipsarum auctoritate recte demonstramus. Quam sententiam verbis illis, quae modo transscripsimus, Clemens statim adnectit. Sic igitur nos quoque ex ipsis de ipsis scripturis perfecte demonstrantes ex fide persuademus ἀποδεικτικῶς[2]).

Sed hinc quoque nonnulla sequuntur nova. Clemens enim disertis verbis declarat, ut s. s. scripturarum argumentum tanquam divinum cognoscatur, esse demonstrandum; qua de re postea copiosius disseremus. Nunc id videamus, utrumne Christum deum esse demonstraverit, vel posse id demonstrari docuerit saltem, et si alterutrum constiterit, sintne sacrae scripturae traditionesque ab ipso profectae. Ad prius igitur quod attinet, Christum deum esse tam aperte tamque ingenue sexcenties fatetur, ut, qui hoc propter vocem quandam haud satis perspectam neget, eum refutare operae pretium hoc quidem loco non esse arbitrer. Sed num doceat tantum, an probet etiam et demonstret, perscrutandum est. Et non desunt quidem demonstrationis huiusmodi vestigia, veluti p. 804 sqq., Christum deum esse agnoscendum propter praedictiones, indicatur; quod vero hic indicatur, id alias accurate declaratur: Filium esse dei, huncque ipsum Servatorem et Dominum, quem nos dicimus, aperte divinae ostendunt prophetiae[3]). Et quomodo ostendant, id probare Clementi fuit in animo. Nihil tamen eiusmodi probationis ad nos pervenit. Pollicetur autem,

---

[1]) Strom. VII. p. 890: …… εἰ δ' οὐκ ἀρκεῖ μόνον ἁπλῶς εἰπεῖν τὸ δόξαν, ἀλλὰ πιστώσασθαι δεῖ τὸ λεχθὲν, οὐ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, ἀλλὰ τῇ τοῦ Κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον, ἣ πασῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρα, μᾶλλον δὲ, ἣ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει.

[2]) Strom. VII. p. 891: οὕτως οὖν καὶ ἡμεῖς ἀπ' αὐτῶν περὶ αὐτῶν τῶν γραφῶν τελείως ἀποδεικνύντες ἐκ πίστεως πειθόμεθα ἀποδεικτικῶς.

[3]) l. c. p. 832: υἱὸν δὲ εἶναι τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦτον εἶναι τὸν σωτῆρα καὶ κύριον, ὃν ἡμεῖς φαμὲν, ἄντικρυς αἱ θεῖαι παριςᾶσι προφητεῖαι.

postquam septem Strom. libris, morali tradita disciplina, gnostici vitam non modo a deo non esse alienam separatamque, verum etiam soli deo vero et vivo eum recte servire demonstraverit philosophis: his igitur absolutis, se esse, quaecunque vel a Graecis vel a barbaris **contra adventum Domini** dicantur, quidquid dubitationis moveatur, refutaturum, pollicetur [1]). A quibus dubitationibus diluendis demonstratio, qualem quaerimus apud Clementem, seiungi nequit. Neque ipse dubito, quin, si praeter librum VIII. iuste finitum nonum vel decimum haberemus, futurum esset, ut promissionem illam praeclare solutam videremus, praesertim quum l. VII. p. 886. Clemens eam repetiisse animadvertam. Sed quod ad hanc disputationem meam attinet, nihil interest, num pervenerit ad nos demonstratio de Christo deo Clementina, nec ne; satis est scire, Clementem, ut vere eum deum esse demonstretur, iure ad cognoscendum revelationis supernaturalis factum postulari concedere vel potius docere. Quamquam etiam, quibus ex eius sententia argumentis demonstrandum sit, minime ignoramus. Nam quid prophetiis tribuat, modo didicimus; neque de signis, de doctrina, de Christi vita similia afferre difficile sit.

Iam vero, Christo deo agnito, si quid praedicatur tanquam ab eo acceptum, perscrutandum est, verene sit ab eo profectum. Quod ut cognoscatur, primum quaerendum est, in quorum manibus thesaurum suum ipse, homo in vivis mortalibus, deposuerit. Et hi quidem sunt secundum Clementem ei, qui primi ecclesiam constituerunt. Sed etiam de ecclesia, qualis sit, se esse dicturum Clemens frustra nobis pollicetur [2]). Ex eis autem, quae in Stromatis passim de ea concinne atque egregie indicavit, nonnulla, quae huc pertinent, referam. Si Christus igitur creditur deus, qui in ecclesia a se condita omnem veritatem deposuit: ad revelationis supernaturalis factum continuatum cognoscendum haud dubie, ut vera ecclesia agnoscatur, opus est. Quoniam autem, quum multae ecclesiae christianas se velint haberi, nec tamen una plures a Christo sint oriundae, quaenam vere ab eo proficiscatur discernere, perdifficile est: sunt, qui ignorationis suae culpam esse nullam opinentur. Et verum quidem est, inveniri haeresium discrepantiam, cuius rei causa est, quod omne bonum sequitur macula [3]); sed ideo minime est desperandum, magis potius enitendum et providendum.

---

[1]) Strom. VI. p. 736.
[2]) Strom. VII. p. 900.
[3]) Strom. VII. p. 887: *ὅτι παντὶ τῷ καλῷ μῶμος ἕπεται.*

Est enim demonstratio, qua licet, explosis omnibus ecclesiis falsis, i. e. haeresibus, ad veram ascendere et antiquam. Quum enim sit demonstratio, ad quaestiones descendamus oportet, et per ipsas scripturas ediscamus demonstrandi via, quum quomodo lapsae sint haereses, **tum quomodo in sola veritate atque in antiqua ecclesia accuratissima sit cognitio et haeresis revera optima**[1]). Potest autem vera ecclesia demonstrari, quia signis quibusdam perspicua sit necesse est, — quae neque desunt, — ut cuivis sincere ac diligenter quaerenti appareat statim. Namque una est et unica, catholica, apostolica[2]). Sed haec uberius exponere non est huius loci.

Quae quum ita sint, revelationis supernaturalis factum in redemptione posse cognosci ex Clementis sententia constare videtur. Haec autem cognitio ex auditu inchoata, divina gratia excitante et adiuvante, perficitur demonstratione, qua usque ad fidei initium deducimur. Demonstratio vero primum pertinet ad Christum deum, deinde ad ecclesiam conditam, denique ad ecclesiam veram inter omnes falsas diiudicandam.

§ 8.

De revelationis utriusque argumento.

Iam vero postquam, revelationis factum et in creatione et in redemptione cognosci posse e Clementis sententia, probavimus, quaeritur, quatenus utriusque argumentum a mente humana percipiatur. Et hoc quidem rei caput est. Nam quid, quaeso, conducat, si factum quoddam cognoverimus, cuius argumentum nihil omnino pertineat ad nos, nescientes scilicet, quid factum sit? Maxime autem revelationis factum, si quid revelatum sit, mente nostra percipere nullo modo possimus, magis idoneum sit, quo perturbemur, quam quo laetemur. Quamobrem Clemens hac de re quid teneri velit disertissime nobis declarat. Atque in universum quidem, duplici modo nos potiri revelationis argumento ab eo doceri, animadvertendum fide et γνώσει, ut deinceps de his ipsis inquiramus oporteat. Quoniam autem Clementis harum virtutum definitiones et exposi-

---

1) Ibid. p. 888: *ἀποδείξεως δ' οὔσης, ἀνάγκη συγκαταβαίνειν εἰς τὰς ζητήσεις, καὶ δι' αὐτῶν τῶν γραφῶν ἐκμανθάνειν ἀποδεικτικῶς, ὅπως μὲν ἀπεσφάλησαν αἱ αἱρέσεις, ὅπως δὲ ἐν μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ καὶ τῇ ἀρχαίᾳ Ἐκκλησίᾳ ἥτε ἀκριβεστάτη γνῶσις καὶ ἡ τῷ ὄντι ἀρίστη αἵρεσις.*

2) l. c. p. 898—900.

tiones sunt abundantissimae atque uberrimae, delectum habeamus necesse erit. Necessaria vero nunquam omittemus. Ac primum quidem disseramus de fidei natura.

§ 9.
De fidei natura.

Ut quis credere possit, necesse est cognoscat aliquid nonnulla saltem ex parte; sine ulla enim rei credendae (des Glaubens-Objectes) notione credi prorsus nequit. Veluti revelationis naturalis factum, quod dicimus; a nemine creditur, quin ipsum tale cognoverit. Sed deo ex mundi contemplatione cognito, mundum hunc esse creatum ideoque creatoris revelationem quandam credimus. Quapropter Clemens „fidem non esse sine cognitione" censet[1]). Nec vero qui credit, fide sola rem divinitus communicatam cum hominibus penitus perspicit et cognitione quasi pervadit. Fatendum est potius, mentem nostram revelationis utriusque (naturalis et supernaturalis) argumento toto (des ganzen Offenbarungsinhaltes) potiri dupliciter: fide et γνώσει. Et de fide quidem nunc inquiramus.

Quidquid igitur pro revelationis argumento habetur, id quaerendum est ibi, ubi adhuc conservari revelationem omnem credimus, i. e. in ecclesia vera. Hoc autem vel illud ab ecclesia ut revelationis argumentum quoddam sine ulla dubitatione doceri, demonstrandum est[2]). Quod ut recte fiat, nullam aliam regulam normamque, qua utamur oportet, habemus, nisi „ecclesiasticam traditionem[3])." Oportet enim veritatis inveniendae regulam ab ipsa veritate acceptam possidere, nisi quis in maximos voluerit errores unoquoque gradu incidere, ut qui veri et falsi nota (κριτηρίῳ) careat[4]). Vivo autem verbo opus est, ut verbum quasi mortuum cum animo viventi communicetur. Et vivum quidem verbum, de quo hic loquor, est id, quod „oretenus" uno tanquam fluminis tenore fluit ex ore Salvatoris per Apostolos et episcopos ad aures nostras. Atque

---

[1]) Strom. V. p. 643. 11. ed. Potter. *ἡ πίστις οὐκ ἄνευ γνώσεως.*

[2]) Haec a Clemente doceri hoc loco pono, ne longius a proposito deflectat disputatio. Cf. Prooem.

[3]) Strom. VII. p. 890. 24. *ἐκκλεσιαστικὴν παράδοσιν.* Ecclesiasticam traditionem a Clemente non solum scripturae interpretandae normam probari, verum etiam fontem et argumentum eorum inprimis dogmatum, quae s. scriptura vel vix indicantur vel prorsus omittuntur, demonstrare ab hoc loco alienum esse videtur. Dico autem, hanc alteram traditionis vim saepe et aperte ab eo agnosci ac defendi.

[4]) Ibid: *σφάλλεσθαι γὰρ ἀνάγκη μέγιστα τοὺς μεγίστοις ἐγχειροῦντας πράγμασιν, ἣν μὴ τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας παρ᾽ αὐτῆς λαβόντες ἔχωσι τῆς*

hoc verbi divini flumen nemo, qui rationem sequitur, deserit; sed qui „sua ipsius cupiditate“[1]) „gloriaeque aviditate“[2]) decipitur, illo relicto, falsas opiniones sectatur. „At vero, qui τῇ γνώσει praeditus est[3]), quum in ipsis consenuerit scripturis, ut qui rectam Apostolicam et ecclesiasticam dogmatum normam conservet, Evangelio convenienter vivit rectissime, a Domino, a lege, a prophetis arcessitus, ut, quas quaesierit, inveniat demonstrationes“[4]). Christus igitur stare debet pro demonstratione, qui habet solus verba veritatis, cuius vox est audienda; auditur autem in ecclesiastica traditione, quae et ipsa, qua perspiciatur, normam praebet. Quid ergo? Semperne affirmandum est: „ipse dixit!“ nunquam vero quidquam demonstrandum? Minime ita! Id enim ipsum, „eum dixisse,“ demonstrandum est[5]). Nam affirmare tantum sine ulla demonstratione, haereticorum est. Qui, quod ad affirmandum attinet sine demonstratione, eadem fronte, quasi verissima dicant, se gerere solent, qua scientes, quae sciunt, eloquuntur[6]). Non demonstrare, demonstrandi laborem fu-

---

ἀληθείας. οἱ τοιοῦτοι δὲ, ἅτε ἀποπεσόντες τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ, καὶ τοῖς πλείστοις τῶν κατὰ μέρος σφάλλονται. εἰκότως, διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἀληθῶν καὶ ψευδῶν κριτήριον, συγγεγυμνασμένον ἀκριβῶς τὰ δέοντα αἱρεῖσθαι. In schola Alex., inprimis autem apud Clementem in s. s. scripturis interpretandis normam fidei ecclesiasticam non admodum respici, quod Redepenningius (Orig. p. 99) contendit, equidem in Clementis scriptis, quum contrarium, ut hoc loco, saepe cognoscerem, animadvertere nunquam potui.

¹) l. c. p. 891. 39. φιλαυτίᾳ.

²) l. c. p. 896. 10. δόξης ἐπιθυμίᾳ.

³) γνωστικὸς, qui hoc loco opponitur hominibus inflatis et gloriosis, qui, quum ab omni criticorum diligentia, religione, labore alieni sint nihilque demonstrent, tamen tradita discere nolunt sed ubique sua interponunt commenta.

⁴) Strom. l. c. p. 896. 22—27. Ὁ γνωστικὸς ἄρα ἡμῖν μόνος ἐν αὐταῖς καταγηράσας ταῖς γραφαῖς, τὴν Ἀποστολικὴν καὶ ἐκκλησιαστικὴν σώζων ὀρθοτομίαν τῶν δογμάτων, κατα τὸ εὐαγγέλιον ὀρθότατα βιοῖ, τὰς ἀποδείξεις, ὡς (ἃς) ἂν ἐπιζητήσῃ, ἀνευρίσκειν ἀναπεμπόμενος ὑπὸ τοῦ Κυρίου ἀπό τε νόμου καὶ προφητῶν.

⁵) De fide in hoc libello dissero, quae ad singula pertinet dogmata. Id vero, quominus generalem fidei naturam notionemque indagemus, minime impedit. Christum autem divina auctoritate esse praeditum, imo ipsum deum, qui veritatem a se cum hominibus communicatam in ecclesia, eaque catholica, deposuerit, item et principio quidem demonstrandum esse Clemens non minus aperte docet. Sed hanc rem exponere alius est disputationis.

⁶) l. c. p. 894. 15—18. οὐδὲν γοῦν σαφέστερον ἰδεῖν ἔστι, τοὺς ἐπισταμένους περὶ ὧν ἴσασι διαβεβαιομένους, καὶ περὶ ὧν οἴονται (scrib.: ἢ τούτους — τοὺς κατα τὰς αἱρέσεις — περὶ ὧν οἴονται quod Heinsius recte coniecisse videtur;), ὅσον γε ἐπὶ τῷ διαβεβαιοῦσθαι ἄνευ τῆς ἀποδείξεως.

gere socordiae est, quae non debet cadere in orthodoxos; cadit autem in haereticos. „Sunt enim socordes isti, qui, quum demonstrationes divinis scripturis convenientes ex ipsis scripturis conquirere liceat, contrarium eligunt ut libidinibus suis conducturum"[1]). Non demonstrare est etiam φιλοδοξίας — quam ab ecclesiastica traditione quoque recedere diximus —; Christianos autem decet humilitas. Sed φιλοδοξία quoque plurimos haereticos contaminat[2]). At vero Christianus, si quis doctrina ornatus est et eruditione: omnibus disciplinis artibusque utitur ad veritatem tuendam[3]). Dialecticam adhibet, non timet philosophiam; comparando seligit, probat argentarii similis, iudicat, discernit, ad respondendum semper paratus invenitur[4]).

---

[1]) l. c. p. 896. 7—10. *ῥαθυμοῦσι μὲν γὰρ οἱ, παρὸν τὰς οἰκείας ταῖς θείαις γραφαῖς ἐξ αὐτῶν τῶν γραφῶν πορίζεσθαι ἀποδείξεις, τὸ παράπαν* (haud dubie *παραίπαιμα* legendum!) *καὶ ταῖς ἡδοναῖς αὐτῶν συναιρούμενον ἐκλεγόμενοι.* Mirum est profecto, quam alte Clemens perspexerit reconditiores animi motus! Sed miror etiam, qua tandem persuasione Daehnius (De *γνώσει* Clem. Al. p. 25) haec scripserit: „Fide . . . . . doctrinam Christianam otiosi in nos admittimus etc." Locus, quem testem citat, contrarium probat.

[2]) Strom. l. c. sqq.

[3]) l. c. VI. p. 779—780.

[4]) Locum praeclarum transscribam totum: Strom. VI. p. 780. 14—781. 7 cf. II. 436. *Ἀλλὰ καὶ τῇ διαλεκτικῇ προσχρήσεται ὁ γνωστικὸς* (i. e. christianus), *τὴν εἰς εἴδη τῶν γενῶν ἐκλεγόμενος διαίρεσιν, καὶ τὴν τῶν ὄντων προϊσεται* (malo *προσήσεται*) *διάκρισιν, μέχρις ἂν τῶν πρώτων καὶ ἁπλῶν ἐφάψηται. οἱ πολλοὶ δὲ, καθάπερ οἱ παῖδες τὰ μορμολύκια, οὕτως δεδίασι τὴν Ἑλληνικὴν φιλοσοφίαν, φοβούμενοι μὴ ἀπαγάγῃ αὐτούς. εἰ δὲ τοιαύτη παρ' αὐτοῖς ἐστιν ἡ πίστις — οὐ γὰρ ἂν γνῶσιν εἴποιμι — ἵνα λυθῇ πιθανολογίᾳ· λυθήτω διὰ τούτους μάλιστα, ὁμολογούντων οὐχ ἕξειν τὴν ἀλήθειαν· ἀνίκητος γάρ, φασι, ἡ ἀλήθεια, ψευδοδοξία δὲ καταλύεται. αὐτίκα πορφύραν ἐξ ἀντιπαραθέσεως ἄλλης πορφύρας ἐκλεγόμεθα. ὡς εἴ τις ὁμολογεῖ καρδίαν μὴ ἔχειν διηρθρωμένην, τράπεζαν οὐκ ἔχει τὴν τῶν ἀργυραμειβῶν, οὐδὲ μὴν τὸ κριτήριον τὸν λόγον. καὶ πῶς ἔτι τραπεζίτης οὗτος, δοκιμάσαι μὴ δυνάμενος καὶ διακρῖναι τὸ ἀκίβδηλον νόμισμα τοῦ παραχαράγματος; κέκραγεν δὲ ὁ Δαβίδ, ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα οὐ σαλευθήσεται δίκαιος. οὔτ' οὖν ἀπατηλῷ λόγῳ, οὐδὲ μὴν πεπλανημένῃ ἡδονῇ. ὅθεν οὐδὲ τῆς οἰκείας κληρονομίας σαλευθήσεται. ἀπὸ ἀκοῆς ἄρα πονηρᾶς οὐ φοβηθήσεται. οὔτ' οὖν διαβολῆς κενῆς, οὐδὲ μὴν ψευδοδοξίας τῆς περὶ αὐτόν, ἀλλ' οὐδὲ τοὺς πανούργους δεδείξεται λόγους, ὁ διαγνῶναι τούτους δυνάμενος, ἢ πρός τε τὸ ἐρωτᾶν ὀρθῶς καὶ ἀποκρίνασθαι. οἷον θριγκὸς γάρ ἐστι διαλεκτική, ὡς μὴ καταπατεῖσθαι πρὸς τῶν σοφιστῶν τὴν ἀλήθειαν. ἐπαινουμένους γὰρ χρὴ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἁγίῳ τοῦ Κυρίου κατὰ τὸν προφήτην εὐφραίνεσθαι τὴν καρδίαν ζητοῦντας τὸν Κύριον. ζητήσατε οὖν αὐτὸν καὶ κραθαιώθητε· ζητήσατε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ διαπαντὸς παντοίως. πολυμερῶς γὰρ καὶ πολυτρόπως λαλήσας οὐχ ἁπλῶς γνωρίζεται. οὐκοῦν ὡς ἀρεταῖς ταύταις συγχρώμενος ἡμῖν ὁ γνωστικὸς πολυμαθὴς ἔσται. ἀλλὰ συνεργοῖς τισι κἂν τῷ διαστέλλειν τά τε κοινὰ καὶ τὰ ἴδια, προσήσεται τὴν ἀλήθειαν* etc.

Demonstrandum est igitur nihilominus. Nam norma illa ecclesiasticae traditionis non iam per se sponte aperit veritatem; sed accedat oportet sacrarum scripturarum interpretatio rationi conveniens. Ut autem recta nascatur veraque interpretatio, et omnia opus est similia comparando spectare simul, et examinare singula per se integra, et cunctarum sententiarum coniunctionem cohaerentiamque indagare, et explorare uniuscuiusque vocis vim propriam atque significationem. Quorum omnium contraria agunt haeretici. „Etsi etiam propheticis uti scripturis conentur, qui haereses sequuntur, primum quidem non omnibus (utuntur), deinde non integris, neque ut (totum) prophetiae corpus et contextus postulat; sed seligentes ea, quae ambigue dicta sunt, in proprias convertunt opiniones; paucas passim carpentes voces, non, quid significent, considerant, sed ipsa nuda abutuntur littera“ [1]).

Quae quum ita sint, manifestum est, quod sit post Domini adventum munus rationis et quae utilitas, sive — quod apud Clementem idem valet – qualis philosophiae vis atque eminentia. „Erat igitur ante Domini adventum ad iustitiam Graecis necessaria philosophia; nunc autem religioni utilis evadit, quum προπαιδεία sit quaedam iis, qui fidem demonstratione consequi student“ [2]). Haec autem προπαιδεία veritatis possessionem tam fortiter munit, ut „philosophia multaque recta doctrina“ [3]) veritas

---

[1]) l. c. VII. p. 891: *κἂν τολμήσωσι προφητικαῖς χρήσασθαι γραφαῖς καὶ οἱ τὰς αἱρέσεις μετιόντες, πρῶτον μὲν οὐ πάσαις, ἔπειτα οὐ τελείαις, οὐδὲ ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὕφος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει. ἀλλ' ἐκλεγόμενοι τὰ ἀμφιβόλως εἰρημένα εἰς τας ἰδίας μετάγουσι δόξας. ὀλίγας σποράδην ἀπανθιζόμενοι φωνάς, οὐ τὸ σημαινόμενον ἀπ' αὐτῶν σκοποῦντες, ἀλλ' αὐτῇ ψιλῇ ἀποχρώμενοι τῇ λέξει.*

[2]) l. c. I. p. 331. cf. p. 336. *ἦν μὲν οὖν πρὸ τῆς τοῦ Κυρίου παρουσίας εἰς δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαία φιλοσοφία. νυνὶ δὲ χρησίμη πρὸς θεοσέβειαν γίνεται, προπαιδεία τις οὖσα τοῖς τὴν πίστιν δι' ἀποδείξεως καρπουμένοις.* Philosophia igitur, postquam Christus venit, non iam ita necessaria est, ut tanquam fons veritatis fidei obiectum, quod dicimus, praebeat, i. e. ut pro Testamento stare debeat, sed *προπαιδεία* est ad veritatem nunc totam e fonte supernaturali manantem ducens. Quodsi haec est Clementis sententia, quid de Daehnii verbis (l. c. p. 57): „Cum veram philosophiam divinae originis esse iudicaret, non dubitavit, quin singula eius dogmata sua faceret Christianisque adiungeret;“ quid igitur de his verbis sit iudicandum, in promptu est. Nam quod Daehnius addit: „si modo fidei Christianae non adversaria s. fuerunt sive certe ab ipso habita sunt,“ nihil mutat. Augeri doctrinam Christianam philosophia Clemens omnino vetat.

[3]) Strom. I. p. 331. *διὰ φιλοσοφίας καὶ πολυμαθείας.* (Sic enim legi velim pro *πολυτελείας*, quam vocem si retinueris, „multo labore“ vertas; sensus in universum idem in utroque).

sophistarum nugis vanisque argumentationibus invicta (inaccessa, ἀνεπίβατος) servetur[1]).

Iam vero si quid ecclesiastico „canone" duce rectaque interpretatione ab ecclesia acceptum cognitumque demonstrando habemus: fides nasci potest; potest, inquam, minime necessario nascitur. Qui enim fidem non esse liberae electionis, sed naturae donum, i. e. necessariam asseverat, is et meritum tollit et culpam[2]). Neque deus cogit, ut credas; is enim „persuadet, non affert vim,"[3]) sed fides cognitioni certae libere assentiendo perficitur. Est enim „mentis liberae rationalis assensio"[4]). Qui ergo ei, quod a vera ecclesia doceri ipsi persuasissimum est, propter eiusdem ecclesiae, i. e. dei auctoritatem assentitur, verumque id esse sine ulla dubitatione affirmat, is credit ex Clementis sententia[5]).

§ 10.
De opinione, quae fidem imitetur.

Sed fides duplicem cognitionem postulat: unam, quae aliqua saltem ex parte rem credendam intelligit ac perspicit; alteram maxime perspicuam, quae ad credendi rationes pertinens demonstratione acquiritur. Demonstrandum est enim primum, Christum esse deum; deinde ecclesiam, in qua veritas communicata deposita sit, ab eo esse conditam; tum, quae sit haec vera ecclesia; denique, quid ab hac doceatur. Hanc autem cognitionem secundum Clementem antecedere fidem, multos fugisse duco, inprimis Neandrum, Redepenningium. Quamobrem hi viri in eum errorem inciderunt, ut Clementi opinionem illam affingerent, qua hominem veritatis sensu quodam[6]) ad fidem duci opinaretur.

Ad hunc autem sensum viri ceterum praeclarissimi ipsi veritatis, credo, sensu quodam ducti esse videntur. Neque enim huiusmodi veritatis sensus ullum in Clementis scriptis, quamvis iterum ea legerim, reperio vestigium. At vero credendi actionem antecedat

---

1) Ibid. 38—40. cf. p. 377. 15—24.

2) l. c. II. p. 433—434.

3) l, c. VII. p. 832. 5. πείθει, οὐ βιάζεται.

4) l. c. V. 645. 5—6: ψυχῆς αὐτεξουσίου λογικὴ συγκατάθεσις. cf. p. 697. 36.

5) Et ad cognitionem certam demonstrando acquirendam et ad assensionem illam praestandam gratia divina illuminante atque corroborante opus esse docet, quod tamen fidei naturam non labefactat.

6) „Vermöge des der menschlichen Natur eingepflanzten Wahrheitsgefühles." Neand. Allg. Gesch. der christl. Kirche. T. I. P. III. p. 153. Redep. l. c. p. 153.

oportet, non sensus quidam, sed certa cognitio. Et cognitionem quidem veritatis iudicium sequitur, hoc vel illud esse verum, iudicium autem assensio, qua fides nascitur, cuius cardo vertitur in persuasione invicta[1]). Quapropter Clemens Aristotelis sententiam: „iudicium, quod scientiam sequatur, hoc vel illud verum esse, ipsam esse fidem," suam facit, inde, fidem scientia superiorem esse huiusque κριτήριον, concludens[2]).

Sed cognitio illa fidem antecedens ad credendi rationes pertinet manifestas ac munitas. Nam ea, quae nititur rationibus neque satis perspectis neque satis firmis, non debet assequi assensionem ab omni dubitatione remotam. Nanciscitur autem plerumque „opinionem imbecillam, quae fidem imitatur, ut adulator amicum, ut canem lupus"[3]).

§ 11.

Quid ex duplici cognitione cum fide coniuncta sequatur.

Iam qui duplicem illam, quae fidem antecedit, cognitionem bene ac diligenter internoverit, eum fidei descriptiones a Clemente passim defensae, quae contrariae esse videntur, haud perturbant. Per se enim fidei definitio, alterutrius magis habita ratione, alia nascitur.

---

[1]) *πειθὼ δὲ ἡ βεβαίωσις τῆς πίστεως.* Daehnius l. c. p. 26—27: „Quod eo magis necessarium esse affirmat (Clemens) — ut Christiani *γνώσει* studeant — quo minus ea fide, quam hucusque descripsit, unquam vel certam de divina veritate persuasionem, vel veram virtutem quisquam nancisci queat."

[2]) l. c. II. p. 436. *᾿Αριστοτέλης δὲ τὸ ἑπόμενον τῇ ἐπιστήμῃ κρῖμα, ὡς ἀληθὲς τόδε τι, πίστιν εἶναι, φησίν.* (*κρῖμα* et iudicium continet et assensionem) . . . . . *κυριώτερον οὖν τῆς ἐπιστήμης ἡ πίστις καὶ ἔστιν αὐτῆς κριτήριον.*

[3]) l. c. *ὑποκρίνεται δὲ τὴν πίστιν ἡ εἰκασία, ἀσθενὴς οὖσα ὑπόληψις, καθάπερ ὁ κόλαξ τὸν φίλον καὶ ὁ λύκος τὸν κύνα.* Daehnius (l. c. p. 18—19) vehementer errare videtur, si hunc locum (Strom. II. p. 364 ed. Sylb., quam ed. citare solet): *εἰ δέ τις λέγοι τὴν ἐπιστήμην ἀποδεικτικὴν εἶναι μετὰ λόγου, ἀκουσάτω* etc. ita auget, ut post vocem *λόγου* haec uncis, ut dicunt, inclusa addat: *πίστιν* vero *ὑπόληψιν* s. *εἰκασίαν.* Clemens, quoad sciam, nunquam *πίστιν* interpretatur *εἰκασίαν,* quae, ubi rationes certae deficiunt, coniecturae locum obtinet nonnulla cum probabilitate; simulatque fidei speciem sibi assumit, fit huis quasi simia. *ὑπόληψις* autem fides ex Clementis sententia dici potest, sed videndum, quo loco. Nam quod ad credendi rationes, quae ex dei auctoritate pendent, attinet, *ὑπόληψις* nusquam recte adhibetur. Si autem rationes in rei credendae perspicuitate positas respexeris, licet voce ista utare, quae tamen hanc ob causam summa persuasione non caret. Illo vero loco, quo de agimus, Clemens mirum in modum extollit fidem, ut quae, relicta *τῇ ὑπολήψει,* festinet *πρὸς τὰ ἀψευδῆ* et in veritate acquiescat. Et haec quidem continuo excipiuntur ab iis, quae Daehnius contrariis auget! Sed hic aliam fidei vim apud Clementem non videt, nisi vilem et reiiciendam! cf. p. 27. 35. 56. etc.

Et solam quidem rei credendae vim ac naturam si consideraveris, quatenus cognoscatur, fatendum erit, fidem non pendere ex demonstratione evidenti, demonstratione potius omnino non egere, ut quae, dubitatione mentis omnia comprehendere cupientis, omni seiuncta, acceptio sit veritatis, quamvis nondum prorsus perceptae, quam maxime prompta. Quare ne mireris fidem a Clemente apellari: „acceptionem liberam," „propter pietatem in deum assensionem"[1]); vel „gratiam ex iis, quae demonstrari nequeunt, ascendentem ad id, quod est universum, quod simplex etc.[2])." Spectant enim haec et alia, quae sunt similia, ad τὸ διότι, quod sumitur ex τῷ τί ἦν εἶναι, ex rei ipsius naturae cognitione perspicua[3]). Sed hoc parum est, quod fides demonstratione ex rei evidentia petita non nititur: ne confirmatur quidem eiusmodi demonstratione. Nam „qui divinis scripturis credit, iudicium firmum habens, ut demonstrationem, cui contra dici nequit, vocem dei accipit, qui sacras scripturas donavit. Non magis igitur fides confirmatur demonstratione (ex rei evidentia). Beati ergo, qui non viderunt, et crediderunt (propter dei vocem)"[4]). Quod enim fundamento nititur, quo nihil est firmius, nihil stabilius, nihil magis invictum, id novis fundamentis neque eget neque adiuvatur. Fundamentum enim

---

[1]) Strom. II. p. 432. 37. *πρόληψιν ἑκούσιον, θεοσεβείας συγκατάθεσιν.* Hoc loco Ritterus (Gesch. der Philos. V. p. 432) incredibili levitate interponit: (libera acceptio) „veritatis in animo sitae!"

[2]) l. c. p. 435. *χάριν ἐξ ἀναποδείκτων εἰς τὸ καθόλου ἀναβιβάζουσαν τὸ ἁπλοῦν* etc.

[3]) *ἡ πρόληψις* non est „anticipatio" apud Clementem, ut vult interpres, quod idem esset, atque notio quaedam insita. Nam notio insita minime est *ἑκούσιος*. Sed *πρόληψις* nihil aliud declarat, nisi acceptionem eius, quod communicatur a deo, nulla ab ipso postulata demonstratione interna. Quamobrem auctor explicans addit: *θεοσεβείας συνκατάθεσις*, i. e. assensio, quae fit propter deum.

[4]) l. c. p. 433. *ὁ πιστεύσας τοίνυν ταῖς γραφαῖς ταῖς θείαις τὴν κρίσιν βεβαίαν ἔχων, ἀπόδειξιν ἀναντίῤῥητον τὴν τοῦ τὰς γραφὰς δεδωρημένου φωνὴν λαμβάνει θεοῦ. οὐκέτ' οὖν πίστις γίνεται δι' ἀποδείξεως ὀχυρωμένη. μακάριοι τοίνυν οἱ μὴ ἰδόντες, καὶ πιστεύσαντες.* Hic locus gravissimus est et dignus, quem identidem accuratissime examinent, qui fidem Clementis opinionem dicunt, sensu quodam probatam, quae, demonstratione accedente, *γνῶσις* fiat. Demonstres quidvis, totas scripturas summa arte interpretere, eruditione infinita omnia, quae scripta sunt a S. S. P. P. perscrutere: in altissimis dogmatis ultra dei auctoritatem non progrediere. Fides manet fides, sive rusticus presbyterum, cuius auctoritatem ex ecclesia proficisci non ignorat, audiens credit, sive homo literatus, qui ecclesia duce fontes adiit, credit. Neque enim illud mutatur: *μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες*! Nam hoc „*μὴ ἰδόντες*" ad rei evidentiam pertinet, ad veram rerum essentiae visionem, cuius simile aliquid inveniemus infra, mirum quidem, quum ipsam in hac terra nemo consequatur.

fidei apparet dei auctoritas. Quod si hoc fundamentum, i. e. credendi rationes spectaveris, haudquaquam erit fides sine demonstratione. Ad dei enim auctoritatem, ut hoc iterum iterumque dicam, quidvis, quod sit credendum, demonstratione, arte et praecepto instituta, referatur oportet. Unde etiam haec fidei definitio, quam supra transscripsimus, manavit: „fides est mentis liberae rationalis assensio"[1]).

§ 12.

Quomodo rei creditae vis ac natura altius cognoscatur.

Sed fides prorsus pendet ex libero hominis arbitrio; veritatem enim quamvis cognitam negare possumus. Quodsi ne nascitur quidem fides, i. e. assensio illa propter certam cognitionem, qua, quod cognitum habemus, verum esse non sine iustis causis affirmamus: quodsi ne nascitur quidem fides, nisi voluerimus: multo etiam minus nobis invitis vita nostra ad eandem conformatur. In hoc potius liberi arbitrii munus maximum. Quapropter fide minime vacillante, quasi vero mortua, quin vitam plane contrariam agamus, nec natura nec gratia prohibemur. Nam oriuntur quidem iusta opera ex fide; nec tamen oriuntur necessario[2]). Itaque Clemens

[1]) Neander saepenumero (l. c. p. 927. 930. 910 etc.) de fide quadam auctoritatis caeca loquitur, quae sit σαρκική et litterae adhaerens. Utrum fides sine ulla auctoritate omnino cogitari possit an minus, hic non interest diiudicare. Sed equidem neque eis locis, quos retulit Neander, neque aliis apud Clementem eiusmodi quidquam reperio. — Similiter Tiedemannus (Geist der specul. Philos. p. 260—261) fidem caecam propter nescio quam tenebricosam auctoritatem, quae ab initio in ecclesia ut ecclesia fuerit, halucinatur, quam Origenes quum reiecisset, hunc in multas molestias incidisse. Nam religionem christianam principio statim, quamvis nondum dominantem, prohibuisse fideles, quominus libere cogitarent („libere cogitare" aut inepte dicitur, quoniam cogitamus legibus animi necessariis, aut idem est, atque pro arbitratu et libidine cogitare, i. e. somniare), vel sacras litteras exponerent. Intolerantiam igitur, explicatione dogmatum progrediente, rationisque oppressionem crevisse. Egregiam ignorantiam!

[2]) Equidem Clementi, quod ita de fide eiusque cum iustis operibus coniunctione senserit, valde irasci nequeo. Neque enim cum Redepenningio (l. c. p. 161) hoc in causa fuisse arbitror, ut postea „mortua quaedam orthodoxia" pro christiana religione haberetur. Imo id mihi persuasissimum est, Clementem et christianam doctrinam penitus cognovisse et in mentis nostrae naturam diligenter atque sine opinione praeiudicata introspexisse. Minime autem iusta opera fidem comitari debere dicit, quod Redep. interponit, sed ex fide proficisci. Quamobrem „Reformationi" hac in re nihil erat „detegendum." Sed siquidem Reformatio rem ipsam rectissimam impugnare debebat, hominem libero arbitrio privaret necesse erat; id quod etiam fecit; quantaeque id fecerit calamitati ac perniciei, nostra potissimum aetate, quae consequentia

nunquam desinit hortari, ut, singulis eorum, quae sunt divinitus communicata, ita cognitis, ut credantur, statim consideratione diligenti perpendamus, quid inde redundet ad vitam nostram conformandam; quod si exploratum sit: omnibus volendi viribus enitamur oportere, ut, gratia adiuvante, reapse eam conformemus. Nam „primum fidei est: cognoscere deum: alterum: Redemptoris disciplinae (= deo) credere: tertium, nullo modo iniuste, prave facere, iudicare, dei cognitioni esse consentaneum"[1]). Et cognitam quidem Clementi fuisse mentis nostrae penitus naturam, ex eo licet intelligere, quod opera iusta, antequam πεποίθησις nata est, non admittit. Cognitio enim, quam veram esse non credimus fidimusque certissime, ad agendum impellere nequit. ἡ πεποίθησις autem assensio est, quae fit propter dei (τοῦ Σωτῆρος) auctoritatem, eaque tam firma et stabilis, ut id, cui assentimur, tanquam manibus teneamus. Est enim „firma comprehensio alicuius rei, quasi utraque manu"[2]). Quo de autem agimus, i. e. creditis convenienter esse vivendum, et verbis: „nullo modo iniuste, prave facere, iudicare, cognitioni dei esse consentaneum," aperte probatur, et hoc loco: „(primum) res cognoscere; alterum, perficere, quidquid Logos praeceperit"[3]). Eo enim omne hominis studium debet redire, ut, qui est ad imaginem dei factus, fiat etiam ad eiusdem similitudinem. Utraque et imago et similitudo perfecta in Christo conspicitur. „Nos autem . . . boni Paedagogi alumni, exsequamur Patris voluntatem, audiamus Verbum, salutarem vere exprimamus Salvatoris nostri vitam! Quapropter coelestium meditantes civium vitam, qua dii effecti sempiterno laetitiae flore incorruptoque odoris suavis unguento ungamur, evidens immortalitatis indicium vitam habentes Domini vestigiaque dei persequentes, quem solum decet considerare, cui etiam

---

videt, licet animadvertere. Ceterum Redepenningius (l. c. p. 164—167) eam fidem, quam quis caeco animo nihil quaerens propter auctoritatem amplexatur, quasi Catholicos respiciens, „inanimam" nuncupare videtur. Quo iure hoc fiat, nescio. Ex sermonis certe usu fides, quae auctoritati infirmae neque ratione probabili debetur, caeca dici potest; inanima autem ea vocatur, quae nullum fert fructum. —

1) Strom. VII. p. 831. *πίστις οὖν τὸ εἰδέναι τὸν θεὸν ἡ πρώτη* (= *πίστεως . . . . . τὸ πρῶτον)· μετὰ τῆς τοῦ Σωτῆρος διδασκαλίας τὴν πεποίθησιν* (non „deest *ἐνεργεῖ* vel quid simile", ut Lowthius censet; sed *ἡ πεποίθησις* est *τὸ δεύτερον τῆς πίστεως*, quod ut iam notum affertur, post quam veniat tertium: *τὸ κατὰ μηδένα* etc.) *τὸ κατὰ μηδένα τρόπον ἄδικα δρᾶν, τοῦτ' εἶναι πρέπον ἡγεῖσθαι τῇ ἐπιγνώσει τοῦ θεοῦ.*

2) Strom. II. p. 444. 8—9. *πεποίθησίς ἐστι διάληψις βεβαία περί τινος.*

3) l. c. VII. p. 830. *(πρῶτον) τὸ γινώσκειν τὰ πράγματα· δεύτερον, τὸ ἐπιτελεῖν ὅτι ἂν ὁ Λόγος ὑπαγορεύῃ.*

curae est, quomodo quaque ratione salubrior futura sit hominum vita"[1]). Assimilamur autem deo mandatis eius obedientes. „Namque assimilationem lex obedientiam nominat"[2]). Quae assimilatio eo perfectionis potest progredi, ut dii esse videamur: „homo autem ille, quocum Verbum habitat, non variatur, non formatur, sed habet Verbi formam, assimilatur deo, pulcher est, non fit pulcher, pulchritudo est vera, etenim deus est; deus autem ille fit homo, quia vult deus. Recte igitur Heraclitus: „Homines, inquit, dii; dii homines"[3]). Novum enim quasi rythmum doctrina christiana naturae nostrae tribuit, cuius formam depravatam prorsus vertit in meliorem, ut novum in nobis exsistat vivendi principium, quum eius, qui doctrinam communicavit, natura fiat quodammodo nostra. Quod enim didicimus, id paullatim in animo nostro radices agit, ut mox nescias neque quidquam intersit, natumne illud sit ex tua ipsius natura, an ab altero quodam datum. Utrumque enim Dominus praebuit: illud in creatione largitus est, hoc in recreatione et renovatione[4]).

Iam quum natura nostra prope divina facta fuerit, nova quaedam inter ipsam deumque intercedet communicatio. Quemadmodum enim res, quas cernimus, propter id ipsum cernimus, quia oculi nostri eiusmodi, atque illae, naturae sunt: sic quoque, quum natura nostra quasi divina evaserit, fieri potest, ut deum animi quasi

---

1) Paed. I. p. 156. *ἡμεῖς δὲ . . . . . ἀγαθοῦ Παιδαγωγοῦ θρέμματα, πληρώσωμεν τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, ἀκούωμεν τοῦ Λόγου, καὶ τὸν σωτήριον ὄντως ἀναμαξώμεθα τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν βίον· ἐνθένδε ἤδη τὴν ἐπουράνιον μελετῶντες πολιτείαν, καθ' ἣν ἐκθεούμενοι τὸ ἀειθαλὲς εὐφροσύνης ἀκήρατον εὐωδίας ἐπαλειφώμεθα χρίσμα, ἐναργὲς ὑπόδειγμα ἀφθαρσίας τὴν πολιτείαν ἔχοντες τοῦ Κυρίου καὶ τὰ ἴχνη τοῦ θεοῦ διώκοντες, ᾧ μόνῳ προσήκει σκοπεῖν, καὶ δὴ μέλει, πῶς καὶ τίνα τρόπον ὑγιεινότερος ἂν ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος γένοιτο.* Paed. I. p. 156.

2) Strom. II. p. 482. *τὴν μὲν γὰρ ἐξομοίωσιν ὁ νόμος ἀκολουθίαν ὀνομάζει.*

3) Paed. III. p. 251. *ὁ δὲ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, ᾧ σύνοικος ὁ Λόγος οὐ ποικίλλεται, οὐ πλάττεται· μορφὴν ἔχει τὴν τοῦ Λόγου, ἐξομοιοῦται τῷ θεῷ, καλός ἐστιν, οὐ καλλωπίζεται, κάλλος ἐστὶ τὸ ἀληθινόν· καὶ γὰρ ὁ* (art. haud dubie delend.) *θεός ἐστιν· θεὸς δὲ ἐκεῖνος ὁ ἄνθρωπος γίνεται, ὅτι βούλεται ὁ θεός. ὀρθῶς ἄρα εἶπεν Ἡράκλειτος· Ἄνθρωποι, θεοί· θεοὶ ἄνθρωποι.*

4) Strom. IV. p. 631—632. *ἡ διδαχὴ μεταρυθμίζει τὸν ἄνθρωπον· μεταρυθμοῦσα δὲ, φυσιοποιεῖ καὶ διήνεγκεν οὐδὲν, ἢ φύσει πλασθῆναι τοιόνδε, ἢ χρόνῳ καὶ μαθήσει μετατυπωθῆναι. ἄμφω δὲ ὁ Κύριος παρέσχηται· τὸ μὲν κατὰ τὴν δημιουργίαν, τὸ δὲ κατὰ τὴν ἐκ τῆς διαθήκης ἀνάκτισιν καὶ ἀνανέωσιν.* Hoc velim, deum utrumque largiri, et naturam et gratiae donum, animadvertant quoque, qui naturam quam possunt vilissimam faciunt, ut gratia maior evadat. Quasi deo non auferatur hic, quod ibi ei nimium tribuas.

divini oculis quasi cernamus. Et sane, ex vivendi ratione doctrinae christianae convenienti τὴν γνῶσιν oriri dicit Clemens, quae, quod hic oculus sit in corpore, idem valeat in mente[1]). Quid autem sit haec nova cognitio, ἡ γνῶσις, iam altius repetendum est.

§ 13.

Τὴν γνῶσιν Clementis re differre a τῇ γνώσει haeretica.

Clemens, quanticunque philosophiam aestimabat, quantopere eam damnari vetabat: tamen quidquid veritatis homines philosophando invenisse sibi videbantur, id omni ex parte revelationi supernaturali subiecit. Nam ut Agar secularis philosophia, sic coelestis sophia Sara; quae quum pugnarent inter se, illam huic tradidit Abraham. Sophia autem philosophiam ad sanam mentem reduxit[2]). Sed haec sophia, quam Sara tanquam praeformavit, christiana est doctrina. Christus enim veritas ipsa est, philosophia illa gentium veritatis nonnulla tantum ex parte particeps[3]). Quod quum Clementi persuasum esset, fieri non potuit, quin a gnosticorum erroribus plane abhorreret. Namque in eo ponimus γνῶσιν haereticam, ut placitum quoddam, sophismati ac superstitioni debitum, allegorica, quam vocamus, interpretatione pro vero s. s. scripturarum sensu interponatur. Clemens autem utique philosophatur, et philosophatur non gnostica illa cum libidine, sed quam maxime potest considerate, subtiliter, ideoque plerumque vere. Sed nihil magis ab eo alienum est, quam gnosticorum illud consilium perniciosissimum novarum inveniendarum veritatum, quibus s. s. scripturae et illustrentur et compleantur. Philosophia enim, ut supra vidimus, post Domini adventum non iam est necessaria, sed utilis tantum.

At vero gnostici non philosophando, sed traditione arcana quadam (παραδόσει) placita sua sese accepisse praedicant, nec minus arcanam traditionem laudat Clemens. „Iam vero (Dominus) ea, quae non erant multorum, neque aperuit multis, sed paucis eis, quibus convenire ea sciebat, idoneis, qui ea acciperent et conformarentur ad ea. Arcana autem, ut deus, verbo creduntur, non lit-

---

1) *ὡς (ὁ) γὰρ ὀφθαλμὸς ἐν σώματι, τοῦτο ἐν τῷ νῷ ἡ γνῶσις.* Neander (l. c. p. 929) ita *γνῶσιν* et fidem disiungit atque separat, ut a Clemente, quum „ingenium Alexandrinorum contemplativum et speculativum praevaleat,“ fidei vim internae vitae renovandae haud prorsus agnosci dicat. At vero *τὴν γνῶσιν* ex ipsa vita fide renovata nasci modo vidimus.

2) Strom. I. p. 335. 4—12: *ἐσωφρόνισεν.*

3) Ibid. sqq.

tera[1]). „Mysteria mystice traduntur[2].“ Non nego equidem gnosticos commenta sua partim traditioni cuidam tribuisse potius, quam suae ipsorum philosophiae, modo mihi concesseris quoque, traditionem illam minime fuisse ecclesiasticam, siquidem Basilides Glaukiam quendam traditionis suae auctorem agnoscit, a Valentino autem Theodas inducitur. Qui sophismate quodam vel superstitione primus usus fuerit, nihil ad rem! De doctrinae origine agitur generali. Sed illud non possum non negare, istiusmodi esse Clementis traditionem, qui nullam aliam unquam defendit, quam eam, quae est inde ab Apostolis in ecclesia. Loquitur autem loco illo de donorum in ecclesia discrimine, quod Paulus docet: „dedit autem deus ecclesiae alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios vero Pastores etc.“ Qui ergo sint digni, qui eligantur doctores, his maiorem deus aperit mysteriorum intelligentiam. Et hic quidem Apostoli locus sequitur; alium autem haud multo ante adhibuit Clemens, quo Paulus Timotheum hortatur, ut „quae audierit ab ipso per multos testes, ea committat fidelibus hominibus, qui quidem idonei futuri sint, qui alios quoque doceant.“ Ubicunque Clemens de traditione arcana agit, modo sententiarum coniunctionem non neglexeris, aut ad illud docendi munus omnia redire agnosces, aut omnino a traditione ecclesiastica non differre. Nam „cognitio ipsa est, quae per successiones (continua successione) ad paucos ab Apostolis sine scripto tradita devenit“[3]). Ne porro Clementem errore deceptum ea, quae reapse essent phantasmata gnostica, habuisse pro traditis ab ecclesia ideoque haec in s. s. scripturis interposuisse opineris: scripturae interpretandae rationem Clementinam a gnostica ita abhorrere recordere, ut prorsus sit contraria. Dum enim gnostici ad libidinem quidquid verbis revelatis allegorica interpretatione ridicula subiiciunt, Clemens, ubicunque demonstrare interest,[4]) quum doctam interpretationem postulat, tum „ecclesiasticam normam“ vult adhiberi.[5]) Accedit autem, quod gnostici γνῶσιν suam communicari non posse dicunt, nisi cum

---

[1]) Strom. I. p. 323. *αὐτίκα οὐ πολλοῖς ἀπεκάλυψεν, ἃ μὴ πολλῶν ἦν, ὀλίγοις δὲ οἷς προσήκειν ἠπίστατο, τοῖς οἵοις τε ἐκδέξασθαι καὶ τυπωσθῆναι πρὸς αὐτά. τὰ δὲ ἀπόῤῥητα, καθάπερ ὁ θεὸς, λόγῳ πιστεύεται, οὐ γράμματι.*

[2]) Ibid. 37. *τὰ μυστήρια μυστικῶς παραδίδοται.* cf. VI. p. 806. 24 - 29.

[3]) Strom. VI. p. 771. *ἡ γνῶσις δὲ αὐτὴ, ἡ κατὰ διαδοχὰς εἰς ὀλίγους ἐκ τῶν Ἀποστόλων ἀγράφως παραδοθεῖσα κατελήλυθεν.* cf. § 9.

[4]) Alias Clementem saepenumero allegorica interpretatione quasi ludere, sed ingeniose, non est negandum.

[5]) cf. § 1.

eis, qui sint natura pneumatici, γνῶσις vero Clementis eam ob causam paucis tantum tribuitur, quia haud multi tam penitus vitam reformant, ut in novis cordibus, quibus opus est ad τὴν γνῶσιν consequendam,[1]) novus oculus aperiatur. Gnostica igitur γνῶσις Clementina esse nequit.

§ 14.

Τὴν γνῶσιν Clementis non esse theologiam quandam speculativam.

Notum est, multum inter nostrae aetatis theologos disputari de theologia quadam speculativa, quam in eo volunt consistere, ut quis dogmata ab ecclesia declarata ac stabilita omni scientia, inprimis philosophia adiuvante, studeat prorsus, quatenus liceat, intelligere, comprehendere, tanquam sensibus percipere, sed ita, ut quamvis aliquid non comprehendatur, quamvis labore diligentissimo illuso mentem superare pergat: nihilominus certissime credatur propter ecclesiae tradentis, i. e. dei auctoritatem[2]). Iam quaeritur, sit ne γνῶσις Clementina eiusmodi theologia speculativa. Minime! Haec enim γνῶσις non est doctrinae doctaeque inquisitionis disputationisque praemium, sed corona vitae verbo Domini convenientis: „facientes enim voluntatem dei voluntatem (ipsam) cognoscimus.“[3]) „Cognitio ex fructu et vita, non ex verbo et flore“[4]). Quae verba deinceps explicantur: „(cognitio) ex obedientia, quae mandatis praestatur.“[5])

§ 15.

Τὴν γνῶσιν non deberi demonstrationi.

Sed hac in re Neandri[6]) adversarium me exstitisse video, quippe qui τῇ γνώσει Clementinae argumentandi (wissenschaftlich begründen) atque ad artem et praecepta revocandi (in wissenschaftliche Form bringen) munus tribuat, ut quis possit demonstrare, quaenam sint dogmata a Christo profecta, eademque a philosophis haereticisque

---

[1]) Strom. VI. p. 806. 28.

[2]) Sunt quidem, qui dicant, fore ut aliquando nihil iam sit, quin luce illius theologiae speculativae comprehendatur; sed quo iure, non est huius loci discernere.

[3]) Strom. I. p. 338. *ποιοῦντες γὰρ τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ τὸ θέλημα γινώσκομεν.*

[4]) l. c. III p. 531. *ἡ γνῶσις ἐκ τοῦ καρποῦ καὶ* (i. e.) *τῆς πολιτείας, οὐκ ἐκ τοῦ λόγου καὶ* (i. e.) *τοῦ ἄνθους.*

[5]) Ibid. 25—26. (*ἡ γνῶσις*) *ἐκ τῆς κατὰ τὰς ἐντολὰς ὑπακοῆς.*

[6]) Kgsch. I. 3. p. 905.

defendere ac vindicare[1]). Quam opinionem paullo post ita proponit: „gnosticus ea re debet vulgari fideli praestare, ut dogmata scripturis inter se comparandis probare et explicare, quae autem his contrariae sint, haereses ex iisdem possit refutare; unde consequatur, ut pro fide propter auctoritatem suscepta acquirat fidem arte et sacris scripturis firmatam.[2])

Iamque duos potissimum locos affert, quibus ea, quae contendit, probet. Quum autem et supra[3]) ostenderimus, munus illud probandi, muniendi, refutandi, a Clemente philosophiae potius quam γνώσει vindicari[4]), et infra τὴν γνῶσιν prorsus aliam vim habere simus expositvri: sic tantum examinandum est, utrum ex locis illis

---

[1]) „Sie, (die Alexandriner, besonders Clemens) schrieben der Gnosis nur das Werk zu, das durch den Glauben zuerst Angeeignete, in das innere Leben Aufgenommene zum hellen Bewusstsein zu bringen, es seinem vollständigen Inhalte und innern Zusammenhange nach zu entwickeln, wissenschaftlich zu begründen und in wissenschaftlicher Form darzustellen, zu beweisen, dass dies die echte von Christus herrührende Lehre sei, Rechenschaft davon zu geben, und es gegen die Einwürfe der Gegner unter heidnischen Philosophen und Haeretikern zu vertheidigen."

[2]) Ibid. p. 910. „Der Gnostikos sollte sich dadurch vor dem gewöhnlichen Gläubigen auszeichnen, dass er diese Wahrheiten aus der Vergleichung der heiligen Schrift mit sich selbst zu beweisen und zu erörtern, die entgegenstehenden Irrthümer aus derselben zu widerlegen wusste; an die Stelle eines kirchlichen Autoritätsglaubens sollte ein wissenschaftlich biblisch begründeter Glaube bei ihm treten." Et tamen qui haec scripsit, idem alio loco (p. 908) quam proxime ad veritatem accedens profitetur: „Eben dies ist das eigenthümlich Christliche in dieser alexandrinischen Theorie, dass sie die Gnosis nicht als eine Sache der blossen Speculation, sondern als etwas aus der ganzen durch den Glauben hervorgebrachten, im Wandel erprobten neuen innern Lebensrichtung Hervorgehendes, als einen habitus practicus animi auffassen." Quin etiam pag. 927 illis, quae modo attuli, plane repugnantia scribit: „(Der Gnostiker) bedarf keiner äusserlichen Ueberzeugungsgründe für die Göttlichkeit des Christenthums, er lebt im Bewusstsein und in der Anschauung der göttlichen Wahrheit und fühlt sich schon jetzt darin selig." Nec vero haec mea est sententia. Evertit enim, quum persuasione fides nitatur, fide autem *γνῶσις*, non solum *γνῶσιν*, sed etiam fidem.

[3]) cf. § 1.

[4]) Conferantur etiam haec verba diserta et aperta: *οἱ τοίνυν φιλόσοφοι, οἱ εἰς τὴν οἰκείαν συναίσθησιν πνεύματι αἰσθητικῷ συνασκηθέντες, ἐπὰν μὴ μέρος φιλοσοφίας, ἀλλὰ τὴν αὐτοτελῶς φιλοσοφίαν πολυπραγμονῶσι, φιλαληθῶς τε καὶ ἀτύφως προσμαρτυροῦντες τῇ ἀληθείᾳ· κἂν παρὰ τοῖς ἑτεροδόξοις ἐπὶ τῶν καλῶν εἰρημένων προσκόπτωσιν εἰς σύνεσιν, κατὰ τὴν θείαν διοίκησιν τὴν ἄῤῥητον ἀγαθότητα, τὴν ἑκάστοτε εἰς τὸ ἄμεινον κατὰ τὸ ἐγχωροῦν προσαγομένην τὴν τῶν ὄντων φύσιν· ἔπειτα οὐχ Ἕλλησι μόνον, ἀλλὰ καὶ βαρβάροις ὁμιλήσαντες, ἐπὶ τὴν πίστιν ἐκ συνασκήσεως κοινῆς εἰς σύνεσιν ἰδίαν ἄγονται· παραδεξάμενοι δὲ τὸν θεμέλιον τῆς ἀληθείας δύνα-*

necessario concludenda sint, quae Neander dicit, an liceat aliam interpretationem rationi convenientem invenire. Quod si illud acciderit, quoniam quae ipsi sumus in medium allaturi, non aliter possunt intelligi, Clementem τῆς γνώσεως duplicem admittere significationem agnoscemus; sin hoc evenerit, loci ambigui ex planis et necessariis explicandi. Prior igitur locus est.

ἡ μὲν οὖν πίστις σύντομός ἐστιν, ὡς εἰπεῖν, τῶν κατεπειγόντων γνῶσις· ἡ γνῶσις δὲ ἀπόδειξις τῶν διὰ πίστεως παρειλημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος, διὰ τῆς κυριακῆς διδασκαλίας ἐποικοδομουμένη τῇ πίστει, εἰς τὸ ἀμετάπτωτον καὶ μετ' ἐπιστήμης καὶ καταληπτὸν παραπέμπουσα[1]).

Qui quidem locus magnam Neandri opinioni veritatis speciem largitur, sed praeter speciem nihil. Si quidpiam unquam scriptum non est seiungendum ab eis, e quibus nexum est aptumque ab auctore: in illis profecto verbis hoc video. Nam toti libri VII. parti, quae agit in universum de γνώσεως fonte et notione, eiusque munere in hominum salute perficienda, qualemque ferat fructum coelestem: toti igitur parti generali verba modo transscripta finem imponunt, ita autem, ut, quae decem capitibus sunt disputata, breviter, ut summa, iterentur. Quamobrem sententia adnectitur particula: „οὖν." Sed nec fons, nec notio, nec munus, nec fructus ita describitur, (id quod infra[2]) videbimus), ut Neandri opinio ulla ex parte confirmetur; imo ex unoquoque eorum sequitur contrarium. Hic illud tantum moneo; τὴν γνῶσιν non doctrina vel eruditione secundum generalem partem illam oriri, sed „dei gratia"[3]); τὴν γνῶσιν porro non consistere in demonstrando refutandoque, sed in deo contemplando confici[4]); τὴν γνῶσιν praeterea non vindicare veritatem ab haereticis, sed omnes vitae conditiones illustrare et consecrare, ut sit „hominis ut hominis perfectio quaedam, completa rerum divinarum scientia, et moribus et vita et sermone consona atque consentiens sibi ipsi Verboque divino"[5]); τὴν

μιν προσλαμβάνουσι προϊέναι πρόσω ἐπὶ τὴν ζήτησιν· κἀνθένδε ἀγαπῶσι μὲν μαθητευσάμενοι, γνώσεως ὀριγνώμενοι, σπεύδουσιν εἰς σωτηρίαν. Strom. VI. p. 820. 8—20. Primum ergo locum fides tenet et quaestio cum omni philosophiae studio; alterum, medium, caritas; tertium *γνῶσις*.

[1]) Strom. VII. p. 865. 38—866. 3.

[2]) sqq. §§.

[3]) l. c. p. 864. 35. 865. 1. *χάριτι τοῦ θεοῦ.*

[4]) l. c. p. 865. 35.

[5]) Strom. VII. p. 864. *τελείωσίς τις ἀνθρώπου ὡς ἀνθρώπου, διὰ τῆς τῶν θείων ἐπιστήμης συμπληρουμένη, κατά τε τὸν τρόπον καὶ τὸν βίον καὶ τὸν λόγον σύμφωνος καὶ ὁμόλογος ἑαυτῇ τε καὶ τῷ θείῳ Λόγῳ.*

γνῶσιν denique finem habere non haereticorum confusionem sed „caritatem et haereditatem“[1]), „esse eum Domino, ubi (mens) proxime ei subiecta est“[2]).

Sed singula consideremus. Primum igitur πίστιν ipsam γνῶσιν appellari non est negligendum. Id enim haud faceret Clemens, si tantum discrimen, quantum Neander reperire sibi videtur, fuisset definiturus. Quid autem de his verbis:

ἡ γνῶσις δὲ ἀπόδειξις τῶν διὰ πίστεως παρειλημμένων ἰσχυρὰ καὶ βέβαιος

dicemus? Nonne haec disertis verbis probant Neandri sententiam[3])? Videntur probare, probant minime. Is enim verba:

γνῶσίς ἐστιν ἀπόδειξις

non proprie et ad verbum interpretatur, sed ita, ut suspiceris esse scriptum:

γνῶσίς ἐστιν ἐποικοδομουμένη τῇ ἀποδείξει,

quasi γνῶσις ἐκ τῆς ἀποδείξεως proficiscatur ideoque ἀπόδειξις ipsa appelletur. Quod tamen de sola fide dicendum est. Fides demonstratione aedificatur. Haec enim est „libera antecedentis demonstrationis assensio, sed assensio rei cuidam firmae“[4]), i. e. cognitioni, quam propter rectam demonstrationem esse veram persuasum habemus. Verum enimvero est sane etiam ipsa γνῶσις ἀπόδειξις quaedam, non ea, quae est arte et secundum praecepta, sed quam nos dicere solemus: „thatsächlichen Beweis.“ Nam qui Verbis Domini creditis vitam similem reddiderit, hic mox ea, quae credidit, novo animi oculo quasi cernet et percipiet. Tum vero illud ipsum cernere et percipere erit demonstratio, vera esse, quae creduntur. Quum enim ἡ γνῶσις sit „visio quaedam mentis eorum, quae sunt,“ i. e. essentiarum, quae „omnia comprehendit — nihil enim, quin comprehendi possit a filio dei; nihil igitur, doceri quod nequeat; — fit ipsa ergo fides demonstratio firma“[5]). Eam enim ob causam γνῶσις vocatur firma demonstratio, quia revera est „firma

---

1) Strom. VII. p. 865. 5—6. *τὴν ἀγάπην καὶ τὴν κληρονομίαν.*

2) Ibid. *τὸ σὺν τῷ Κυρίῳ γίνεσθαι, ὅπου ἐστὶν (ἡ ψυχὴ) προσεχῶς ὑποτεταγμένη.*

3) Redep. l. c. p. 168: „Die Gnosis ist die bündige feste Beweisführung für dasjenige, was man im Glauben aufgenommen.“

4) Strom. II. p. 433. *ἡ ἑκούσιος προαποδείξεως συγκατάθεσις, ἀλλὰ συγκατάθεσις ἰσχυρῷ τινι.*

5) Strom. VI. p. 775. *θέα τις τῆς ψυχῆς τῶν ὄντων — πάντα καταλαμβάνει — οὐδὲν γὰρ ἀκατάληπτον τῷ υἱῷ τοῦ θεοῦ, ὅθεν οὐδὲν ἀδίδακτον· — γίνεται τοίνυν αὕτη ἡ πίστις ἀπόδειξις βέβαιος.*

divinae scientiae comprehensio,“ quae potest etiam merito nuncupari „firma scientia“[1]); cuius quidem munus non est „quaerere“ (ζητεῖν), (quo verbo Clemens semper utitur in disputationibus arte institutis), sed „considerare“ (σκοπεῖν) et dinina et humana[2]); non demonstrat, sed contemplatur consideratque omnia[3]).

Iam vero transeamus ad reliqua:

εἰς τὸ ἀμετάπτωτον καὶ μετ᾽ ἐπιστήμης καταληπτὸν (καταληπτικὸν) παραπέμπουσα.

Et iuvat Neandri verba repetere: „An die Stelle eines kirchlichen Auctoritätsglaubens sollte ein wissenschaftlich biblisch begründeter Glaube treten.“ !!! De quibus multum me esse non iam opus est. μετ᾽ ἐπιστήμης enim hoc loco minime est nostrum: „wissenschaftlich,“ sed simpliciter: „wissend,“ „mit Bewusstsein,“ id quod quum ex tota libri VII. parte generali apparet, tum ex eis, quae proxime antecedunt, manifesto deprehenditur. Describit enim τῆς γνώσεως finem ultimum hoc modo: „Est igitur γνῶσις ad expiandum velox idoneaque, quae conversionem ad meliorem frugem commode recipiat. Unde facile etiam traducit ut in novum domicilium (μετοικίζει) in illud, quod est menti cognatum, divinum sanctumque, et per proprii cuiusdam luminis mysticas progressiones transfert hominem, donec in summo requietis loco eum deposuerit, corde purum facie ad faciem ἐπιστημονικῶς καὶ καταληπτικῶς deum contemplari docens“[4]). Et illud quidem: „facie ad faciem deum contemplari,“

---

1) l. c. VII. p. 838. *βέβαιος κατάληψις τῆς θείας ἐπιστήμης — βέβαιος ἐπιστήμη.*

2) Ibid.

3) Si quid aliunde petitum ad hunc locum, quo de agimus, recte exponendum redundet, diligentissime oportet sententiarum contextus ponderetur; neque enim ubique *γνῶσις* et *πίστις* tam accurate distinguuntur. Velut. Strom. II. p. 454—455 sane de demonstrando ex sacris scripturis sermo quum sit, protinus *ἡ γνῶσις ὀρθῶς* dicitur *ἀπόδειξις*; sed haec *γνῶσις* nihil aliud est nisi *πίστις* eius, qui est eruditus. Paullo enim ante haec leguntur: *ἡ γὰρ ἀνωτάτω ἀπόδειξις, ἣν ἠνιξάμεθα, ἐπιστημονικὴν πίστιν ἐντίθησιν.* Quare verbo quoque *τοῦ ζητεῖν* utitur, minime *σκοπεῖν* vel *θεωρεῖν.* — Ceterum quod *γνῶσιν* appello „thatsächlichen Beweiss,“ non desunt exempla, quibus hanc loquendi rationem probare possim. Ut uno exemplo hic utar: Clemens dei vocem ipsam dicit demonstrationem, cui contra dici nequeat.

4) Strom. VII. p. 865. *ταχεῖα τοίνυν εἰς κάθαρσιν ἡ γνῶσις, καὶ ἐπιτήδειος εἰς τὴν ἐπὶ τὸ κρεῖττον εὐπρόσδεκτον μεταβολήν. ὅθεν καὶ ῥᾳδίως εἰς τὸ συγγενὲς τῆς ψυχῆς θεῖόν τε καὶ ἅγιον μετοικίζει, καὶ διά τινος οἰκείου φωτὸς διαβιβάζει τὰς προκοπὰς τὰς μυστικὰς τὸν ἄνθρωπον, ἄχρις ἂν εἰς τὸν κορυφαῖον ἀποκαταστήσῃ τῆς ἀναπαύσεως τόπον, τὸν παθαρὸν τῇ καρδίᾳ, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον ἐπιστημονικῶς καὶ καταληπτικῶς τὸν θεὸν ἐποπτεύειν διδάξασα.*

sine ulla dubitatione de vita coelesti est intelligendum, quoniam „manifestum, neminem posse hoc vitae tempore deum evidenter comprehendere (καταλαβέσθαι)“[1]). In coelo autem, num demonstrando ex sacris scripturis, comparandis locis discrepantibus inter se et abhorrentibus, ratiocinando, concludendo deus cernetur? Ἐπιστημονικῶς ἐποπτεύειν profecto igitur non est: „wissenschaftlich schauen,“ sed „wissend, mit Bewusstsein schauen.“ Vox καταληπτικῶς porro referendum est ad admirabilem illam inter deum et hominem communionem, qua animus animum quasi sentit ac percipit, a piis christianis in terra inchoatam, perfectam futuram in coelo. Quae quum ita sint, et hoc μετ' ἐπιστήμης idem esse affirmabimus, atque illud ἐπιστημονικῶς et totum enuntiatum εἰς τὸ μετ' ἐπιστήμης καταληπτὸν παραπέμπουσα non minus quam alterum ἐπιστημονικῶς καὶ καταληπτικῶς ἐποπτεύειν διδάξασα ad conditionem coelestem spectare arbitrabimur.

Sed alter locus, quem Neander opinionis suae auctorem laudat, hic est:

> οὐ γὰρ ἁπλῶς ἀποφαινομένοις ἀνθρώποις προσέχοιμεν, οἷς καὶ ἀνταποφαίνεσθαι ἐπ' ἴσης ἔξεστιν. εἰ δ'οὐκ ἀρκεῖ μόνον ἁπλῶς εἰπεῖν τὸ δόξαν, ἀλλὰ πιστώσασθαι δεῖ τὸ λεχθὲν, οὐ τὴν ἐξ ἀνθρώπων ἀναμένομεν μαρτυρίαν, ἀλλὰ τῇ τοῦ Κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον· ἢ πασῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρα, μᾶλλον δὲ, ἣ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει· καθ' ἣν ἐπιστήμην οἱ μὲν ἀπογευσάμενοι μόνον τῶν γραφῶν, πιστοί· οἱ δὲ καὶ προσωτέρω χωρήσαντες, ἀκριβεῖς γνώμονες τῆς ἀληθείας ὑπάρχουσι, οἱ γνωστικοί[2]).

Ac primum quidem miror, virum diligentem non transscripsisse, quae sequuntur: „siquidem etiam in eis rebus, quae ad vitam pertinent, artifices plus habent, quam rudes, et, ut commune est iudicium, exprimunt id, quod est melius.“ Haec enim magna cum probabilitate in suam partem vertere poterat, quamquam haec probabilitas, omnibus considerate perpensis, evanescet. Namque demonstratio hoc loco aperte dicitur vox Domini. Neque igitur est „Beweisart“[3]), nulla argumentatio, qua ratiocinando et concludendo ad verum accedatur. Et verbum quidem aliquod vere esse verbum dei, id ut credatur argumentatione opus est accurata; sed creditum

---

[1]) Strom. V. p. 647. *δῆλον, μηδένα ποτὲ δύνασθαι παρὰ τὸν τῆς ζωῆς χρόνον τὸν θεὸν ἐναργῶς καταλαβέσθαι.*

[2]) Strom. p. 891. 4—14.

[3]) Neand. l. c. p. 911.

dei verbum ut a deo profectum verum esse ipsa dei φωνή, quippe eius, qui nec falli nec fallere potest, testis est luculentissima, i. e. demonstratio omnium demonstrationum fide maxime digna." Sed Neander ex hoc loco γνῶσιν esse demonstrandi rationem quandam didicit. Sane nescio an satis sit ridiculum, contendere, omnes fideles, quamvis longe ab omni urbanitate et eruditione remotos alienosque, scientiae, quae arte atque praeceptis comparatur, nonnulla saltem ex parte participes esse. Nam quum in eo discrimen, quod statuitur, positum esse dicat Clemens, quod alii gustaverint tantum scripturas, alii autem in eis cognoscendis processerint: profecto, si de demonstratione illa, arte instituta, sermo esset, quae Graecae et Hebraicae linguae peritos flagitat: omnes fideles demonstrarent, quae crederent, oporteret, quamquam non omnes optime, optime autem gnostici. Cuiusmodi sententiam equidem in Clementis scriptis non reperio. Ceterum loco l. non agitur de γνώσεως notione, sed de fructu aliquo, quem γνῶσιν ferre dicit auctor, de scripturarum, inquam, sana et perfecta interpretatione. Qui enim scripturas voluerit penitus intelligere, et γνωστικὸς iam sit oportebit, et interpretetur, omnibus opinionibus praeiudicatis contemtis, artem et praecepta rationis secutus[1]); quo munere etiam is fungi potest, qui non est gnosticus, quamquam maximam partem frustra. Sed discrimen illud inter fidem et γνῶσιν omnino non pertinet ad credendi rationes; itaque ne ad doctam quidem demonstrationem, qua fides nititur, dum ipsa fide γνῶσις quasi aedificatur; sed rei credendae cognitionem respicit, quae nonnulla saltem ex parte adsit necesse est praeter credendi rationum cognitionem firmam, ut fides nascatur. Huc igitur „gustare" illud spectare censendum. Ne autem Neandri opinioni ulla probabilitas restet, verba, quae locum supra transscriptum excipiunt, afferam: „Sic ergo nos quoque ex ipsis scripturis perfecte demonstrantes ex fide persuademus ἀποδεικτικῶς."[2])

§ 16.

Quomodo ἡ γνῶσις Clementis nascatur.

Praeterea autem multa alia sunt, quae minus recte de Clementis γνώσει iudicata esse mihi videntur a viris haud contemnendis; sed et longum est, omnia pertractare, et spero, mea sententia prolata, multa inde illustratum iri.

---

[1]) Strom. VII. p. 889—892.

[2]) l. c. p. 891 sqq. Optime persuadebitur tibi, si totam l. VII. partem reliquam perlegeris.

Ac primum quidem perscrutandum esse arbitror, quomodo ἡ γνῶσις Clementina nascatur. Nascendi enim modus, ut, quid sit, declaretur, adiuvat. Data igitur conditione illa conformatae ad dei voluntatem vitae: γνῶσις nascitur, non potest tantum nasci, sed nascitur „dei gratia." Hoc autem ita fieri censet Clemens. Si quis praeceptis divinis obsecutus fuerit omnemque vitae suae rationem divinae voluntatis similem reddiderit, ut cor eius plane novum fiat: novo huic cordi, deo traditionem illam non scriptam scriptae intelligentiam aperientem largiente, nova lux oritur: „Postquam Apostolos docuit Servator, scriptae non scripta iam traditur nobis quoque traditio, quae in novis cordibus secundum libri renovationem dei potentia inscribitur."[1]) Quae lux nihil aliud est nisi γνῶσις. Quamobrem hunc s. s. locum: „Ecce facio nova, quae oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascenderunt," ita explicat: „novo oculo, nova aure,[2]) novo corde, quaecunque (ex novis illis) possunt videri audirique: fide possunt comprehendi et intelligentia;[3]) nam discipuli Domini dicunt, audiunt, agunt spiritu."[4]) Sed traditionem illam coelestem, quae alias „διδασκαλία" a Clemente appellatur, et τὴν γνῶσιν gignere, et gignere eam propter dei gratiam, eandemque dari eis, qui se dignos praestiterint, apertissime ex hoc loco apparet: „ἡ γνῶσις, ex traditione quasi per manus tra-

[1]) Strom. VI. p. 806. διδάξαντος τοῦ Σωτῆρος τοὺς Ἀποστόλους, ἡ τῆς ἐγγράφου ἄγραφος ἤδη καὶ εἰς ἡμᾶς διαδίδοται παράδοσις, καρδίαις καιναῖς κατὰ τὴν ἀνακαίνωσιν τοῦ βιβλίου τῇ δυνάμει τοῦ θεοῦ ἐγγεγραμμένη. Nescio quid Neandro in mentem venerit, traditionis nulla facta mentione, τῆς γνώσεως fontem solas esse s. s. litteras, scribenti (l. c. p. 910). Et Redep. quoque (l. c. p. 137 adnot.) s. s. scripturas solas esse τῆς γνώσεως normam ex eis concludit, quae Strom. l. VII. p. 829 continentur. Sed p. 829 rei contrariae potius indicium prodit. Quod autem Daehnius (l. c. p. 36. 56. 57) affirmat, τῆς γνώσεως Clementis originem maxime deberi Graecae philosophiae: nihil habeo, quod dicam.

[2]) Redep. (l. c. p. 156) aurem mentis idem significare atque oculum, Clementemque his verbis ad Plotini placitum accedere affirmans haud dubie errat. Neque enim mentis auditus apud Clementem est perceptio quaedam interna tantum, sed ad Evangelii praedicationem spectat. Nisi praedicatum esset verbum dei, ille profecto fidem nunquam appellasset aurem. Nam fidem indicat, quoniam „fides," ut saepe monet, „ex auditu."

[3]) διὰ συνέσεως = γνώσεως.

[4]) l. c. II. p. 436. καιτῷ ὀφθαλμῷ, καινῇ ἀκοῇ, καινῇ καρδίᾳ, ὅσα ὁρατὰ καὶ ἀκουστὰ, καταληπτὰ διὰ τῆς πίστεως καὶ συνέσεως, πνευματικῶς λεγόντων, ἀκουόντων, πραττόντων τῶν τοῦ Κυρίου μαθητῶν.

dita secundum dei gratiam, eis, qui se ipsos disciplina dignos praebent, veluti depositum quoddam demandatur."[1])

Cognitio ergo mira illa nascitur „per veritatem"[2]). Veritas enim ipsa, i. e. Christus, hoc signum menti imprimit: „hic revera unigenitus, omnium regis omnipotentisque patris gloriae figura, (hic inquam), qui gnostico perfectae contemplationis sigillum secundum ipsius imaginem imprimit, iam ut tertia sit divina imago, quae quantum fieri potest, assimilatur secundae causae, vitae ipsius, per quam vitam vivimus veram, tanquam describentes nobis gnosticum illum, qui versatur in eis, quae sunt stabilia neque ullo modo possunt mutari"[3]).

Quae quum ita sint, sequitur, neque demonstratione, neque diligenter legendis s. s. scripturis, deficiente virtute et gratia, γνῶσιν posse acquiri. Sed ad illud quoque licet reverti, quod sub finem superioris § contendi, s. s. scripturas ab eo tantum penitus intelligi, qui iam sit gnosticus. Etenim, qui nondum est gnosticus, legat scripturas, quantum et quousque voluerit: quid sit id, quod scriptum legit, intelligere omni ex parte nequit. Solus enim gnosticus, sive legens sive audiens verbum Domini, prorsus eandem, atque dominus, qui loquitur, cogitationem concipit; intelligit ea, „quae dicit, ut dicit." Gnosticis legentibus scripturae pariunt quidem veritatem; haereticis autem, quamvis arte praeditis et praecepto interpretandique, quam schola postulat, ratione, steriles evadunt[4]). Quinimo, quorum inprimis est scientia, qui sunt eruditione praeclara omnique arte potiti, ne hi quidem, qua tales, in totam penetrant veritatis contemplationem, quia „caro et sanguis non revelat veritatem, sed pater in coelis," quia ipsa tantum paterna potestate cognoscimus filium omnipotentis[5]).

---

[1]) l. c. VII. p. 864—865. *ἡ γνῶσις δὲ ἐκ παραδόσεως διαδιδομένη κατὰ χάριν θεοῦ, τοὺς ἀξίους σφᾶς ἑαυτοὺς τῆς διδασκαλίας παρεχομένους, οἷον παρακαταθήκη ἐγχειρίζεται.*

[2]) l. c. V. p. 644, 3. *διὰ τῆς ἀληθείας.*

[3]) l. c. VII. p. 837—838. *οὗτος ὁ τῷ ὄντι μονογενὴς, ὁ τῆς τοῦ παμβασιλέως καὶ παντοκράτορος πατρὸς δόξης χαρακτὴρ, ἐναποσφραγιζόμενος τῷ γνωστικῷ τὴν τελείαν θεωρίαν κατ' εἰκόνα τὴν ἑαυτοῦ, ὡς εἶναι τρίτην ἤδη τὴν θείαν εἰκόνα, τὴν ὅση δύναμις ἐξομοιουμένην πρὸς τὸ δεύτερον αἴτιον, πρὸς τὴν ὄντως ζωὴν, δι' ἣν ζῶμεν τὴν ἀληθῆ ζωήν· οἷον ἀπογράφοντες τὸν γνωστικὸν γινόμενον ἡμῖν, περὶ τὰ βέβαια καὶ παντελῶς ἀναλοίωτα ἀναστρεφόμενον.*

[4]) Strom. VII. p. 890. *διόπερ τοῖς γνωστικοῖς κεκυήκασιν αἱ γραφαί· αἱ δὲ αἱρέσεις οὐκ ἐκμαθοῦσαι ὡς μὴ κεκυηκυίας παραπέμπονται.*

[5]) l. c. VII. p. 807. *οἱ μὲν τὸ σῶμα τῶν γραφῶν τὰς λέξεις καὶ τὰ ὀνόματα, καθάπερ τὸ σῶμα τὸ Μωϋσέως, προσβλέπουσιν· οἱ δὲ, τὰς διανοίας*

§ 17.
Quid sit ἡ γνῶσις.

Quid autem sit ἡ γνῶσις, quae eius vis ac natura, a Clemente tam saepe clare et distincte expositum est, ut, quem locum primum afferam, nesciam fere. Sed quod attinet ad modum illum, quo haec altior cognitio nascitur, licet nonnulla ex re ipsa propter mentis nostrae naturam sequentia addere, quae ad vim eius illustrandam haud parvi sunt momenti. Conditio enim, sine qua nunquam oritur, ab hominis munere recta est vitae institutio ad fidem apta et accommodata, quae inde proficiscetur, quod homo mandata dei diligere inceperit. Iam si quis quidpiam coeperit adamare, ad hoc totum animum advertit, quo fit, ut diligentius id undique videat, consideret, contempletur. Neque igitur mirum, quod idem mox novis oculis intueatur, quum permulta conspiciat, quae antea ne suspicatus est quidem. Quos novos oculos, quibus aliquis revelationem adamatam videt, si deus gratia illuminante acuerit, ipseque deus, „in quo vivimus, movemur et sumus," menti nostrae mirabili quadam ratione appropinquaverit, ut a nobis oculis novis illis quasi cernatur: qualem veritatis perceptionem et comprehensionem adepturi simus, haud difficile est ad intelligendum. Atque haec veritatis comprehensio „γνῶσις" est, eaque sola vera: „ἡ γνῶσις filii et patris, quae est secundum normam gnosticam, vere gnosticam, est animadversio et (plena) comprehensio veritatis per veritatem"[1]). ἡ γνῶσις enim Clementina non versatur in eo, ut ex tui ipsius conscientia (Selbstbewusstsein) eadem cognoscas solám secutus rationem, quae divinitus iam sunt communicata, sed veritatis communicatae, quam et credens consideraveris et vita fueris imitatus, cognitio est γνῶσις, praeclarior

---

καὶ τὰ ὑπὸ τῶν ὀνομάτων δηλούμενα διορῶσι, τὸν μετ' Ἀγγέλων Μωϋσέα πολυπραγμονοῦντες. ἀμέλει καὶ τῶν ἐπιβοωμένων τὸν Κύριον αὐτὸν, οἱ μὲν πολλοὶ, υἱὲ Δαβὶδ, ἐλεησόν με, ἔλεγον· ὀλίγοι καὶ υἱὸν ἐγίγνωσκον τοῦ θεοῦ, καθάπερ ὁ Πέτρος, ὃν καὶ ἐμακάρισεν, ὅτι αὐτῷ σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψε τὴν ἀλήθειαν, ἀλλ' ἢ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, δηλῶν τὸν γνωστικὸν οὐ διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ τῆς κυηθείσης, ἀλλὰ δι' αὐτῆς τῆς δυνάμεως πατρικῆς, γνωρίζειν τὸν υἱὸν τοῦ παντοκράτορος. οὐ μόνον τοίνυν τοῖς ἐπιτυγχάνουσιν ἁπλῶς οὕτως δύσκολος ἡ τῆς ἀληθείας κτῆσις, ἀλλὰ καὶ ὧν τυγχάνει ἡ ἐπιστήμη οἰκεία, μηδὲ τούτοις ἀθρόαν δίδοσθαι τὴν θεωρίαν ἡ κατὰ τὸν Μωϋσέα ἱστορία διδάσκει etc.

[1]) Strom. V. p. 644. *γνῶσις δὲ υἱοῦ καὶ πατρὸς, ἡ κατὰ τὸν γνωστικὸν, τὸν τῷ ὄντι γνωστικὸν, ἐπιβολή καὶ διάληψίς ἐστιν ἀληθείας διὰ τῆς ἀληθείας.*

ea quidem et dilucidior, imo cognitio, quae prorsus, quoad hic fieri potuerit, quadrat in dei revelantis cogitationem. „Dominus, „„„qui habet aures, inquit, audiendi, audiat,““ ut si crediderit, intelligat ea, quae dicit (Dominus), ut dicit“[1]). Quae sententia probatur alio loco, ubi gnosticum divina mysteria ab unigenito dei filio discere Clemens aperte docet[2]).

Nec porro cognitio illa dilucidior ita est accipienda, quasi, quum plures, quam antea, credendi rationes, vel firmiores, studiis philosophicis et theologicis conquisitae, fidem nunc stabiliant augeantque, quasi igitur his fides fiat firmior; nam fides, ut quae inde ab initio auctoritate nitatur divina, neque eget maiori stabilitate neque stabilior fieri potest unquam[3]). Nulli alii subiici potest commutationi in melius nisi ad contemplationem ascensioni. Neque omnino, ut hoc repetam, in causis credendi reperiendis ἡ γνῶσις cernitur, sed in creditis penitus intelligendis et tanquam intuendis; est enim ipsa „visio“ quaedam: „γνῶσις . . . visio mentis est essentiarum, vel alicuius, vel plurium; perfecta autem omnium“[4]). Visio autem eorum, quae sunt, maiorem vim habet, quam persuasio quaedam, quae raciocinatione efficitur et conclusione. Mens enim τῇ γνώσει veritatem ipsam quasi tangit sua essentia, sensu quodam proprio percipit. Quemadmodum haec, quae his oculis cernuntur, corporis sensibus percipimus: sic gnosticus mentis sensu novo ea, quae non videntur, quasi sentit ac percipit. Nam gnosticus eandem fere cum deo habet communionem et commercium, atque animi per sese viventes ab omni concretione segregati, veluti angeli. Quamobrem, quum Gnosticus eodem paene modo, quo corporis oculis (sensibus in universum) res, quae sub sensus cadunt, percipiuntur, novo mentis oculo res, quae hos sensus fugiunt, agnoscat: eadem συνέσεως voce, qua rerum externarum perceptionem cum animalibus etiam brutis communem nobis significat,[5]) utitur Clemens, ut, qualis sit gnostici coelestium cognitio rerum, declaret. Velut

---

[1]) Ibid. . . . . ὁ Κύριος λέγων: ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω· ἵνα δὴ πιστεύσας συνῇ ἃ λέγει, ὡς λέγει.

[2]) l. c. VII. p. 831. ὁ (Λόγος) διδάσκαλος οὗτος,· ὁ παιδεύων μυστηρίοις μὲν τὸν γνωστικόν.

[3]) cf. § 11.

[4]) l. c. VI. p. 775. γνῶσις . . . θέα τις ἐστὶ τῆς ψυχῆς τῶν ὄντων, ἤτοι τινὸς, ἢ τινῶν· τελειωθεῖσα δὲ τῶν συμπάντων.

[5]) l. c. VI. p. 737. λέγεται δὲ καὶ ἄλλως διττὴ ἡ γνῶσις· ἡ μὲν κοινῶς . . . . σύνεσίς τε καὶ ἀντίληψις . . . . ἧς οὐ μόνον αἱ λογικαὶ (δυνάμεις), ἀλλ' ἴσως καὶ αἱ ἄλογοι μεθέξουσιν.

supra[1]) vidimus, quaecunque ex novis illis rebus coelestibus possint comprehendi, comprehendi eas „fide et διὰ συνέσεως." Et comprehenduntur ea quidem novo oculo, nova aure, novo corde. Auris autem ad fidem spectat[2]), cor fide renovatur, novus oculus, i. e. γνῶσις, aperitur. Nullum ergo dubium, quin „συνέσεως hoc loco idem sit atque γνώσεως"[3]). Sed eandem ob causam est etiam: „pervidens doctrinae" (des Erkenntniss-Objectes, des Offenbarungsinhaltes) perspicacitas, constans rerum contemplandarum potestas"[4]). Est porro „contemplatio," θεωρία quaedam et mentis quasi sanitas. „Qui autem ad summum iam pervenit γνώσεως gradum, precatur, ut contemplatio augeatur permaneatque, sicut homo vulgaris, ut continenter sit sanus"[5]). Quinetiam, quamquam neminem totum per huius vitae tempus unquam deum ἐναργῶς posse comprehendere manifestum est; quamquam, si quis, fore ut omnia αἰσθητῶς percipiat, suspicatus fuerit, longe a veritate aberrabit,[6]) quum adhuc tanquam per speculum videamus: tamen nonnullis, etiamsi paucis, „visio quaedam veritatis," mentis certe oculo, „data est"[7]).

Quodsi, quae de mira illa cognitione deque eius vi ac notione exposuimus, paucis complexi fuerimus, ita fere eam definiemus: „ἡ γνῶσις" est **cognitio** creditae revelationis **pervidens**, quae e mentis visione quadam essentiarum, caritatis praemio, nascitur[8]).

---

[1]) § 16.

[2]) l. c. V. p. 644. 7. *πίστις δὲ, ὦτα ψυχῆς.*

[3]) cf. l. c. V. p. 644. 7—12. Animadvertas etiam velim, quum *γνῶσις* idem sit atque *σύνεσις, γνῶσις* autem „mentis oculus" appelletur, *σύνεσιν* quoque dici *ὄψιν ψυχῆς.*

[4]) l. c. VII. p. 857. *διορατικὴ τῆς ἐπιστήμης δριμύτης, ἔμμονος τῶν θεωρητῶν δύναμις.*

[5]) l. c. p. 859. *κορυφαῖος δ' ἤδη ὁ γνωστικὸς θεωρίαν εὔχεται αὔξειν τε καὶ παραμένειν, καθάπερ ὁ κοινὸς ἄνθρωπός τὸ συνεχὲς ὑγιαίνειν.* Similitudinem sanitatis corporis sine dubio Clemens consulto elegit.

[6]) l. c. V. p. 647. *ἐὰν δέ τις αἰσθητῶς τὰ πάντα καταλήψεσθαι προσδοκήσῃ, πόῤῥωθεν τῆς ἀληθείας πέπτωκεν.*

[7]) 22—23. *ὀλίγοις γὰρ ἡ τῆς ἀληθείας θέα δέδοται.*

[8]) Hac definitione posita, Clemens, *τὴν γνῶσιν* e caritate, maiorem autem caritatem *ἐκ τῆς γνώσεως* nasci, alteramque ex altera prorsus pendere non potuit non affirmare. Et merito quidem *τὴν γνῶσιν* caritate potius metiebatur, quam „multitudine notitiarum," quod Redep. ei affingit. (l. c. p. 168: nach dem Umfange der Kenntnisse").

§ 18.

Quae τῇ γνώσει cognoscantur.

Quum autem ἡ γνῶσις non sit scientia quaedam theologica, qua fides stabiliatur, sed eorum, quae stabilitate invicta, auctoritate divina, gaudent, pervidens cognitio: ad omnia eam et morum et fidei, quae vocamus, dogmata pertinere, in promptu est. Sed Clemens disertis verbis hoc declarat: „hic autem (θεοπρεπὴς = γνωστικὸς) nescio an sit, qui noverit, quid deceat et in scientia et in vita unicuique vivenda, qui dei similis futurus sit, imo iam assimiletur" [1]). Et „gnostici, credo, finis hic duplex evadit: in aliis contemplatio cum scientia, in aliis actio" [2]). ἡ γνῶσις enim est omnia illuminans, et creaturam creatoremque, et, quae intercedit inter utrumque, rationem. „Et lumen illud (i. e. ἡ γνῶσις), quod in mente ex obedientia mandatis praestita nascitur, omnia manifesta aperiens, et quae ad originem ortumque pertinent, et ipsum hominem, quem seipsum cognoscere docet ad deumque attendere animum" [3]). Sed omnino γνῶσιν omnia contemplari et divina et humana sententia est Clementis ubique obvia. Praeclarissimus autem locus huc spectans, qui singula enumerat, nihilque cui addideram, hic est. „Sui suorumque moderator (gnosticus), firmam divinae doctrinae comprehensionem possidens, ad veritatem revera accedit. Eorum enim, quae mente tantum percipiuntur, cognitio atque comprehensio firma merito dicatur scientia, eaque duplex. Et altera quidem divina habet munus considerandi, quae sit prima causa, quid sit, per quod omnia facta sunt, et sine quo nihil factum; quaenam autem sint ea, quae partim ut penetrantia exsistunt, partim ut continentia; quae porro sint inter se iuncta et copulata, quae disiuncta; quemnam vero horum quidque habeat ordinem, vimque qualem, et quo fungatur ministerio. Altera autem humana contemplatur, quid sit ipse homo, quidque secundum eius naturam, quid contra;

---

[1]) Strom. VII. p. 830. *οὗτος δ' ἂν εἴη, ὁ εἰδὼς τὸ πρέπον, καὶ κατὰ τὴν ἐπιστήμην καὶ κατὰ τὸν βίον ὅτῳ βιωτέον ἐσομένῳ καὶ ἐξομοιουμένῳ ἤδη θεῷ.*

[2]) Ib. p. 895. *τέλος γὰρ οἶμαι τοῦ γνωστικοῦ τό γε ἐνθαῦτα διττόν· ἐφ' ὧν μὲν, ἡ θεωρία ἡ ἐπιστημονική· ἐφ' ὧν δὲ, ἡ πρᾶξις.*

[3]) l. c. III. p. 531. *καὶ φῶς ἐκεῖνο τὸ ἐν τῇ ψυχῇ ἐγγενόμενον ἐκ τῆς κατὰ τὰς ἐντολὰς ὑπακοῆς, τὸ πάντα κατάδηλα ποιοῦν, τά τε ἐν γενέσει, αὐτόν τε τὸν ἄνθρωπον, ἑαυτόν τε γινώσκειν παρασκευάζον, καὶ τοῦ θεοῦ ἐπίβολον καθίστασθαι διδάσκον.*

quomodo agere debeat vel pati; quae sint eius virtutes, quae pravitates, quae sint bona, quae mala, quae media; omniaque perscrutatur, quaecunque ad fortitudinem, ad prudentiam, ad temperantiam pertinent, ad eamque, quae est omni ex parte perfecta, virtutem, iustitiam“[1]).

Quodsi quaeris ex me, quae τῇ γνώσει cognoscantur, respondeo: omnia.

§ 19.
Qui sit τῆς γνώσεως finis.

Ἡ γνῶσις autem per se tam est excellens et amabilis, ut, si ab aeterna beatitudine posset seiungi, praeferenda esse videretur[2]). Nam et ipsa laetitiae plena est et ad virtutem progreditur paene necessario. „Omnino fieri nequit, quin quem, scientia quum sit praeditus, corporis blanditiarum non pudeat“[3]). Ea est enim homo naturae bonitate, ut, bono cognito, divina gratia et praeveniente et adiuvante, resistere, nisi cognitione prius quasi vincta et obscurata, vix unquam possit. Itaque homo, malum facinus perpetraturus ita libero arbitrio utitur, ut inprimis omnem cogitationem boni perspicuam removeat[4]). Sed gnosticus, quum cognoscat, quid virtus sit in quacunque vitae conditione, quid ad eam adipiscendam conducat, nihil autem vel loci vel temporis unquam ei impedimento sit,

---

[1]) Strom. VII. p. 838. *ἄρχων οὖν ἑαυτοῦ (ὁ γνωστικὸς) καὶ τῶν ἑαυτοῦ, βεβαίαν κατάληψιν τῆς θείας ἐπιστήμης κεκτημένος, τῇ ἀληθείᾳ γνησίως πρόσεισιν. ἡ γὰρ τῶν νοητῶν γνῶσις καὶ κατάληψις βεβαία δεόντως ἂν λέγοιτο ἐπιστήμη, ἧς τὸ μὲν περὶ τὰ θεῖα ἔργον ἔχειν (ἔχει) σκοπεῖν, τί μὲν τὸ πρῶτον αἴτιον, τί δὲ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ χωρὶς οὗ γέγονεν οὐδέν· τίνα τε αὖ, τὰ μὲν ὡς διήκοντα, τὰ δὲ ὡς περιέχοντα, καὶ τίνα μὲν συνημμένα, τίνα δὲ διεζευγμένα· καὶ τίνα τούτων ἕκαστον ἔχει τὴν τάξιν, καὶ ἣν δύναμιν, καὶ ἣν λειτουργίαν εἰσφέρεται ἕκαστον. ἔν τε (ἐν δὲ) αὖ τοῖς ἀνθρωπίνοις, τί τε αὐτός ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, καὶ τί αὐτῷ κατὰ φύσιν ἢ παρὰ φύσιν ἐστίν. πῶς τε αὖ ποιεῖν ἢ πάσχειν προσήκει· τίνες τε ἀρεταὶ τούτου, καὶ κακίαι τίνες· περί τε ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ τῶν μέσων· ὅσα τε περὶ ἀνδρείας καὶ φρονήσεως καὶ σωφροσύνης τῆς τε ἐπὶ πᾶσι παντελοῦς ἀρετῆς δικαιοσύνης.*

[2]) l. c. IV. p. 626. *εἰ γ' οὖν τις καθ' ὑπόθεσιν προθείη τῷ γνωστικῷ, πότερον ἑλέσθαι βούλοιτο τὴν γνῶσιν τοῦ θεοῦ, ἢ τὴν σωτηρίαν τὴν αἰώνιον· εἴη δὲ ταῦτα κεχωρισμένα, παντὸς μᾶλλον ἐν ταυτότητι ὄντα· οὐδὲ καθοτιοῦν διστάσας, ἕλοιτ' ἂν τὴν γνῶσιν τοῦ θεοῦ, δι' αὐτὴν αἱρετὴν κρίνας εἶναι τὴν ἐπαναβεβηκυῖαν τῆς πίστεως δι' ἀγάπην εἰς γνῶσιν ἰδιότητα.*

[3]) l. c. III. p. 531. *παντάπασι γὰρ ἀδύνατον, ἅμα τε καὶ ἐπιστήμονα εἶναι, καὶ τὴν τοῦ σώματος κολακείαν (οὐκ) ἐπαισχύνεσθαι.*

[4]) Hanc naturae nostrae bonitatem intuentes, Socratis illud multum agitatum quidem, sed plerumque minus recte iudicatum: scientiam esse virtutem, intelligemus·

neque ipsius voluntate deficiente neque gratia: eam virtutis facultatem stabilitatemque assequitur, ut quemadmodum a lapide gravitas, sic ab ipso nec scientia nec virtus separari possit. Fit enim virtutis habitus exercitatione γνώσει convenienti naturalis, quamquam non invito ipso gnostico, sed vi libertatis, rationis, cognitionis, providentiae [1]). Quae virtutis stabilitas, quam petit a deo gnosticus, caritatis est perfectio: „qui (enim) ad γνῶσιν ascendit, caritatis perfectionem petet“ [2]). Quae verba, quum totius loci pulcherrimi, unde modo nonnulla ad gnostici virtutis stabilitatem exponendam deprompsi, quasi prooemium appareant, eiusdem ea argumentum brevi complecti iure concludere nobis videmur. Caritas igitur perfecta τῆς γνώσεως finis est. Et sane quidem ἡ γνῶσις, quamquam δι' ἀγάπην oritur, tamen inter perfectam caritatem et fidem medium tenet. Quod quomodo se habeat, postea dicemus; nunc res ipsa Clementis verbis probanda est. Fides igitur fundamentum est, γνῶσις aedificium, fastigium caritas. Et caritas quidem, praecellens illa, e γνώσει elucet „ex luce in lucem.“ Fidei enim (vivae, quam vocamus) fructus est γνῶσις, huius autem fructus caritas, caritatis haereditas. Finis igitur γνώσεως caritas est ea, quam sequitur intima cum deo communio. Sed de hoc fine Clemens tam egregie loquitur, ut non possim, quin totum hunc locum transscribam.

„Verum enimvero de deo non dubitare, sed credere est fundamentum γνώσεως. Utrumque autem Christus, et fundamentum (fides) et aedificium (γνῶσις), per quem etiam principium est et finis (fastigium = caritas); et extrema quidem non docentur, principium et finis, fides, inquam, et caritas. ἡ γνῶσις autem, ex traditione per dei gratiam distributa, eis, qui se ipsos disciplina dignos praebent, veluti depositum quoddam demandatur, ex qua caritatis ornamentum eluecet ex luce in lucem. Dictum est enim: „„„habenti adiicietur.“““ Fidei quidem γνῶσις; γνώσει caritas, caritati haereditas. Hoc autem evenit, si quis fide, γνώσει, caritate pependerit ex Domino, quocum ascendat eo, ubi fidei nostrae caritatisque deus est atque custos .... Ipsa (γνῶσις) ad finem (nos) ducit interminatum et perfectum, ante docens vitam nobis futuram secundum deum et cum diis, quum ab omni poena fuerimus liberati et supplicio, quae propter peccata in disciplinam

---

[1]) Strom. VII. p. 859. 5—31. Locus valde subtilis dignusque, qui saepius legatur.

[2]) Ibid. ὁ δὲ εἰς γνῶσιν ἐπαναβαίνων, τῆς ἀγάπης τὴν τελειότητα αἰτήσεται.

perpetimus salutarem. Post quam liberationem praemium et honores perfectis tribuentur, qui requieverint ab expiandi labore, requieverint ab omni alio munere, quamvis sancto et inter sanctos. Deinde vero eos, qui corde sunt puro, secundum appropinquationem ad deum sempiternae contemplationis manet restitutio. Et dii appellantur, qui in iisdem sedibus regiis erunt collocati (σύνθρονοι), in quibus ceteri dii, qui proximum a Salvatore domino ordinem tenent. Velox igitur ad expiandum ἡ γνῶσις idoneaque, quae ad meliorem frugem commode recipiat conversionem. Unde etiam facile traducit (quasi in novum domicilium) in id, quod est menti cognatum, divinum sanctumque, et per mysticas proprii cuiusdam luminis progressiones transfert hominem, donec in summo requietis loco eum deponat, corde purum, quem docet facie ad faciem, eumque scientem et comprehendentem contemplari deum" [1]).

O finem praeclarum et beatum!

§ 20.

Quinam sit aptus, qui τὴν γνῶσιν adipiscatur.

Ad τὴν γνῶσιν autem impetrandam neque quis natura est praeparatus, neque natura per se sola vitae momento quodam fit talis, neque qui est cuiuslibet artis peritus, neque qui liberalissimis studiis vacuit, hanc ob causam praeparatus accedit [2]). Sed qui τὴν γνῶσιν adipiscatur, eum novo mentis corde, quod fide viva formatur, praeditum esse oportet [3]). Itaque omnes homines, qui eam accipiant, apti fieri possunt. Nam fidelis esse potest homo vel maxime rudis, rusticus, illiteratus [4]). Qui autem credit, potest etiam eis, quae vera esse credit, convenienter vivere. Quodsi fecerit, corde novo ornatus „gratia dei" τὴν γνῶσιν accipiet. Unusquisque ergo fidelis, sive doctus, sive rudis: sin hoc, unusquisque homo

---

[1]) Strom. VII. p. 864. 41—865. 38. cf. p. 835. s. f. sqq.

[2]) l. c. p. 839. 16–33.

[3]) cf. § 16.

[4]) l. c. I. p. 336. *ἄνευ γραμμάτων πιστὸν εἶναι δυνατὸν φαμέν.* Quae verba sequuntur haec: *συνεῖναι τὰ ἐν τῇ πίστει λεγόμενα οὐχ οἷόντε, μὴ μαθόντα, ὁμολογοῦμεν"* 35—36. Quid igitur? Nonne haec prorsus aliam *γνώσεως* originem indicant, quam supra (§ 8) statuimus? Hoc ita se haberet, dummodo de *γνώσει*, vi illa praecipua, hoc loco ageretur. *συνεῖναι* enim hic non spectat ad ea penitus intelligenda et quasi videnda, quae divinitus communicata sunt, sed ad eadem secernenda ab alienis, quae pro revelatis falso habentur. Id quod plane ac diserte deinceps proponitur: *τὰ μὲν γὰρ εὖ λεγόμενα προσίεσθαι, τὰ δὲ ἀλλότρια μὴ προσίεσθαι, οὐχ ἁπλῶς ἡ πίστις, ἀλλ' ἡ περὶ τὴν μάθησιν πίστις* (non *γνῶσις*) *ἐμποιεῖ.* Ibid. 36—39. Et quae

miram illam cognitionem poterit adipisci [1]). Noli igitur Clementem cum Neandro [2]) vituperare, quod doctrinae plus aequo tribuerit; non enim qui eximia eruditione excellunt, eis γνώσεως praemium decernit, sed eos, qui egregie credunt, laudibus extollit. „Deus omnes vocavit pari modo; egregios autem egregie credentibus honores distribuit" [3]).

Quae quum ita sint, si quis fidelis non est gnosticus, in ipsum cadit culpa. Clemens igitur de eis, qui credentes tantum appellandi esse videntur, minime „iudicat inique," quod Neandro placuit contendere [4]).

§ 21.

Quid fidei et γνώσει commune sit et quomodo altera ex altera pendeat.

Iam reliquum est, ut fidem et γνῶσιν conferamus inter se. Inter fidem igitur et γνῶσιν primum id convenit, quod utriusque auctor deus exsistit [5]), sed ita, ut homo, quum in neutra acquirenda sit sine labore [6]), ad fidem ipsam adiuvet, non solum libenter audiendo, verum etiam demonstrando, ea, quae audivit, a deo vere esse communicata doctaque ab ecclesia, ad γνῶσιν autem id tantum valeat efficere, ut moribus ad verbum dei confirmandis dignum, qui hac donetur, se praebeat [7]). Deinde autem id habent commune, quod ad eandem rem, i. e. ad verbum dei pertinent. Denique eundem ferunt fructum, caritatem, qua dei similitudo nascitur [8]). Et tam arcte

---

litterati doctique viri repererunt, ea etiam ab his, qui non sunt ornati eruditione atque doctrina, possunt disci. καὶ ῥᾷον ἅμα καὶ θᾶττον σὺν τῇ προπαιδείᾳ θηράσαι ἄν τινα τὴν ἀρετὴν ὁμολογοῦμεν, οὐδὲ δίχα τούτων ἀθήρατον οὖσαν πλὴν καὶ τότε τοῖς μεμαθηκόσι, καὶ τὰ αἰσθητήρια συγγεγυμνασμένοις. Ibid. 44—46. Haec igitur, quibus eos, qui non credentes dogmata impugnant, refutent, rudes discunt doctorum auctoritate; dogmata autem ipsa, in quibus quasi intuendis γνῶσιν ponimus, ab ecclesiae auctoritate docentur.

[1]) Hic venit in mentem Synesii illud, Neoplatonici, sed episcopi postea, qui, interrogatus, num eruditio et doctrina sit necessaria: „viris, inquit, perfecta sanitate, integritate mentis et virtute, quales exstiterunt Antonius et Ammonius, minime; hi enim ascendunt per se ipsos ad summam contemplationem veritatis et cognitionem."

[2]) l. c. p. 930.

[3]) Strom. VII. p. 832. 24—26.

[4]) l. c. p. 916.

[5]) cf. § 18.

[6]) cf. §§ 9. 12. 16.

[7]) cf. § 16.

[8]) § 4. cf. Strom. V. p. 697. 36—38: ἡ πίστις, εἰ καὶ ἑκούσιος τῆς ψυχῆς συγκατάθεσις, ἀλλὰ ἐργάτις ἀγαθῶν καὶ δικαιοπραγίας θεμέλιος. § 10.

quidem coniunctae sunt inter se, ut, altera sublata, altera statim evanescat. Hoc enim in utriusque natura positum est, ut „fides sit cum cognitione, cum fide cognitio“ [1]); „neque (porro) fides sine γνώσει, neque γνῶσις sine fide“ [2]). Fides igitur nunquam est sine ulla cognitione; nam quod ignoratur, qui fiat, ut credatur? Attamen γνώσεως perfectae fundamentum est fides tantum [3]). Nunquam sine fide ἡ γνῶσις, ea nimirum, cuius corona est caritas perfecta cum dei similitudine. Sed fidei („ἐργάτιδι ἀγαθῶν“) datur ἡ γνῶσις [4]). At vero γνώσει crescente augetur rursus fides, non confirmatur quidem; neque enim credendi rationes augeri vel stabiliri dico; verum augeri ea, quae sunt credenda. Veluti qui generaliter cognoscit, deum esse praepotentem, ut qui, quaecunque voluerit, possit creare: hic credere potest, deum esse praepotentem, quoad creandi facultatem infinitam; qui autem porro cognoscit, eundem etiam posse in liberis creaturis ipsum sibi quasi cancellos circumdare, is deum praepotentem confitens plus credit, quam ille. Itaque inter fidem et γνῶσιν mira quaedam officiorum vicissitudo oritur: „πιστὴ τοίνυν ἡ γνῶσις, γνωστὴ ἡ πίστις, θείᾳ τινὶ ἀκολουθίᾳ τε καὶ ἀντακολουθίᾳ γίνεται.“

§ 22.

Quae sit huius quaestionis de revelationis argumento summa.

Revelationis igitur argumento, ut huius quaestionis summam repetamus, potimur dupliciter: fide et γνώσει. Fides enim, quamvis natura eius in iudicio, hoc vel illud verum esse, et in persuasione invicta, sine ulla dubitatione, stabili consistat, tamen cognitione nunquam prorsus est separata, quinimo opus est ei duplici cognitione, credendi rationum altera, altera, aliqua saltem ex parte, argumenti. Quae fides efficitur dei gratia non sine hominis labore, qui in quaerendo, ratiocinando, demonstrando, libere accipiendo cernitur. Sed totum ac plenum revelationis argumentum consequimur γνώσει, quae fide utitur fundamento. Haec enim, si quis ad fidem conformaverit vitam suam, fidei additur „χάριτι τοῦ θεοῦ,“ et sola quidem gratia, caritatis tamen hominis praemio; quapropter

---

[1]) Strom. II. p. 436. 34. *πίστις γνωστή, πιστὴ ἡ γνῶσις.*

[2]) l. c. p. 634. 10—11. *οὔτε ἡ γνῶσις ἄνευ πίστεως, οὐθ' ἡ πίστις ἄνευ γνώσεως.*

[3]) cf. § 19.

[4]) Ibid.

a quovis fideli potest acquiri. Est autem ἡ γνῶσις mentis visio quaedam, oculi in corpore similis, qua divinitus communicata quaecunque, quomodo se habeant, quasi cernimus. Neque vero, nisi fide permanente, quidquam τῇ γνώσει possidetur, sed omnia utrâque: et fide et γνώσει. Fructus autem, finis atque corona πιστῆς τῆς γνώσεως caritas est perfecta, quam sequitur intima cum deo communio et similitudo.

Corrigenda.

Pag. 4 lin. 11 pro: solum lege: solam.
„ 12 „ 15 „ Eusebius lege: Eusebium.
„ 14 „ 11 „ anuum lege: annum.
„ 26 „ 29 „ angustissimi lege: augustissimi.
„ 41 „ 1 „ exponatur lege: exponitur.
„ 44 „ 5 „ *Λόλον* lege: *Λόγον.*
„ 47 „ 12 „ *ἀνουθίτητος* lege: *ἀνουθέτητος.*
„ 54 „ 17 „ volunt lege: nolunt.
„ 55 „ 7 post 191 adde: cadere.
„ 61 „ 4 pro: iudicat lege: indicat.
„ 61 „ 25 „ Vos lege: Nos.
„ 61 „ 28 „ quum lege: quam.
„ 63 „ 26 „ suppellex lege: supellex.
„ 98 „ 31 „ exponatur lege: exponitur.
„ 142 „ 30 „ exponatur lege: exponitur.
„ 208 „ 12 „ describatur lege: describitur.
„ 212 „ 25 „ comtinentia lege: continentia.
„ 214 „ 7 ab inf. pro seperandus lege: separandus.
„ 222 „ 15 pro: consosolatum lege: consolatum.
„ 225 „ 11 „ exsistimat lege: existimat.
„ 226 „ 18 „ inuirae lege: iniuriae.
„ 240 „ 20 pro ; pone :
„ 245 „ 20 pro: difinitur lege: definitur.
„ 252 „ 21 „ Originis lege: Origenis.
„ 254 „ 7 „ divito lege: divite.
„ 257 „ 13 „ excindamus lege: exscindamus.
„ 259 „ 2 „ coelum lege: coelo.
„ 264 „ 12 post „atque“ dele comma.
„ 291 „ 13 ab inf. pro *ψυχῇς* lege: *ψυχῆς.*
Ibidem „ 24 pro: *ὄγρανον* lege: *ὄργανον.*
Pag. 299 „ 8 „ patrem lege: partem.
„ 302 „ 11 ab inf. pro faculatem lege: facultatem.
„ 306 „ 5 „ „ *ουκ* lege: *οὐκ.*
„ 308 „ 13 „ „ *οὺ* lege: *οὐ.*
„ 314 „ 11 „ „ *ὣσπερ* lege: *ὥσπερ.*
„ 319 „ 3 „ „ *παρα* lege: *παρὰ.*
„ 325 „ 2 „ „ *εἶναι* lege *εἶναι.*
„ 328 „ 15 „ dele in voce *κριτηρίῷ* illud ˜.

Vratislaviae, typis Roberti Nischkowsky.